BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
18 C
56
Digitized by Google

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI
AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBAE XII,

Quæ partim Philologiam, partim Philoſophiam ſpectant.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM. ROMA

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscript.



LOVANI,
Typis CHRISTOPH. FLAVI.
Francofurti, apud LVD. ELZEVIR.

M. DC. XV.

Cum Privilegio Cæſaris, & aliorum Principum.

SERIES
TOMORVM,
IN QVOS
Hanc Editionem Auctor diſtinxit.

TOMVS I. *Suadam habet Atticam. Ad tres Ordines Brabantiæ.*

II. *Amœnitatum Humanarum Diatribas* XXIV. *quarum hæc prior eſt. Ad Ordinem Equeſtrem, Vrbéſque Gelriæ Superioris.*

II. *Epiſtolarum Centurias* VIII.

IV. *Hiſtoriarum, & Doctrinæ Politicæ libros.*

ORDINI
EQVESTRI
VRBIBVSQ.
GELRIÆ
SVPERIORI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERYCIVS PVTEANVS BAMELRODIVS

Se, & omnia ſua Dedicat.

NATVRA Magiſtrâ diſcimus, EQVITES Nobiliſſimi, VIRI Prudentiſſimi, optimam cuique terram, & velut

ſanctiſſimam matrem, Patriam eſſe. Huic nemo tanta tribuit, ut non plura acceperit. Fruſtra recenſeo ſingula: Naſci, & primum & ſummum eſt; niſi tamen amplius quis putet, ali & inſtitui. Hoc parentes agunt, benigni in liberos; ſed quia tales jam genitores ſuos experti: imò hoc Patria agit, omnémque ſanguinis pietatem orditur. Illa, quantum Naturæ debemus ac ſtirpi, meritò ſibi aſſcribit; quantum adjicimus, poteſt exigere. Sic quidem, poſt Deum & Religionem, majus non eſt

vin-

vinculum, aut quod diſſolvere cauſſa ulla humana valeat. Quoties reſpiramus, beneficium confitemur: ab illo fonte rerum ac fortunæ rivi ſunt, hinc fluimus, hoc movemur principio, támque facilè quis ſe neget vivere, quàm obligatum eſſe. Atque ego, non ſolùm quòd natus, ſed quòd bene natus ſum, quòd honeſtâ ab antiquo familiâ, quòd in provinciâ nobiliſſimâ, in urbe pulcherrimâ, peculiariter expendere & æſtimare poteram; niſi in hoc potiùs uno ſita eſſent omnia, S I C A M-

BRVM eſſe. Tam inſigne uſurpo nomen, ut nulli populo, nulli genti originem inuideam; imò tam inſigne uſurpo nomen, ut ſi à veſtro pendeam ORDINE & imperio, libertatem venerer; ſi ex Vrbibus unam veſtris meam dicam, intelligant omnes, non lare, non munere ſejunctum fuiſſe. Cùm Patriam igitur laudo, Vos laudo, Equites Fortiſſimi, & Vos, Senatores Optimi, utriſq; obnoxius; eò quidem pleno tendens gradu, ne aut ignotus.aut ingratus ſim, aut ignoraſſe obligatio-

nem

nem meam videar. Qui armis inclyti ſunt, victorias vobis ſuas conſecrant; qui divitiis potentes, fortunam: mea verò arma, meæque, ut ſic appellem, divitiæ, Studia & Libri ſunt; & hoc ago, ut quãtum manu aut arcâ vellem, ingenio præſtem: ut ſcribam, quæ fortiter pro Patriæ ſalute & incolumitate agitis, prudentérque conſultatis; ſimul, quæ hucuſque & acta à Majoribus fuêre, & conſultata. Mehercle alienum à Munere meo non exiſtimo, pietatem profiteri. Præconem gloriæ veſtræ acturus

rus, Scribendi otium ad Hiſtoriam rurſus confe-ram: GELRIÆQVE fines exempla dabunt, quæ terrarum Orbi ſufficiant. Cùm tot inveniam Bellatores, non unus MEDICÆVS erit: cùm Fides, Iuſtitia, Robur gentis dicenda erunt, poſt Inſubres dici quoq; SICAMBRI poterunt: denique, cùm Præfectorum, Comitum, Ducum fortunam narrabo, omnia geſſiſſe Virtus videbitur. Dicentur PONTII, NASSAVII, IVLIACI, EGMONDANI, AVSTRIACI, & quicquid horum ductu auſpicio-

cióque Ordo Eqvester geſſit, atque univerſa Provincia exſecuta eſt. Fortiter agere, ab antiquo veſtrum eſt. Quæ alibi exempla, hîc miracula ſunt: ſuperare fidem virtus Sicambrorvm potuit, & quod à nullis propemodum geſtum eſt populis, familiare vobis fuiſſe creditum eſt. Sicamber armatus nullum hoſtem timeat: equo inſidens omnes Centauros provocet, omnésque ἱπποκορύστους. Quid attinet nota dicere? quemadmodum ἱππομαχία veſtra eſt, ita & ἱπποκρατίαν feciſtis. Omni in bello Eqvites

 Sicam-

Sicambri Martiale oſtenderunt robur, & ad militiæ terrorem valuerunt. Olim quidem nonne quingenti, patrió more armati & invecti, quinq; Romani equitatus Millia, ídq; hoſte Cæſare, in fugam conjecerunt? Appianus refert. Recentius exemplum, & prorſus Heroicum, Dux Gvlielmvs Ivliacvs dedit: qui obſeſsâ ab hoſtibus Brabantis Gravia, & effusâ per agros copiarum parte, facinus Spartanum auſus eſt, oſtenditque etiam in Gelria Thermopylas eſſe. Collectis repentè è totâ Nobi-

Nobilitate trecentis Equitibus hoſtem petiit, decem hominum millia invaſit, & proſtravit. Feſſus pugnando erat, at non vincendo. Eodem terrore triginta millia, quæ obſidioni dabant operam, aggreſſus, in fugam compulit, Vrbem Provinciámque ſibi vindicans. Quis crederet in tam paucis bellandi audaciam fuiſſe? debellandi fiducia acceſſit. Sic SICAMBRI pugnant. Ac tali Duce fortis eſſe miles poterat, tali milite Dux vincere. Plura hujuſmodi, ſed grandiori ſtilo ſcribenda ſunt, quæ in vobis redi-

rediviva, priſcam univerſi Ordinis gloriam ſtabiliunt. Mehercle excepiſtis Majorum famam, & valuiſtis ſuſtinere, non heredes ſolùm egregiorum facinorum, ſed teſtes. Itaque gerere, quàm jactare maluiſtis, quæ admiratione digna ſunt: nuperóq; pro Principe & Religione bello ſtrenui, nulla prœlia, ac ne pericula quidem exhorruiſtis. Tantum & indoles, & armorum equorúmq; uſus poteſt, & in corpore robuſto ingens animus. Quid? tanti quoque eſt, à Fortiſſimis Optimíſq; Heroum Gubernari.

Her-

HERMANNVM Comitem BERGENSEM, velut numen è cælo delapſum, belli nuper, ac deinde pacis tempore Patria habuit: hunc ſiquis adſpiceret, quomodo aut non ſtrenuus eſſet, aut SICAMBRVM ſe eſſe obliviſceretur? Eadem nunc in fratre ejus FREDERICO vis & pulchritudo virtutis eſt, omnúmque animos trahit. Etenim, ſi utrumque conferam, pari decore ORDO veſter exſurgit; nos verò mutaſſe Præfectum non videmur. Præterea, quis veſtrûm HERMANNVM cogitat, quis FREDERICVM videt,

Digitized by Google

videt, & non tertios ſibi à bellicoſiſſimo HENRICO Comite ſubjici ſtimulos fateatur? Tergemino igitur perfectiſſimóq; exemplo robur ſumitis, naturam augetis, exercitationem perficitis: nec fortes tantùm, ſed boni eſtis. Acriter hoſtem quemcumq; petitis, clementer vincitis; citra ferociam robur, citra ſævitiam iram habetis. Sic denique non minùs Paci, quàm Bello apti, Patriæ fata æquitate, ſolertiâ, prudentiâ mitigatis. O Deus! Comitiorum illo conſeſſu quid pulchrius, lenius, cordatius? Martiales

ales viros omnia Concordiæ & Salutis numina in unam Curiam, velut templum comitantur. Nihil hîc ſagi eſt: tota conſiliis res geritur, ſententiis expenditur, ſuffragiis conſtituitur: valet auctoritas, viget eloquentia, omnémque affectum publica cauſa vincit. Sed hujus Concilii alteram Vos claſſem conſtituitis, VRBIVM RECTORES Iuſtiſſimi, & velut tot Patriæ Patres, pro populo, aris, mœnibus ſoliciti, Reipublicæ lancem ſummâ induſtriâ ac vigilantiâ in æquilibrio detinetis. Sic & ſeorſim jus

dicitis

dicitis, tranquillitati ſtudetis, Politiam & Religionem antiquam conſervatis, Principi fidi, civibus utiles, in commune boni. Tam æquâ & exactâ curâ vitam quiſq; domeſticam agit, publicam adminiſtrat, ut non minùs exemplo, quàm lege ad honeſtatem ducantur privatorum mores & animi; qui cùm candore nativo imbuti ſint, innocentiæ uſu fraudes artésq; malas, non declinant modò, ſed propemodum ignorant. Itaque conſtat probitas, exulat vetitum nefas, & poſt longam belli calamitatem

deletur

deletur paullatim, quicquid peregrini obrepſerat. Damna verò quàm fortiter tuliſtis, tam facilè obliti eſtis. Etenim Induciis nuper erecti, priùs virtutes quàm fortunas inſtauraſtis; vel ideo digni tranquillitate temporum, qúia corrumpi iniquitate non potuiſtis. Ergo florete felices, Viri Senatorio digni munere: florete Vrbes, quæ non muris magis turribúsque, quàm ejuſmodi Rectoribus munitæ eſtis: tu RVRÆMVNDA pulchra, docta, pia, & Provinciæ tum Epiſcopio doctisque Antiſtitibus, LIN-

DANO, CVYCKIO, CASTRIO; tum Curiâ, & Cancellario nunc VVVENO, viro poſt magnos magno; tum Scholâ ab erudítiſſimâ Societate IESV introductâ, celebris: tu VENLONA mea, civibus, armis, virtutibus valida, ſitu amœna, naturâ & arte munita: tu regionis nomine felix, belli fato infelix GELRIA, niſi quòd à ſtrage & ærumnâ ſurgere potuiſti: tu STRALENA, fidei integra, & toto hoc invicta bello, rure & Cerere, ut priſca gens mortalium, beata: tu WACHTENDONCA, agro ac palu-

do

de læta, nuper mœnibus, nunc amœnitatibus cincta: vos denique HERCVLIS, ut volunt, appellatione caſtra, nunc mœnia, ſtate: vos reliqua Opida, Pagi, Arces, florete, incrementa capite, quæ nulla deinceps vis hoſtilis imminuat, nulla militiæ calamitas labefactet. Pacis Palladisque fructus quia AMOENITATES ſunt, iis & explicare votum, & teſtari cultum meum volui: hoc inquam titulo inſcribere cariſſimæ Patriæ ingenii monumentum, quod & me SICAMBRVM indicaret. DIATRIBÆ XII.

ſunt, in unum velut corpus collectæ, quæ rerum varietate nomini fortaſſis Amoenitatum ſufficient; affectum meum non implebunt. Nam, ut ingenuè fatear, ampliùs amare potui, quàm ſcribere, ac faciliùs molem librorum exſtruere, quàm veſtrâ dignum gloriâ, Equites Nobiliſſimi, Senatores Prudentiſſimi, opus publicare. Quid tamen eſt? nemo non amœna amat, floribus omnes delectantur. Non ex agro & ſegete faſcem, ſed ex horto coronam legi: neque hæc tam robuſta Muſa fu-

it,

it, ut Cereri par eſſet, & operoſiùs ſudaret. Equidem eruditâ placere voluptate conatus ſum, ingeniiq́ue dare luſus, qui ab HVMANITATE non recederent. GENIALES SERMONES primi ſunt, qui aliud ævum, alios mores referunt; Conviviorum, inquam, Nuptiarum, Nataliúmque Solennia quædam à Romanis uſurpata. Aut me Genius fallit, aut hæc Amœnitas eſt. MVSATHENA ſequitur, & Latino ore noſtræ priſcæq́ue delicias Harmoniæ comparans, (vocum.

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina

Dignum & ITINERE hoc argumentum fuit: iterúmque dici Muſica debuit, ut Epitomen inveniret. Hinc domum redeuntes & ad libros, FACVLAM DISTINCTIONVM accendimus, omni & lectioni & ſcriptioni neceſſariam. Vt lumen jucundum eſt, ita eſſe hic liber potuit: quem mox BREVIARIVM excipit, & ſine ambage aut pompâ nudam INTERPVNGENDI methodum repræſentat. DE NOMINE ERYCIO naſci quoque Diatriba potuit, poſtquam Amœnitatem appellatio luſtrica admiſit. Sanè quàm venu-

venuſta pleraque SICAMBRORVM nomina ſint, hîc inſinuavi. Iam verò in ſermone ſiquid ingenii lumen poteſt, brevitate & acumine explicatur. Hic LACONISMVS eſt, & aliquam Eloquentiæ formam conſtituit. Non alio Genio THYRSOS deinde PHILOTESIOS ſcripſi, & Amore ludens, Stili Sermonísque Aculeos formavi. Quid? ut omnia facerem, etiam ſuaviter Somniare volui. Dexter Mercurius adfuit, & Convivalem ævi noſtri Luxum ridenti COMVM dictavit. Nunquam, ſive ſolutam,

ẽ 4 ſive

ſive vinctam orationem ſpectetis, feſtivior fui: aut faciliùs Gratiarum triadi litavi. Itaque frontem mox auſus corrugare, & loqui ſeveriùs, CONSOLATIONEM CÆCITATIS ad Cancellarium CRIPIVM, τὸν Μακαρίτην miſi: quamquam & hîc ridere Minerva, & oculos invenire Cæcus potuit, cùm amplius animo videret. Sed quæ Amœnitas, niſi & ſuum carmine argumentum Pater Muſarum impleret? BRVMAM igitur, ſive Chimonopægnion cecini, & ut omnia placerent tempora, jucunda quoque Frigora effeci.

effeci. Vltimæ, & velut à Religionis igne STRICTVRÆ ſunt, in hoſtem ſummæ & ſanctiſſimæ poteſtatis emiſſæ. Quid dicam? Stilo pugnare potui, & Amœnus eſſe: Antagoniſtam agere, & Humanitatem profiteri: rem non virum petii; veritati, non affectui indulſi; ut ſine felle ſcriptio eſſet, ſalem inſperſi. quâ ingenii libertate violari Litterarum innocentia non potuit. Partes ſic ſe habent, & fortaſsis à pretio diſcrimen eſt. An excuſo? Pari quidem venuſtate non exſurgunt ſingulæ; communis tamen

ille omnium Genius benevolentiæ audebit veſtræ applauſum ſperare. In homine quoque, pulcherrimo Naturæ opere, alia capitis, alia manuum pedúmque laus eſt. Primum illud, caput inquam, ex ipsâ corporis ſummâ productum, primam ſibi majeſtatem vultu vindicat: in hoc inſuper pretioſiſſimi oculi ſunt; ſed velut ſtellæ, cælóque ſuo minores. Totius verò humanæ ſtructuræ dignitas in membrorum univerſitate & εὐφυΐα poſita eſt, partésque ſingulas ſuperat. Cogitate igitur EQVITES Inclyti,

VIRI

VIRI Præſtantiſſimi, hoc quod veſtrum ſolenniter facio Volumen, Corpus eſſe; DIATRIBAS, partes, ſive Membra, ſed argumento, & ſimul æſtimatione diſtingui: partim quia non eodem tempore, partim quia nec eodem loco nata ſunt. Nimirum alius Veris, alius Æſtatis proventus eſt: aliud adoleſcentia, aliud ætas maturior gignit. Deinde cælo & ſolo ſua vis eſt: atque ego à Sereniſſimo Principe meo ex Italiâ, ubi decennium vixeram, ſexennium publicè docueram, in Belgium & I. LIPSI

locum

locum evocatus, ſtilo magis exprimere cœpi, quod Amœnitatem referret Patriæ; indolem verò SICAMBRI teſtaretur. Sed nec varietas ingrata eſt: hanc dedi, & vitæ meæ non fallax ſpecimen adumbravi: vitæ in terris non eodem ſub Sole calentibus, iisdem tamen in ſtudiis actæ. Quæ ſumma eſt: alibi annos egi, annorum vobis fructum conſecro. Sic quidem quantum mihi temporis vindicavi, Patriæ non periit: nam cùm ſic ſejunctus fui, VENLONAM meam reliquiſſe non videor: illam intereà ab

Optimo

Optimo ſuaviſſimæq; memoriæ Parente meo Io. PVTEANO BAMELRODIO, in quo vivebam & aderam, ſæpius Conſule egregiè adminiſtratam. Denique: ut maximè præſens eſſem, ingenio adfui. Nunc ſic adſum quoque, & cùm munus defero, ingenium ipſum ORDINI veſtro Equites Fortiſſimi, VRBIBVS veſtris Senatores Vigilantiſſimi, dono & nuncupo. Hanc igitur æterni obſequii teſſeram ut ametis rogo, & ut Palladem meam veſtro conjungi Marti patiamini. Pulchrior eſſe copula non poteſt.

poteſt. Valete. Lovanii, in Arce, propridie Kalend. Septemb. ∞. IↃC. XV.

Digitized by Google

LITTERÆ
AMOENITATES SVNT.

AMOENVM Antiqui eſſe voluerunt, *quod per ſe ad amandum alliceret traherétque.* Vnde & Plinius Præfatione ad Veſpaſianum : MAGNA PARS STVDIORVM AMOENITATES QVÆRIMVS.

A. GELLIVS
LIBRO XIII. CAP. XV.
De vocabulo Humanitatis.

QVi verba Latina fecerunt, quique his probè uſi ſunt, HVMANITATEM non id eſſe voluerunt, quod vulgus exiſtimat, quódque à Græcis φιλανθρωπία dicitur, & ſignificat dexteritatem quandam benevolentiámque erga omnes homines promiſcuam: ſed HVMANITATEM appellaverunt, id propemodum quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem inſtitutionémque in bonas artes dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt appetuntque, hi ſunt vel maximè humaniſſimi, *&c.*

DIATRIBARVM
ELENCHVS.

I.	*Geniales Sermones.*	Pagina 1.
II.	*Muſathena.*	109
III.	*Iter Nonianum.*	198
IV.	*Facula Distinctionum.*	210
V.	*De Interpunctione.*	306
VI.	*De Erycio Nomine.*	324
VII.	*De Laconiſmo.*	367
VIII.	*Thyrſi Philoteſii.*	450
IX.	*Comus.*	516
X.	*Conſolatio Cæcitatis.*	697
XI.	*Bruma.*	763
XII.	*Strictura.*	803

Digitized by Google

ERYCI PUTEANI

AMOENITATUM HUMANARUM DIATRIBA I.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

GENIALES SERMONES.

Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ.

FREDERICUM CARDINALEM BORROMÆUM.

AUGUSTUS *liberos ſuos populo commendare ſolitus erat, ſi mererentur: non aliter ego hunc librum tibi, magne Antiſtes;* GENIALES *inquam hos* SERMONES. *Tibi autem, & ſic populo; cùm ad tuum populus judicium ſuffragiúmque concurrat. Quid mirum? Hæc Dignitas, Virtus, & Doctrina tua eſt; de quibus neſcio an publicè debeam dicere, cùm publicas voces Mo-*

deſtiæ ſtudio tu reſtringas. Magna hæc laus eſt, laude non corripi, non corrumpi: malle animi illum fructum conſcientiæ horreo conditum, quàm rumori ſparſum. Facis: & quid niſi CAROLUM *interna nobis ſpecie repræſentas, ipſum Modeſtiæ Genium atque Sanctitatis? Sed hanc utramque ſeorsùm in te Eruditio quoque commendat, quam parciùs* CAROLUS *habuit, ut bonus eſſe faciliùs & præeſſe: tu copioſè, ut utiliùs poſſes. Inflant enim litteræ, aut certè adflant, & quatiunt liberum interdum pectus: tu verò tam expreſſum & propinquum Modeſtiæ exemplum habes, ut à faſtu Litteras vindices. Quemadmodum æternum illud templum ſtellarum ſiderúmque facibus diſtinctum, lumen habet, calorem non habet: ſic tu doctrinæ dotes ſine ambitione: æternis nominibus certus inſeri, quòd habes; dignus, quòd ſic habes. Quòd autem habes, tibi & ingenio tuo; quòd ſic habes,* CAROLO *& Modeſtiæ ejus debes, in quam indole & munere ſucceſſiſti. Itaque cùm te miror, illum veneror; ſed multos hortor, ne ad plebeiorum humilitatem devolutas Litteras languere ac ſuſtirare diutiùs ſinant ad memoriam priſci*

ævi

ævi & dignitatis. Hodie enim quis è magnis mihi animum in libris occupat? quis lectionis fructum manu mentéque carpit? quis meliores cogitationes ſcripto colligit, aut oris vitia ſtilo prævertit? Apud veteres illos ne ſceptrum quidem ſtili ſocietate eviluit: & quaſi par gloria imperij atque ſtudiorum, eandem ad regendum, & ſcribendum manum porrexerunt. Cum veteribus autem tu magne Antiſtes, qui in iſta infula Muſas colis, in iſta purpura ingenij cultum amas, curas publicas ſtudiis privatis temperans, id eſt, laboribus labores. Legis, & ſcribis, quaſi ad utrumque hoc duntaxat natus: emines, & regis, quaſi à Natura ipſa doctus. Felices libri, quos tangis! felicem populum quem regis! ego felix, cui & in populo tuo eſſe, & ſcribere quoque populo contigit, quod reponi inter libros tuos mereatur. Sic igitur ad benignitatis tuæ perennem & copioſum fontem eo, ad quem LIPSIUS, SEPTALIUS, SACCUS digitum intenderunt; ſic tuo GENIO hos Sermones dedico, ut ad majorem proventum ſterile ingenij mei herediolum favoris irriguo latice fœcundes. ô annuas! ô Mæcenas & patronus tu mihi ſcribaris,

Digitized by Google

quem reſpiciam velut Cynoſuram. Vt corbita in tranquillo mari : ita ſtudia in hoc Muſarum curſu tarda aut ignava, niſi magnorum ſecunda aura adſpiret. Ego quidem partim privato, partim publico hactenus remigio vectus aliquantulùm promoviſſe videor : ſed quãdo erit, ut cum Poëta glorier,

---immenſum ſpatiis confecimus æquor?

Bene ſpero: quia in tutelam tuam hanc ingenii mei, ut ſic dicam, navem admittis; ſine Lare aut Genio non errabit. Voveo, & te nobis ſuperſtitem, magne Antiſtes.

IVSTI LIPSI Thaletis mei, Litteratorum optimi clariſſimiq; (cujus à manu & inſtitutione me profectum glorior) aureis monitis munitus, Elogiis Teſtimoniisq; donatus in Italiam abii, firmandæ Doctrinæ cauſſa, hauriendæ Prudentiæ, luſtrandæ Antiquitatis.

Iam nunc ardentes Autumnus fregerat umbras,
Atque Hiemem tepidis ſpectabat Phœbus habenis,

cùm me in viam darem. *Poſtquam ardua*

dua

dua montium, & lubrica vallium, & roſcida ceſpitum, & globoſa camporum emerſi, Deo duce μεγάλαν πολίων μετρόπολιν Mediolanum tandem pervêni. Vbi inter pauculos notos IACOBVM CALDERONVM repperi, virum variæ reconditæq; ſcientiæ, promptæ humanitatis; à quo multa (laudem ei hanc debeo) hauſi non publici ſaporis. Ille cùm à primo complexu ſermonem injeciſſet de ingenio & opulentia civium, ſtructuris publicis, Primoribus urbis, mentio IOH. BAPTISTÆ SACCI fuit. ad cujus ego nomen ſubſiliens, Magnum virum, inquam, & doctum nominas; quem æquè ac hunc Solem videre cupio. Sed túne tam boni me compotem voti facies? Annuit, & ſimul puerum commonuit, qui demonſtraret ædes. Itaque abii, & eum ipſum, quem quærebam (Sol à meridie jam vertebat) in atrio indutum pallio repperi, ceu paratum prodeundi. Salutavi, ac Litteras Lipſianas tradidi; quas ille, mox agnita manu, lætus arripuit, atque pellegit. Tum me complexus perhuma-

niter, Satin' ſaluè Puteane, inquit. Non ex animi mei ſententia, inquam, ab aſpero hoc itinere meo, prolixo, periculoſo. Vivo equidem; ſed abſque bono meo Genio fuiſſet vixiſſem, & rebus dixiſſem humanis valere & plaudere, amicis verò meis dolere & plangere. Valeo etiam; ſed ea paſſus, quæ nemo olim Cynicus patientiæ alumnus. Suſcipiens ſermonem meum Saccus, Vti in Sole, ait, umbram neceſſariò trahimus: ita periculum in via. Dolor, ægritudo, metus, ſollicitudo, cura à pedibus ubique ſunt, gravia illa quidem & moleſta, ſed quæ juvent ac dirigant ſæpe viantem. In Circo equus citiùs certiúſque metam attingit, ſi ſtimulo adactus, & freno gubernatus; quàm ſi liber vago quodam diſcurſu & ſaltu utatur: ita homo periculo & anguſtiis cinctus, dum timet itineris mala, eadem vitat; dum cavet, ſuperat. & hæc ipſa ex voto ſuperata poſtmodùm lætus lubénſque cogitationibus ſuis revolvit: ludit & lætatur tranſactis curis. Ita hominum mores ſunt, ſentire incommoda moleſtias-

leſtiáſque horrent; ſenſiſſe verò delectantur. Præteritorum enim malorum recordatio, dulcedinem quandam animo adfert & voluptatem. Quàm multi ſubeunt pericula, ut ſubiiſſe glorientur? Qui poſt longa carceris cruciamenta libertatem receperat & lucem, non tam quòd captus haud ſit, gaudio diffunditur, quàm quòd fuerit: ſic tu Puteane debes, lætari, non quòd huc veneris, ſed quòd per iſta pericula. Et ſimul avertens ſermonem, cœpit de LIPSIO, de valetudine ejus & ſtatu, demùm de Belgicæ noſtræ turbis inquirere: cui ego examuſſim omnia narro. Delectatus ille meis verbis, Quàm vellem, inquit, diei hoc reliquum tibi dare, ni negotium eſſet: ſed noctem, ſis, ſuccidaneam ſumemus & tempus cœnæ, quo ſermones hos tuos remetieris otioſè. Si libet, inquam,

Non modio neque trimodio, verùm ipſo horreo.

Atque cum iſtac ſponſione, vale dicto, receſſi. Ergo horis aliquot conſumptis, quas Philologi hominis

HERCVLIS CIMILOCTI ductu urbi luſtrandæ dedi, ſicuti vadatus eram, redeo; & cum Sacco differentes in porticu domus reperio LVDOVICVM SEPTALIVM, & IOH. BAPTISTAM SILVATICVM (ſine ambitione dicã) Duumviros raræ elegantiæ, priſcę doctrinæ, veræ virtutis. quibuſcum mihi (poſt ſalutem ultrò citróque acceptã) amica & varia fabulatio, donec Saccus manum nobis injiciens, Filum hoc ſermonis in ſtellam craſtinam, inquit, ut initium eſt, trahatur & nectatur, niſi abrumpam. Aliàs Stoici, nunc Geniales ſimus: & ſimul nos ducens, vadimonio epulari ſiſtit. Sed ecce dũ Cœnaculum intramus, video in limine titulum quadrata littera ſcriptum:

ΑΜΟΥΣΟΣ ΟΥΔΕΙΣ ΕΙΣΙΤΩ.

Cùm legiſſem ſubſtiti, & referre cœpi greſſum. Sed Septalius pallio me retinens, Quò, Puteane, inquit, fugis? canem vivum times, aut depicti nomen? Ego admirans, Quem canem? quod nomen? inquio: & circumferens

rens oculos, video propter oſtium canem ingentem cathena vinctum, in pariete pictum, cum inſcriptione: CAVE, CAVE CANEM. In mentem jam venerat moris antiqui, & converſus ad Septalium: ecce quàm properè, & ex formula canem hunc caveo, dum minimè caveo. ſimúlque intendens ad ſcripturam alteram digitum, Hic me titulus, aïo, arcuit ab ingreſſu. Ille vix riſum diſſimulans, Itáne, reſpondit, tu ipſum te híc neges? vide ne nimis apertè & contra teſtimonium Lipſianum. & cum dicto manu me prænſum introduxit. Dum, neſcio quid, Triumviri mei inter ſe muſſitarent, hiante & curioſo oculo cœnaculum pererrans in tabulam incidi litteris exaratam. Acceſſi, & in hæc verba legi:

B. F.

COENIPETA *Quiſquis es, Sive Solus, ſive cum* VMBRA,
Audi, & Obaudi.
GENIVS *ſum loci, & hic impero.*

K. I.

PRANSVRVS *ante* X. *ne venito.*
Poſt XI. *ne maneto:*

COENATVRVS, *ante* XVI. *ne venito.*
Poſt XVII. *ne maneto.*
PRANDI *hîc tempus* VNIVS *horæ*;
Et COENÆ, VNIVS.
Siquis prævorterit, SCILICET, *menſa vaciva:*
Siquis remanſerit, ILICET, *menſa ſublata.*

K. II.

FAMILIARIVM *tamen ſiquis adſit, etiam alteram horam indulgeo.*
Sed SERMONI, *non* PRANDIO, *aut* COENÆ.
SERMO GENIALIS *eſto, non tetricus, moroſus, aut rixoſus:*
Cum SALE, IOCO, RISV,
Quos MVSA *&* HONESTAS *ament.*

K. III.

SATVRIO *ne acceſſeris*,
ESVRIO *ne receſſeris.*
Menſam SINE ARTE *vides*; FRVERE;
Sed ſine TVBVRCINATIONE.

K. IV.

Et LIBERI *lepôrem vides*, POSCE, *atque* FRVERE;
Sed cum cavitione.
TREIS *Crateras haurias:*
Primam SITIS *cauſsâ*,

Secun-

Secundam ſis HILARITATIS.
Tertiam ſodes VOLVPTATIS.
Primam MVSIS.
Secundam APOLLINI.
Tertiam SOMNO.
Sed omnes pro Salute PRINCIPIS *libato.*

K. V.

LÆTVS *eſto*, LAVTVS *eſto*, SOBRIVS *eſto*,
CERI MANI *memor.*
ANGERONÆ *memor.*

K. VI.

Siquis dicta & edicta mea ſpreverit,
ÆGRA MENTE, & VALETVDINE *mulctator.*

Dum hæc non ſine admiratione legerem, Septalius quoque acceſſerat; quem ego leviter compellans, Quid ais? inquio, humaniſſime Septali. Iámne Saccus noſter conſenuit, qui Cynicam nobis hîc componit cœnam? Ecce ad modum omnia certum redacta & menſuram, nec licebit niſi præfinitò quicquam aggredi. Ille ad aurem meam cum riſu inclinatus, Familiares ſumùs, inquit, Exleges erimus. Imò, inquam ego, ſicuti cuidam

dam Auguſtus fuit, qui (verba Macrobii ſunt) *poſt epulum inops, ac ſine ullo apparatu diſcedens, valedicenti hoc tantùm inſuſurravit: Non putabam me tibi tam familiarem.* Septalius velut corrigens, Mitte, inquit, ſermonem iſtum; nacti Dominum ſumus comem, lepidum, GENIALEM, ſi unquam nacti: qui Senis Plautini ſententiam non fruſtrà uſurpet:

---in mala uxore atque inimico ſi quid
ſumas ſumptus eſt,
In bono hoſpite atque amico quæſtus eſt
quod ſumitur.

Non fefellimus Saccum, qui cum Silvatico ſe nobis jungens, & velut increpans, Quid delicias, inquit, facitis? quid miraris Puteane? Sumptuariam hanc meam legem? Quamobrem? Quia de Convivio? Domeſticæ olim, publicæq; fuêre. Sic Agellius Lib. 2. cap. 23. *Parſimonia apud veteres Romanos, & victus atque cœnarum tenuitas, non domeſtica ſolùm obſervatione ac diſciplina; ſed publica quoque animadverſione, Legúmque complurium ſanctionibus cuſtodita eſt.* Quas ordine & diſtinctè

(ac

(ac poſt eum Longævus ille Saturnaliorum ſcriptor) enumerat. Inter reliquas Æmiliam quoque Legem, *quâ lege* (inquit) *non ſumptus cœnarum, ſed ciborum genus & modus præfinitus eſt.* Reſpondi ego : Sed enim ſine conſenſu noſtro hæc tua lex lata, quorum in arbitrio eſt, eam probare, vel antiquare : imò quibus poteſtas etiam perrogandi. Nam antiquis hoc ſolenne, ut talis ſortirentur, quis Dominus convivii eſſet, Magiſter, Rex, Strategus, ſive Modimperator; ac leges decumbentibus ſcriberet. Saccus ſeveriori vultu, Ego antiquum hunc morem antiquo. Ius mihi ſit in mea domo. Qui ludos olim dabant, eis præſidebant : ſic ego, qui hanc cœnam. Et quid opus involvere, aut excuſare? Vti in Repub. Romana Cæſar: ſic in cœnaculo hoc meo perpetuam dictaturam ſumpſi, ut ſolus & ex arbitrio imperitem, qui facio ſumptum. Septalius nos reſpexit, & fruſtrà refragamur, inquit, ad Principem hunc omnis poteſtas ivit condendarum LL. Quas quia juſtas juſtè tulit,

noſtrum

noſtrum eſt, nolle repugnare. Imò, inquam, quia præter uſum vulgi, verborum tenebris involuta tulit, explicet, ut jure pareamus. Dum annueret Saccus, lychnuchi inferuntur, Græcúmque illud perſonuit: Φῶς ἀγαθόν. ac in ipſo puncto horologii domeſtici ponderibus decimamſextam trahentibus, intrans Saccipor, Accenſi vice horam clamitavit. Tum Saccus: Νῦν δ' ὥρη δόρποιο, NE PERDAMVS NOCTEM. De legibus dein videbo.

Dant manibus famuli Lymphas,

Numen invocamus, & adſidemus. Sed Saccus Salutem mihi denuò precatus, ita infit: Cœna adventitia excipiendus hîc mihi Puteane, tui, & Clariſſimi LIPSI cauſſa, nec aliud in laudem tuam dico. excipiendus, inquam; non illa Pontificiali, aut Saliari, aut Adjiciali, nec cujus ordinem (veteri illo & ridiculo more, quo Dominus ex ſcheda ordine fercula mittenda recitabat) opus ſit explicare: ſed nec Cynica, aſpera, aut terreſtri; verùm ſobria & honeſta, in qua hilaritas adſit,

ſit, mollities abſit. Μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρίως. Bone Deus! quis luxus, addo, quis faſtus paſſim in conviviis hominum etiam tenuioris rei & fortunæ? Plerique haud aliter, quàm ad paſtum nati, & ad Cereris uſúmque vitis hauſerint vitam, ita toti in ferculis, in poculis: ita fœdiſſimis, quas profunda ingluvies, & pruriens libido oggerunt, voluptatibus ſë miſeri mancipant: ita quiſque

----menſas exſtruit,
Tantas ſtruices concinnat patinarias,
Standum eſt in lecto, ſiquid de ſummo
petas.

Cum Apuleio loquar, *Eſtur, potatur, pulmentis acervatim, poculis agminatim, panibus aggeratim ingeſtis*, non in uſum, ſed abuſum. Quàm multa videas ambitiosè quæſita, prodigè profuſa, opiparè parata, ut revera dubites voluptatis, an ambitionis cauſſa convivia inſtituantur.

-----Quis fecit iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos (natum!
Ponit apros, animal propter convivia

Pœna

Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.

Vbi Varro, qui Satiram περὶ ἐδεσμάτων ſcripſit? Ecce menſas nobis occupant (Agellii verba ſunt) *Pavus è Samo, Phrygia Attagena, Grues Melicæ, Hœdus ex Ambrachia, Pelamis Chalcedonia, Muræna Tarteſia, Aſelli Peſſinuntij, Oſtrea Tarentina, Pectunculus Chius, Elops Rhodius, Scari Cilices, Nuces Thaſiæ, Palma Aegyptia, Glans Iberica.* Homo, quò te agis? aut viam non vides, quà ad virtutem itur; aut virtutem refugis calcare. Priſcos illos Romanos mihi vide & imitare, quàm continentes, quàm ſobrii, quàm ſancti? Valerius Maximus id diſertè ſcribit, lib. II. cap. V. *Fuit etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis ſimul & continentiæ certiſſima index. Nam maximis viris prandere & cœnare in propatulo, verecundiæ nō erat; nec ſanè ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubjicere erubeſcerent. Erant adeò*

adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quàm panis eſſet. Iuvenalis huc quoque reſpexit:

----quis fercula ſeptem
Secretò cænavit avus?

Sed egregii Euripidis verſus, quibus apud Agellium Chryſippus Philoſophus undique vorsùm indagines cupediarum deteſtatur: Pane famem, aqua ſitim extingui poſſe, cætera ad luxum eſſe.

Imò poſteriori ævo, luxuria jam pullulante, imperatum (quo ad priſtinam Temperantiam rediretur) patentibus januis cœnæ prandiáque fierent. Macrobius lib. 3. cap. 9. *Et imperari cæpit, ut patentibus januis pranſitaretur & cænitaretur: ſic oculis civium teſtibus factis luxuriæ modus fieret.* Iſidorus lib. 20. cap. 2. Orig. *Cæna vocatur à communione veſcentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt. unde & communicantes, quòd communiter, id eſt, pariter conveniant. Apud veteres enim ſolitum erat, in propatulo veſci, & communiter epulari, ne ſingularitas luxuriam gigneret.* De Ægyptiis ſimile refert Pomponius Mela,

B nescio

neſcio an in eundem finem: *Cibos palam & extra ſua tecta capiunt: obſcœna intimis ædium reddunt.* Hodie in lætitia publica ſic quandoque ſolet, ut qui ejuſdem curiæ, epulum instruant, congeſtis cibis ſub dio ſimul commeent & comedant. Finem Saccus fecerat,& Guſtatione initiamur. Mihi Lex cœnæ inhærebat. itaque converſus ad Latorem, Exleges nos habes, inquam, an explicabis leges? Ille in memoriam rediens, Imò potiùs, inquit,explicabo. Sed ne à cibis vos interim arceam, vacivas tantùm ædes aurium volo. Deinde tabellam ſumpſit, atque ita exorſus eſt.

B. F.] Id eſt,bonum factum. Formula apud antiquos in libellis reſcriptis,legibus,edictis: quam Græcè expreſſam in Inſcriptionibus ſæpiùs videas: ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ. Latinè in Prologo Pœnuli Plautinæ:

Bonum factu'ſt,edicta ut ſervetis mea.

Ibidem:

Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico,

Bonum

Bonum hercule factum pro ſe quiſque ut meminerit.

In Suetonii Iulio : *Peregrinis in Senatum allectis libellus propoſitus eſt : Bonum factum, ne quis Senatori novo curiam monſtrare velit.* In ejuſdem Vitellio: *Exacerbatus quòd poſt edictum ſuum, quo jubebat intra Kalen. Octobres urbe Italiáque Mathematici excederent, ſtatim libellus propoſitus eſt, Et Chaldæos dicere bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſpiam eſſet.* Ita enim in hiſce omnibus locis legendum, etſi alibi, *bene factum.* Auctorem addo, qui viros illuſtres ſcripſit, De Africano. *Hac die*, inquit, *Carthaginem vici. quaſi bonum factum, in Capitolium eamus, & Diis ſupplicemus.* Etiam Tertullianum, Lib. de Pudicitia : *O edictum, cui adſcribi debeat, Bonum factum!*

COENIPETA QVISQVIS ES.] Compoſitum apud Nonium à cœna & petendo. ſic apud Ciceronem *agripetas* non uno in loco lego: apud Plautum & Apuleium, *lucripetas*, alibi *heredipetas*.

GENIVS SVM LOCI.] In antiquis

quis Inſcriptionibus ſæpe, GENIO LOCI. Sic, GENIO SCHOLÆ: GENIO HORREOR. GENIO EXERCITVS: GENIO CENT. GENIO COLONIÆ: GENIO MVNICIPI: GENIO CONVENT. GENIO PAG. GENIO LAVACRORVM: &c. Cuſtodes enim, ſive tutelares quidam Dii veteribus culti Provinciarum, Vrbium, Ædium, Locorum, quos Fatales Genios, ſive etiam Lares nominabant. Propriè verò Genius vitæ, ſive, ut cum Plauto dicam, naturæ humanæ, item connubii Deus: frequenter deliciarum & voluptatis: atque etiam fortunæ. Breviter videamus; ſed ὕϛερον πρότερον Ομηρικῶς. Fortunæ quidem, niſi Gloſſarium fallit: *Genius τύχη ἑκάϛȣ ἀνθρώπυ*. Item, *Genium τύχη.* Deliciarum & voluptatis, vt formulæ indices ſunt: *curare Genium, indulgere Genio*; quibus opponitur *defraudare Genium.* item, *homines, horæ, dies*, SERMONES GENIALES. Vitæ denique, ſive naturæ humanæ; atque connubii, ut accuratè Cenſorinus perſcripſit. Pauca recitabo: *Genius eſt Deus, cujus in*

tute-

tutela, ut quiſque natus eſt, vivit. hic, ſive quòd ut genamur curat, ſive quòd unà genitur, ſive etiam quòd nos genitos ſuſcipit ac tuetur, certè à genendo Genius appellatur. Eumdem eſſe Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt. Paullo pòſt: *Hunc in nos maximam, quinimò omnem habere poteſtatem creditum eſt. Nonnulli binos Genios in iis dumtaxat domibus, quæ eſſent maritæ, colendos putaverunt.* quæ ultima verba conjugii tutelam ſignificant. de qua etiam A. Furius apud Feſti compilatorem intelligendus: *Genius eſt Deorum filius, & parens hominum.* item Laberius Imagine apud Nonium:

Genius generis noſtri parens.

Quid multis? torus Genialis, Lectus Genialis, & epulæ Geniales pro nuptialibus apud optimos ſcriptores dicuntur.

PRANSVRVS ANTE X.] Tempus Prandii & Cœnæ definio: & Convivium facio tempeſtivum.

Οὐ μὲν γάρ τι χέρειον ἐν ὥρῃ δεῖπνον ἐλέσθαι.

quod ut manifeſtum & clarum faciã, de Horis paucula interiungo. Septa-

lio & Silvatico idipſum non recuſantibus; me verò etiam ambiente, Horas inquit, ab Horo, qui Sol Ægyptiis eſt, dictas ductáſq; Macrobius vult, lib. 1. Satur. c. 21. *Apud eoſdem* (Ægyptios) *Apollo, qui eſt Sol, Horus vocatur, ex quo & horæ vigintiquatuor, quibus dies nóxque conficitur, nomen acceperunt.* Atque ſicuti iſtæ Diei: ita aliæ Anni Horæ vocantur, de quibus idem Macrobius, & ibidem: *Et quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur.* Horatius:

Qui mare & terras, variisq́; mundum
Temperat horis.

Cenſorinus quoque: *Sunt qui tradant, hunc trimeſtrem Horum inſtituiſſe; eóque Ver, Aeſtatem, Autumnum, Hiemem ὤρας, & annum dici, & Græcos annales ὤρους, eorum ſcriptores ὡρογράφους.* Sic itàque quatuor illas partes anni Horas Latinè nuncupabimus. Horas diei (de Civili ago) ſicuti & ipſum diem variè Antiqui incohabant. Eſt autem Dies Civilis, revolutio Æquinoctialis, addita illa parte, quam Sol interim ſuo motu Orientem verſus tranſit. Cùm

verò Æquinoctialem Meridianus & Horizon in quatuor æquales partes dividant; in illam, quæ inter Ortum & Meridiem eſt; quæ inter Meridiem & Occaſum; quæ inter Occaſum & Mediam noctem; demùm quæ inter iſtam & Ortum: factum eſt, ut à quatuor illis partibus Diem, & Horas Diei promiſcuè olim numerarent. Babylonii ſiquidem à Solis ortu in alterum ortum, Vmbri à Meridie in Meridiem, Athenienſes (quod Italia univerſa hodie retinet) ab occaſu Solis in occaſum, Romani à media nocte in mediam noctem. Ita Cenſorinus tradit, Plinius, Gellius ex Varrone, & ex illo Macrobius iiſdem pænè verbis. Sed Gellii, ut maculas quaſdam eluam, breviter recenſebo. lib. 3. cap. 2. ait. *Athenienſes autem aliter obſervare, idem Varro in eodem libro ſcripſit: eoſq; à Sole occaſo ad Solem iterum occidentem, omne id medium tempus unum diem eſſe dicere. Babylonios porrò aliter. A Sole enim exorto ad exortum ejuſdem incipientem; totum id ſpatium unius diei nomine appellare. Multos verò in terra Vmbria unum*

& eundem diem eſſe dicere à meridie ad inſequentem meridiem; quod quidem, inquit, minùs abſurdum eſt. Legendum ex Macrobio: *Quod quidem, inquit, nimis abſurdum eſt.* Et rationem cur abſurdum ſit adducit. Proſequitur deinde, *Populum autem Romanum, ita uti Varro dixit, dies ſingulos annumerare à media nocte uſque ad mediam proximam, multis argumentis oſtenditur.* Inter reliqua: *Nam magiſtratus quando una die eis auſpicandum eſt, & id ſuper quo auſpicaverunt agendum, poſt mediam noctem auſpicantur, & poſt exortum Solem agunt, auſpicati eſſe & egiſſe ex eodem die dicuntur.* Manca & mutila hæc lectio, quam reſtituo legendo: *& id ſuper quo auſpicaverunt agendum, cùm poſt mediam noctem,* inſerendo particulam *cùm.* Præterea quod hîc: *& poſt exortum Solem agunt,* id in pleriſque veteribus libris legitur: *& poſt meridiem Sole magno.* ex quibus Amor & Delicium generis humani LIPSIVS emendat: *& poſt meridiem Solem agunt.* An *Meridiem Solem* formula Romana admittat, equidem dubito. Sed uti vulgata lectio mendoſa

eſt;

eſt; ita emendatio hæc tolerari nequit. Sivè enim *poſt exortum Solem*, ſivè *poſt meridiem Solem* Agellius ſcripſerit, nequaquam Diem Romanos à media nocte in mediam noctem numeraſſe (quod conatur) indicat aut probat. Date paulliſper aures animúmque in ditionem meam, à me ſtabitis & ſentietis. Agellius ex ſpatio, quod inter auſpicandi, agendíq; tempus arbitrariò conſtituit, probat Romanos à media nocte in mediam diem numeraſſe. ex eo videlicet, quòd idipſum ſpatium uno eodémque die contineretur. Tempus igitur auſpicandi, exempli cauſſa', poſt mediam noctem eſſe vult; agēdi, inquiritur, ubinam locandum ſit. Si, *poſt exortum* legam, licebit eadem ratione inferre Romanos, vel cum Vmbris à meridie in meridiem, vel cum Athenienſibus ab occaſu in occaſum diem numeraſſe, qui utrique eodem die tempus de media nocte ultra diluculum protenſum concludebant: Si verò: *poſt meridiem Solem*, ſcribas, committitur idem propemodùm error. Athenienſes enim, qui ab

occaſu diem computare ſoliti, etiam Tempus de media nocte, ultra meridiem ductum uno die numerabant, ſicuti ex definitionibus traditis clariſſimè patet. Itaque ut Agellii tenebroſis Noctibus lumen aliquod adferam hoc noctis, audacter emendo & reſcribo: *Cùm poſt mediam noctem auſpicantur, & poſt occaſum Solem agunt, auſpicati eſſe, & egiſſe ex eodem die dicuntur.* Ita dico, *poſt occaſum Solem.* Nam hac ratione ſpatium inter tempus de media nocte, & primam facem ſequentis, concludi uno die nequit, niſi is à media nocte in alteram mediam numeretur. Emendationem noſtram ipſe Auctor paullò poſt confirmat, cùm dicit: *Præterea Tribuni plebis, quos nullum diem abeſſe Roma licet* (Explico cum Macrobio, *quos nullum integrum diem*) *cùm poſt mediam noctem proficiſcuntur, & poſt primam facem ante mediam noctem ſequentem revertuntur, non dicuntur abfuiſſe unum diem.* Spatium ecce ſumit à media nocte ultra Solem occaſum protenſum. Sed ut ad caput meæ legis redeam, Scitote me horas

horas iſtas: X. XI. XVI. XVII. numeraſſe ad ritum hunc Romanum. Tempus verò hoc prandii cœnæq; in quibuſdam Europæ partibus ita obſervatur, vitandi Ientaculi & Merendæ cauſſa. Veteres ne Prandio quidem (aut leviter admodum) diem dividebant aut findebant, ſed totum propè negotiis publicis tribuebant, ſoliti hora Nona largiùs cœnare: etſi interdum ſub Occaſum Solis, cùm largiùs ſe invitarent. Papinius:

Iam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Rectè *moriente*: ut decima illa Muſa Plautus per mortem diei ac ſepulchrum cœnandi tempus intellexit in Menæchmis:

---M E. *Hoc mihi abs te caveo cautiùs.*
Clam uxorem ubi ſepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.
P E. *Agè ſanè igitur, quando æquum oras, quàm mox incendo rogum?*
Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.

Lepidè mehercules! quaſi cœna buſtum ſit ſepulchrúmque diei mortui, curare

curare Genium cum Menæchmo Paraſitus geſtit. Sed de hora Nona ex Martiali conſtat:

Imperat exſtructos frangere Nona thoros.

Ex Cicerone item ad Pætum: *Accubueram hora Nona, cùm ad te harum exemplum in codicillis exaravi*. Hanc horam reſpexiſſe quoque cenſendus Paraſitus ille Plautinus apud Noctium Atticarum Scriptorem, lib.3.cap.3.

Vt illum dij perdant, primus qui horas repperit,
Quiq; adeò primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero Vterus hic erat ſolarium,
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum,
Vbi iſte monebat eſſe, niſi cum nihil erat.
Nunc etiam quod eſt non eſtur, niſi Soli lubet.
Atque adeò jam oppletum'ſt oppidum ſolariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Suidas Annonã, quòd diſtribueretur ipſis olim Nonis, à Nonis derivat: quid ſi nos

ſinos ab hora iſta Nona, tanquàm ad Nonam, id eſt cœnam, paratam? Vide num Iſidorus mihi ſerviat? lib. xx. Orig. c. 2. *Annona, tractum eſt à tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur.* Certè vos Belgæ (mihi arridens) qui *Noen, & Noenmael,* Tempus prandii & prandium vocatis, hinc vocatis. Ego acclamans, Hem, inquio, verè tu hoc, & acutè. Sed tamen ſiſtendus mihi Sacce, priuſquàm progrederis. Ais, hora Nona ſolitos Romanos cœnare: eoſdem à media nocte ad mediam noctem numerare horas. Quid igitur? ante meridiem cœnabant? Exſpecto quàm mox dicas, eos interdiu cubaſſe, noctu vigilaſſe. Saccus ſuſcipiens: Et tu mihi inſtruendus Puteane, licet properem. Repeto Romanos à media nocte ad mediam numeraſſe horas, hora Nona cœnaſſe; & tamen de meridie cœnaſſe.

----*Iſti quidem herclè orationi Oedipo,*
inquam,
Opus conjectore eſt, qui Sphyngi interpres fuit.

At ego, reſpondit Saccus, tam claram tibi

horas Martialis ex parte enumerat:

Prima ſalutantes, atque Altera continet hora.
Exercet raucos Tertia Cauſidicos.
In Quinctā varios extendit Roma labores.
Sexta quies laſſis: Septima finis erit.
Sufficit in Nonam nitidus Octava palæſtris.
Imperat exſtructos frangere Nona thoros.
Hora libellorum Decima eſt Eupheme meorum,
Temperat ambroſias cùm tua cœna dapes.

Diem ergò Naturalem Salutationibus Romani incohabant; Comeſſationibus, ſi quod reliquum poſt Nonam erat horarum cum Nona computemus, ferè claudebant. Salutationes illæ hominum, atque etiam Deorum erant. Seneca Epiſt. XCV. *Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus adſidere templorum. Humana ambitio iſtis officiis capitur: Deum colit, qui novit.* Sed Deos ad ſingulas etiam horas ſalutabant, eaſdémque acclamabant. Tertullianus: *Vnde & qui in idolis comendis, & in hac re ornandis,*

&

Digitized by Google

& ad ſingulas horas ſalutandis adulentur, Curationem facere dicuntur. De Prima Apuleius lib. XI. de Aſino. *Rebus jam ritè conſummatis, incohatæ lucis ſalutationibus, religioſi Primam nunciantes horam perſtrepunt.* De Octava Martialis:

Nunciat Octavam Pariæ ſua turba juvencæ.

De reliquis non obſervavi, nominatim quidem. Cœnabant itaque hora Nona, ſed diei, ne erres, Naturalis: id eſt, tempore Pomeridiano. Illa hora, quæ ab Aſtrologis die Lunæ, Saturno tribuitur; Martis, Soli; Mercurii; Lunæ; Iovis, Marti; Veneris, Mercurio; Saturni, Iovi; Solis, Mercurio. uti ex horis Planetarum conſtat. Video quid reprehendatis. receſſiſſe me à ritu & inſtituto Romano: neglecto die Naturali, horas diei Civilis Edicto inſeruiſſe. De induſtria feci. Nam cùm diei Naturalis horæ ob inæqualitatem dierum, quam obliqua Signiferi poſitio efficit, diverſis anni temporibus augeantur vel minuantur (Plautus alluſit, Pſeudolo:

S I. *Credo equidem poteſſe te ſcelus Maſſici*

Maſſici montis uberrimos quattuor Fructus ebibere in horâ unâ. P S. *Hiberna addito*;]

& Lege horæ certæ ſtatæque exprimendæ eſſent, illas diei Civilis uſurpavi. Deterſerat mihi hoc lumine omnem erroris, aut ignorantiæ nebulam Saccus. nec diutius ille moratus, ad reliqua Legis capita perrexit.

PRANDI HEIC TEMPVS VNIVS HORÆ, ET COENÆ VNIVS] Multæ, variæq; de cœnis & ſumptibus apud Romanos leges latæ, ſed nulla, quod ſciam, quæ cœnandi ſpatium definiret. Lex *Orchia* Convivas intra certum numerum coërcebat. *Fannia* Sumptibus modum fecit: ita ut Romanis plebeiſq; ludis, item Saturnalibus, in ſingulos dies centenos æris: id eſt noſtræ monetæ (ut jam quidem pretium eſt) decem Iulios Italicos, ſeu totidem Regales Hiſpanicos inſumere liceret; decem verò aliis, in ſingulis menſibus, diebus, tricenos: id eſt, tres Iulios, ſeu Regales. Cæteris denique omnibus diebus denos æris: id eſt, Regalem unũ. *Didia* lex

nō Romanos tantùm,ſed cæteros Italię quoq; populos,nec eos tantùm,qui majori ſumptu prandia cœnáſq; feciſſent,verùm etiā qui vocati eſſent, atq; omninò interfuiſſent, Legis Fanniæ pœnis voluit teneri.*Licinia*,ſicuti Fannia,certis diebus centenos æris indulſit ; Nuptiis verò ducenos: id eſt, viginti Regales, cæteriſq; diebus tricenos:id eſt,ſicuti dixi,tres Regales. Lex *Cornelia*, Kalendis Idibus, Nonis ; diebus item ludorum, & feriis quibuſdam ſolennibus H-S. tricenos conceſſit. effer Seſtertios tricenos : id eſt, ſeptuagenos æris. noſtræ monetæ ſeptem Iulios,ſeu Regales.Nam Seſtertius, pars eſt Regalis quarta. Diebus reliquis omnibus H-S.ternos tantùm: id eſt, ſeptem Solidos noſtros cum ſemiſſe , ſeu quatuor Stuferos Belgicos minus Quadrante. *Aemilia* lex Ciborum genus & modum præfinivit.*Antia*, Magiſtratum ad certas tantùm perſonas itare permiſit. Denique Lex *Iulia* lata eſt, *qua* (Agellii verba Lib. II. capite XXIV. uſurpabo ut ei uendem) *profeſtis quidem diebus ducenti*

centi (ſunt L. Iulii) *finiuntur*, *Kalendis*, *Idibus*, *Nonis*, *& aliis quibuſdam Feſtivis trecenti*(LXXV. Iulii)*nuptiis autem & repotiis* H-S. *millies eſſe. Etiam dicit Capito Atteius edictum*, *divine Augusti*, *an Tiberij Cæſaris non ſatis commemini*, *quo Edicto per dierum varias ſolennitates*, *à* CCC. H-S. *aduſque duo millia ſumptus cœnarum propagatus eſt*(id eſt, à LXXV. Iuliis ad IↃ. *ut his ſaltem finibus luxuriæ efferveſcentis æſtus coërceretur*. Mendum in verbis illis etiamnum hæret: *nuptiis autem & repotiis* H- S. *millies eſſe*. Millies enim non ſeſtertios, ſed ſeſtertia denotat, quorum ſignificatio nimis larga & grandis, quàm ut ad Temperantiæ illos fines circumſcribendos. Audacter igitur me auctore reſcribe, H-S. *mille*. ſunt CCL. Iulii noſtri: ut indulgentiæ quoſdam velut gradus videas ad majorem & majorem luxum. Deinde Sententiam interpunge, & diſtingue in hunc modum: *nuptiis autem & repotiis* H-S. *mille. Eſſe etiam dicit Capito Atteius edictum &c.* Atque hæ quidem olim de cœnis latæ ad populum leges. de quibus cum Tertullia-

tulliano meritò querar, Apolog. cap. VI. *Quonam illæ leges abierunt, ſumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non amplius in cœnam ſubſcribi jubebant, nec amplius quàm unam inferri gallinam, & eam non ſaginatam: quæ patricium, quòd decem pondo argenti habuiſſet, pro magno titulo ambitionis Senatu ſummovebant.* Intermiſſis pauculis: *Video enim & centenarias cœnas à centenis jã ſeſtertiis dicendas: & in lances, parum eſt, ſi Senatorum, & non libertinorum, vel adhuc flagra rumpentium argentaria metalla producta.* Fuerunt & viguerunt tamen olim illæ leges. nec apud Romanos tantùm; ſed Lacedæmonios quoque. Ælianus Variæ hiſtoriæ lib. III. cap. XXXIV. *Apud utroſque legem fuiſſe, ne cui licitum eſſet obſonare, quidquid vel quantum ipſi liberet. Nam cùm per alia cives ad temperantiam revocare voluerũt, tum non minimè per rationem menſæ.* Vt hæc ſe habent; nulla tamen lex fuit, quæ ſpatium cœnandi definiret. An quia hic non peccabatur? Hoc ipſum igitur feci: nec ſolummodò quî, & quanti; ſed etiam quamdiu apud me pran-

pranſitaretur, præſcripſi: VNAM duntaxat horam. Grunniant gulones, gumiæ noſtri, quique ætatem inter fercula conterunt; non audio: magis Principes multos viros, qui cœnas ſuas ultra horam vix unquam protrahunt. Diſcat hoc vulgus, & in exemplum trahat egregium & regium hunc morem. Nam profectò luxui ac intemperantiæ eſt, quicquid ultrà eſt. Circumfer paullulùm mentis oculos, & corruptiſſimos paſſim mores mirare atque indignare. Si benè rationes excuſſeris, horas ſubduxeris, vivendo vix per Sextantem vitæ vivitur. Pergo ad Legis reliqua.

ILICET.] I. Ire licet, quemadmodum *ſcilicet*, ſcire licet. Plautus:

Ilicet paraſiticæ arti in maximã malã crucẽ.

Formula hæc ſolennis olim Conſilii dimittendi. Donatus ad illud Terentii, *Hoc nihil eſt Phædria, Ilicet. Semper ilicet finem rei ſignificat, ut Actum eſt, ilicet, per συνχωρήν. Sic judices de Conſilio dimittebantur, ſuprema dicta cùm præco pronunciaſſet, Ilicet; quod ſignificat ire licet.*

FAMILIARIVM TAMEN SI

QVIS ADSIT, ETIAM ALTERAM HORAM INDVLGEO.] Addo in quem finem : non Comeſſationis, ſed Sermonis cauſſa.

SERMO GENIALIS ESTO, NON TETRICVS, MOROSVS, AVT RIXOSVS.] Agellius, lib. XIII. cap. XI. *Sermones igitur id temporis habendos cenſet* (Varro) *non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis; ſed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles: ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profectò, inquit, eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium.* Sermones itaque hilares honeſtiq; uſurpandi; ſed & fabulæ, quæ iſtuc ducant lepore lepido conditæ, non ſupellectile muliebri gravatæ.

SATVRIO NE ACCESSERIS.
ESVRIO NE RECESSERIS.] Plautus in his vocibus eleganter ludit:

TOX. *O Saturio opportunè adveniſti mihi.*

SAT. *Mendacium edepol dicis, atque haud*

haud te decet.

Nam Eſurio venio, non advenio Saturio.

SINE TVBVRCINATIONE.] Verbum non natura, ſed opinione quadam vulgi obſoletum, quod Nonius Marcellus explicat: *Tuburcinari ſignificat raptim comedere. Titinnius in præl. Tuburcinari ſine me vultis reliquias? Plautus in Perſa: Tuburcinari de ſuo ſiquid eſt domi. Turpilius in Bethontibus: Melixa intus ceſſat; credo hercle belle tuburcinatur.*

CVM CAVITIONE.] Horat. lib. III. Ode XIX. Antiquus hic ritus de trino hauſtu, non ex nobis hauſtus: & adſtricti olim Lege quadam ad ternas, interdum ad novenas potiones. De ternis Petronius: *Excuſare cœpit moram, quòd amica ſe non dimiſiſſet, tribus niſi potionibus è Lege ſiccatis.* Auſonius de utriſque in Gripho ternarii numeri:

Ter bibe, vel toties ternos. ſic myſtica lex eſt.

Ter verò bibebant, in honorem Gratiarum: novies, cùm largiùs ſe invitabant, in Muſarum. Horatius:

---- Tribus aut novem

Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates.treis prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta ſororibus.

ItaqueQuadrantem bibere,apud Romanos erat Gratiarum poculum bibere ; Dodrantem,Muſarum. quemadmodum & reliquæ aſſis partes in Sympoſiis uſurpatæ, quæ à Martiali paſſim referuntur. Sed ſicuti numerus iſte craterarum pro voluntate & inſtitutione convivantium mutabatur:ita etiam finis. Ego ne longùm loquar, aut obvia referam, ad Edicti mei verba redeo, quæ Apuleii & Eubuli Comici auctoritate ſtabilio atque confirmo. Apuleius Lib.IV. Florid. ſcribit: *Sapientis ſuper menſam celebre dictum eſt: Prima, inquit, cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam.* Eubulus verò εὐζόλως, & velut bibendi Arbiter, craterarum quandam ſeriem extendit ; ita tamen ut ternas tantùm ſuadeat: ad Valetudinem,ad

Amorem & Voluptatem, ad Somnũ. Inducit autem loquentem Bacchum.

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσι.

PRO SALVTE PRINCIPIS LIBATO.] Auguſto olim Senatus inter reliquos honores decrevit, ut pro ſalute ejus in conviviis vulgò libaretur: id imitari nos volo, ſed pio & Chriſtiano quodam ritu.

CERI MANI MEMOR.] In Saliari carmine eſt: *Cerus manus*, hoc eſt, creator bonus. Nam à creo interpoſita vocali cereo dicitur; à cereo cerus, vnde & Cererem non ineptè derivem frugum creatricem. Manus; adjectivum; & bonum ſignificat. Feſtus: *Manes Aurelius ſignificare ait bonos. unde Dij manes pro boni dicuntur.* Licet & alibi dicat: *Manes Dij ab Auguribus vocabantur, quòd per eos omnia manare credebant.* Nonius Marcellus: *Manum dicitur clarum. unde etiam manè poſt tenebras noctis dieì pars prima. Inde Matuta quæ Græcis Leucothea. Nam iidem volunt etiam Deos Manes appellari: id eſt, bonos ac proſperos; quòd melior mors ſapientibus*

poſiacis. Menſam enim ait inter res ſacras antiquitùs fuiſſe: ideóque ante Guſtationem τὰς ἀπαρχὰς Diis conſecrari ſolitas; ac deinde religione quadam ad Convivium velut ad ſacrum quoddam epulum iri. Naucratitarum verò inſigne exemplum, qui, ut Athenæus refert, *Etiam poſt diſcubitum in genua procidebant, & præeunte ſacrorum adminiſtro, patrias quaſdam preces ſimul effundebant.* Quod autem ad formulam meam attinet, Dei Opt. Max. Creatoris omnium, Servatoris omnium, Gubernatoris omnium: ad ſalutem humani generis nati, ad eandem violenter crudelitérque denati memoriam ingero, ingluviem, temulentiam, luxum damno. Fieri enim non poteſt, ut ſummi numinis Maieſtatem, Potentiam, Clementiam homo identidem conſiderans atque penſiculans in ſcelus aliquod de induſtria prolabatur. Sed quemadmodum tenebræ nigræ noctis non ingruunt, niſi priùs ab oculis noſtris Sol fugerit in adverſum orbem: ſic priùs ſemper eſt Dei oblivio, quàm labes pecca-

peccati. Antiqui, ſimili quodam ritu ad mollitiem & voluptatem invitabant, qui larvas quaſdam in menſam inferre ſoliti, ſic aptas, ut articuli vertebræq; quibus commiſſæ erant, in omnem partem flecterentur, variáſque figuras exprimerent; ut hac ratione convivæ brevis vitæ celeriſque mutationis commonefacti in ſolutam hilaritatem irent, omnibúſque, dum liceret, deliciis adfluerent. Decumanus Petronii locus eſt: Potantibus ergo, & accuratiſſimè nobis lauticias mirantibus, larvam argenteam attulit ſervus ſic aptam, ut articuli ejus vertebræq; locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm ſuper menſam ſemel iterúmque abjeciſſet, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit, Heu heu nos miſeros, quàm totus homuncio nil eſt, &c. ERGO VIVAMVS. Vbi verò larvæ ejus copia non erat, cranium in menſa apponebant, & manibus verſabant; vel è triclinio ſive ſtibadio ſuſpendebant in eundem illum finem. Nos aliter imbuti, ut non ad luxum

&

& voluptatem mortis memoria duci debeamus; ſed multo magis abſterreri. Lætari tamen in tempore etiam ſuadeo, nec ſubtrahere corpori delicias penitus; ſed temperare: edere, bibere, ludere; ſed intra continentiæ ſanctiſſimæ fines.

LAVTVS ESTO.] Omninò. Si non es, in mores noſtros & priſcos peccas. Nam in uſu lavatio fuit olim, & jam eſt: etſi diverſo atque alio ritu. Nos ante menſam lavamus, ſed tantummodò manus: antiqui (ni quidem in balneis fuiſſent, tunc enim non lavabant) in ipſo quoque convivio, atque etiam pedes. Petronius: *Tandem ergò diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisq́; inſequentibus ad pedes.* Lavatio quoque ſacra erat; & manuum, quæ χέρνιψ; & totius corporis, quæ περίῤῥανσις vocabatur. fiebátque θαλλῷ, ideſt, ut Virgilius ait,

----ramo felicis olivæ.

Plura, quæ ad lavationem hanc faciunt, viri docti eruerunt & notarunt.

ANGERONÆ MEMOR.] De ſilentio

tio quod menſæ debetur, conſtituitur: ne, quæ hîc dicuntur aut fiunt, promanent palam, & carpantur. Nam ſicuti Harpocrates Græcis: ita Angerona Romanis ſilentium digito ad os admoto ſignificat, uti ex Macrobio diſco, qui Deum Tutelarem Romanæ urbis inquirens, ait: *Alij enim Jovem crediderunt, alij Lunam: ſunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat.* Apud Lacedæmonios, uti Lycurgus inſtituit, ſolemne erat, ut, cùm ad publica convivia ingrederentur, maximus natu fores digito intento ſingulis commonſtrans ſanctè caveret, nequid ſermonis egredi paterentur. Ita Plutarchus Inſtitutis Laconicis: Διὰ τούτων οὐδεὶς ἐξέρχεται λόγος. Hæc ad Edictum meum: reſtat ut pareatis.

Lege explicata, quædam etiam ruminari cœpimus: inde in GENIALES magis magisq; ſermones dilabi. Intereà pueri Cœnam intulerant, in qua Apexabo fuit. inteſtinum eſt ſanguine farctum, Arnobio Lib. VII. Adverſus Gentes, innuente, *Quid*, inquit, *ſibi*

ſibi hæc volunt: apexabo, inſicia, ſilicernia, longavo? quæ ſunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus. Dictus verò Apexabo, uti ex Varrone colligitur, quòd in capite ſeu ſummitate apicem habeat. Septalius Dominum adſpexit, & quid iſtud cibi, aut quid nuclei in putamine illo, inquit. Ille ridẽs, An me captas? ait. ſimiliter tu quidem Phormioni cuidam, qui cùm in forum inteſtinum farctum præſtinaturus veniſſet, ac cariùs farctor indicaret, ex humeris bulgam detraxit, eámque velut ponderans, Hiſce nummis inquit, qui inſunt, auferre licet? Non licet, reſpondit farctor: nec cognitum mihi, quid tu bulga concluſum geras. Imò nec cognitum mihi, ait ille, quid tu iſtis inteſtinis. Septalio & Silvatico ad fabellam ridentibus, ego Saccum compello, &, quæſo te, inquio, num ab ore tuo fugiunt novæ illæ, ut apparent, locutiones: *ſimiliter tu quidem Phormioni cuidam: ex humeris bulgam detrahere, eam ponderare?* An doctrinam aliquam iis concluſam

quo-

quoque habes priſcam? Habeo verò, inquit; eámque, quia te latere video, expediam, & ob oculos ponam ut cognoſcas. Phormio, ſive ritum, ſive nomen ſpectemus, obſonator eſt. Si ritum: quia paraſitus eſt. Paraſiti enim, æquè ac ſervi ἀγόρασαι, antiquitùs ſolebant obſonari. Id è Plauto clarum, Captiveis, ubi Ergaſilus paraſitus de juventute queritur:

Ipſi obſonant, quæ paraſitorum antè erat provincia.

Milite, ubi Periplectomenes ſe jactat:

Vel hilariſſimum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium paraſitum, atque obſonatorem optumum.

Si nomen ipſum: pariter Phormio obſonator eſt. Apollodorus enim, è quo Terentiana Phormio tranſlata, ſic paraſitum ſuum appellavit, ad φορμίδα alludens. Erat autem φορμὶς, vas vimineum, ſive ſportula obſonio ferendo. Vnde apud Athenæum φορμὶς καρύων, & φορμὶς σύκων: quod Cicero pro Flacco Fiſcinam ficorum dixit: Plutarchus περὶ φιλοπλουτίας, ἄρριχον ἰσχά-

ἰσχάδων. Sed nunc de bulga videamus. Romani olim, appendere ſeu ponderare pecuniam magis ſolent, quàm numerare. unde *expenſa in rationibus, impendia, & dependere* etiam nunc uſurpamus. Hinc etiam in veteri formula, *per æs & libram emere*, quia Libripendes ſcilicet adhibebantur ad penſitandum. Sed & ab hac penſitatione manavit *æs grave* dictum: id eſt, quod pondus juſtum legitimúmque haberet. Livius, lib. IV. *Iudicibus decem millia æris gravis (quæ tum divitiæ habebantur) data*. Iterum: *Et quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium convehentes ſpecioſam etiam collationem faciebant.* Et ſæpius. Inde & ſtipem dictam ait Varro: *Nam quod aſſes libræpondo erant, qui majorem numerum acceperant, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant: id eſt, componebant, quo minus loci occuparet.* Et plura talia, quæ longum ſit complecti. Ab illo verò pondere & gravitate factum, ut æs & crumenam in humeris, non in zona ferrent, quod in Plauto aliquoties legis: & in hac fabella innue-

re volui. In zona tamen etiam, ſed poſteà ferebat, cùm priùs è brachio. Nonius: *Bulga eſt folliculus omnis, quam & crumenam veteres appellarunt; & eſt ſacculus ad brachium pendens.* Athenis verò moris antiquitùs fuit, ut qui in foro res venales habebant, pecuniolas in os & buccam conderent. quod Theophraſtus vocat, εἰς γνάθον ἐκλέγειν, pro συλλέγειν: Comici, ἐγκάπτειν εἰς τὴν γνάθον; Eruditiſſimo Caſaubono adnotante. Ego excipiens, Verè ita eſt, inquam, ut in tabulis Parrhaſianis aut ſubtilioris lineæ pictorum, præter picturæ amœnitatem & elegantiam, hiſtoria aliqua refertur præclara, ſed à vulgi ſenſu remota: ita in fabellis tuis præter leporem ſemper notæ quædam priſcæ doctrinæ, non animadverſæ multis, quia ignotæ. Saccus nihil tardatus applauſu meo, ipſe Sciſſoris vicem ſubiens, Apexabonem fregit, atque diſtribuit: videmúſque ſanguinem farctura neſcio qua miſtum, & à coctione concretum. Sed Septalius feſtiviſſimus homo partem ſuam rejiciens, Apage, apage, inquit, tam

tam infauſtum & nefaſtum cibum; quo ſi veſceris (ignoſcat mihi GENIUS tuus) medius fidius licet ad tibicines mittas. Saccus, mittam, inquit; ſed in alium quidem uſum, ſcilicet ut ſymphonia perſtrepente, ſolenniùs & more veteri veſcaris. Iterùm Septalius; itáne neſcis Leges divinas & humanas? utræque ſanguinem nobis interdicunt. In illis expreſſa ſanè prohibitio. Geneſ. cap. IX. *Carnem cum ſanguine non comedetis*. Iterum, Levitici cap. XVII. *Homo quicunque de filiis Iſraël, & de advenis qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terra. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt. Unde dixi filiis Iſraël, ſanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt; & quicunque comederit illum, interibit.* Quin & nova Lege idem confirmatum ſcimus, Act. cap. XV. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum: &*

ſanguine, & ſuffocato, &c. Scriptores item ſacri diſertè id tradunt & teſtantur. Tertullianus, in Apolog. cap. IX. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, nequo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* D. Ambroſius, ſanctiſſimus ille Antiſtes, & Tutelaris hujus ipſius urbis, in Epiſt. ad Gal. *Hæc tria mandata Sophiſtæ Græcorum non intelligentes, ſcientes tamen à ſanguine abſtinendum.* Minutius Felix: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire; tantúmque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum ſanguinem in cibum noverimus.* Nunc verò ut ad Leges humanas veniam, exſtat notáque eſt inſignis illa Leonis Imperatoris Conſtitutio, qua multis ſolennibúſque verbis omnis denuò ſanguinis eſus & uſus ſeveriſſimè interdictus. Quid videtur? num firma ſa-

tis

tis validáque hæc Auctoritatis tela ad eliminandum arcendúmque è menſæ ſacris Apexabonem? Imò levia & infirma, ait Saccus, quibus ludas magis, quàm lædas: quæ rumpantur & recidant ad primum ſtatim contactum oppoſitæ frameæ Rationis. Quare ſic repugno. Lege divina prohibitus Hebræis olim ſanguis, ſed Hebræis: ob piam ac tum temporis neceſſariã quandam cauſſam, videlicet Idololatriæ (in quam ipſi per ſe multum proni) fugiendæ, dum hoc ritu ab Idolorum cultoribus, qui de ſanguine victimarum libabant, diſſiderent. Sed inquis, traductum hoc etiam ad Chriſtianos. Traductum fateor, non ut æternùm permaneret; ſed donec Iudæorum qui abſtinebant, & Gentilium qui non abſtinebant ſimul habitantium animi conglutinarent; & uterque populus (ſicuti Chriſtianus ille Sophus tradit) in unum coaleſceret: quod faciliùs futurum erat, iis rebus ſublatis, quæ vehementiùs eos diſſociare atq; alienare poſſent. Nam quod quidam ad homicidium caven-

dum referunt, piè id quidem, ſed non univerſè verè dictum. Itaque introducta hæc conſuetudo, pluſculos annos, etiam ultrà quàm neceſſum erat, obtinuit. Poſtea verò quàm radices Religio egerat, & ſurculos ſuos nequicquam toties à Tyrannis antelucatos longè latéque diſperſerat, negligi à Latinis primùm cœpta: Græci tenaciores permanſêre ob Apoſtolicæ ſententiæ reverentiam ſeu auctoritatem. Atque hinc Imperatoria illa Leonis Conſtitutio edita, ſed à poſteris mox, atque adeò ipſo jure antiquata. Finierat Saccus: ſed nos dum tardiores adhuc ad tam profanum olim accedimus cibum, Suadeo, inquit, cœnemus; hoc eſt jus cœnæ. Dum obſequimur, & pauſa ſermonum eſſet, puer, ut videbatur à Septalio inſtructus, librum attulit Senecæ Philoſophi de Conſtantia Sapientis, & diſtinctiſſimè quædam cœpit recitare. Nos mirari & taciti auſcultare. Sed Saccus ſilentium non ferens, jubet ocyùs librum tolli. ad quod factum Silvaticus exclamans, Hem, inquit, optimam

mam & jucundiſſimam cœnæ partem aufers Lectionem, quam antiqui in deliciis habuerunt & uſurparunt. Plinius teſtis Lib. I. Epiſt. *Audiſſes Comœdum, vel Lectorem* (de cœna loquitur) *vel, quæ mea liberalitas, omnes.* Cornelius Nepos in vita Attici. *Neque unquam ſine lectione aliqua apud eum cœnatum eſt, ut non minus animo quàm ventre convivæ delectarentur.* Idem Plinius de Plinio Secundo avunculo ſuo Lib. III. *Mox quaſi alio die ſtudebat in cœna tempus, ſuper hanc liber legebatur, adnotabatur, & quaſi curſim. Memini quendam ex amicis, cùm Lector quædam perperam pronuntiaſſet, revocaſſe, & repeti coëgiſſe. huic avunculum dixiſſe, Intellexeras nempe? cùm ille adnuiſſet, Cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus.* Quin Dominus ipſe nonnunquam legebat. Martialis innuit:

Parva eſt cœnula, quis poteſt negare?
Sed finges nihil, audiéſve fictum,
Et vultu placido tuo recumbes,
Nec craſſum Dominus leget volumen.

Saccus ſuſcipiens, Quantum video, inquit, ex compacto agitis. Septalius

auctor lectionis, tu defenſor ades. Ego verò tam ſeverum ſcriptorem nunc non patior. GENIALEM aliquem ſubſtituetis? Loqui vos malo, quam ſilere, in convivium enim veniſtis, non Sigeium. & cum dicto librum amoliens, digitos concrepuit: ad quod ſignum pueri, qui ad vinum & cyathum, cantillare cœperunt. Ego Saccum appellans, longè, inquam, me opinio mea fallit: nec enim pueros, ſed te ipſum canturum, aut quippiam dicturum colligebam, ex more veterum, qui hujuſmodi ſignis ſive crepitibus audientiam dicturi præparabât. In Petronio id lego: *Manibus inter ſe uſque ad articulorum crepitum contritis, Quænam eſt, inquit, hæc audacia, aut ubi fabulas, & anteceſſa latrocinia didiciſtis?* Et reliqua Quartillæ increpatio. In D. Hieronymo, ad Ruſticum: *Teſtudineo Grunnius ad dicendum incedebat gradu, & per intervalla quædam vix verba carpebat: & tamen cùm menſa poſita, adducto ſupercilio, contractis naribus, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos provocans.* In Cicerone quo-

quoque, aliiſq; ; ne auctoritates fruſtra conglomerem. Saccus excipiens, Benè tu iſta Puteane, inquit: ſed ſcito idem iiſdem, imò & nobis iſtud ſignũ frequens & in proclivi ad indicandum, vocandum, aut revocandum. Sic apud eundem Petronium: *Cùm has miraremur lautitias, Trimalcio lautiſſimus homo digitos concrepuit, ad quod ſignum matellam ſpado ludenti ſuppoſuit.* Vbi obiter nota verbum concrepo cum accuſandi caſu. Item apud Tibullum:

Et vocet ad digiti me taciturna ſonum.

Ego reciprocans, Et benè tu iſta Sacce, inquio. Sed licétne quærere? Imò, inquit, vel jubere. De ritu illo canendi. Novúſne is, an antiquus? Antiquus, ait Saccus: nec canendi tantùm, ſed & pſallendi. Ejuſce rei auctorem tibi dabo Varronem apud Nonium: *In conviviis pueri modeſtè ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & aſſa voce, & cum tibicine.* Apuleium, lib. v. de Aſino. *Poſt opimas dapes quidam introceſſit, & cantavit inviſus, & alius cithara pulſavit, quæ videba-*

tur nec ipſa. Tunc modulatæ multitudinis conferta vox aures ejus adfertur, ut quamvis hominum nemo pareret, chorus tamen eſſe pateret. Macrobium de Auguſto, lib. II. cap. X. *Delectatus inter cœnam pueris Symphoniacis.* Obſerva obiter probam, nec ſatis notam locutionem, *inter cœnam*, pro inter cœnandum. Sic Ciceronem ſcribere alibi memini: item Gellium, lib. III. cap. II. *Sacra ſunt Romana partim diurna, partim nocturna; ſed ea quæ inter noctem fiunt, diebus adjiciuntur, non noctibus.* Eundem Gellium, lib. IX. c. IV. *plus cernunt oculis per noctē, quàm inter diem*, nunc patiar, nec, ut antea volui, reſcribam: *quàm interdiu.* Pueri igitur cantabant: imò & puellæ. Gellius id palàm facit Lib. XIX. cap. IX. de Iuliano Rhetore ſcribens, qui ab adoleſcente quodam ad cœnam invitatus, *deſideravit exhiberi, quos habere eum adoleſcentem ſciebat, ſcitiſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce, & qui pſallerent. Ac poſteaquàm introducti pueri puellæque ſunt, jucundum in modum* ἀνακρεόντεια *pleraque, &* σάπφικα, *& poëtarum quoque recentium* ἐλεγεῖα *quæ-*

dam

dam ἐρωτικὰ cecinerunt. Nec ad cantum ſolummodò, ſed ad menſam & miniſterium uterque ille ſexus. De pueris Cicero meminit, II. de finib. *Adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent.* Et ſæpius ſcriptores. unde diſcas, cur Horatius de comeſſatione, aut compotatione loquens, paſſim puerum compellat: ut,

Perſicos odi, puer, apparatus.

Et alibi frequenter. De Puellis Apuleius, Lib. II. Metamorph. *Puellæ ſcitulæ miniſtrantes.* Apud Nonium Varro: *Sic in privatis domibus pueri liberi, & puere miniſtrabant.* Verùm, ut ad cantum ſermonem retraham, non ego obſoletam & intermortuam jam olim conſuetudinem è tumulo revoco, ad vitam & lucem reduco: ſed viventem etiamnunc & vigentem exemplo meliorum tracto, non ad luxum aut mollitiem, quod Amuſi increpant, ſed frangendis aut ſeponendis paullulùm curis. Hic Muſicæ effectus & finis eſt, quem quia iſti ignorant, ſevera, triſtia, moroſa convivia habent; pro modulis clamorem, pro concentu con-

tu confuſas convivantium voces, pro tibiis cyathorum frequentium ſtrepitum. Nam dum ſymphoniæ delectationem ceu viro indignam ſpernunt, in turpiſſimum intemperātiæ vitium indignum homine prolabuntur. Si victus cultúſque corporis (uti rectè Lib. I. offic. Romanæ Eloquentiæ pater) ad valetudinem referri & vires, non ad voluptatem debeant; quid præclarius, quid utilius Muſica, quæ numerorum dulcedine animos noſtros ſeveris curis ſubtrahit, ut ſecurè epulemur? quæ verborum monitis virtutis temperantiæq; admonet, ut licitè honeſtéque reficiamur. Quid ais? ſatiſne firmum hoc tibi, quiſquis es, pro cantu videtur, an à te ipſo patrocinium adverſarie petam? Navitæ, ſi trans mare currunt, Νίγλαρον ſuum occinunt, & nauſeæ obliviſcens delectaris: meſſores inter operas Ἴουλον ſuum, & collaudas: piſtores ad molam Ἱμαῖον ſuum, & auſcultas. Nos, ſi honeſto carmine inter epulas fruimur, reprehendes? Alius hic locus eſt, inquies, & ſacratior: nec in vili ac ſervili

piſtrino

piſtrino ſumus, non inter rureſtres ruri in æſtu Caniculæ, & calentis Solis, non inter Neptunias udas undas, ægri corpore, dubii ſalutis. Vbi demum? in Cœnaculo & penetrali domus, tuentes & tangentes menſæ ſacrata dona. Homo pepone inſulſior! quaſi à Victuâ & Potuâ (Deæ ſunt quę victui & potui præſunt. Sic Arnobius Lib. IV. Adv. Gent. *Victua & Potua ſanctiſſima victui potuiq; procurant.*) alienæ Muſæ. Iſtæ locum ſibi in Cœnaculo, conniventibus Laribus, elegere: hæ Muſæ, inquam, ſecutæ; cantúmque, quid dico cantum? ſaltationem quoque adduxêre. Vultum contrahitis, & abnutatis? ita dico, olim ſaltatio in conviviis, ſed ante civilia bella: ſub illis, nefas & inter probra ſaltare. ita ut orbis jam potiti Romani per divitias in omne ſcelus iverint, hac una re facti ſanctiores. Simius ille Gellii diſertè, Lib. III. cap. VII. *Vetuſtas quidem, inquit, nobis ſemper, ſi ſapimus, adoranda eſt: illa quippe ſecula ſunt, quæ hoc imperium vel ſanguine, vel ſudore pepererunt, quod non niſi virtutum faceret ubertas. Sed*

quod

quod fatendum eſt, in illa virtutum abundantia vitiis quoque ætas illa non caruit, è quibus nonnulla noſtro ſeculo morum ſobrietate correcta ſunt. Deinde poſt pauca: *Dic enim Hore, qui antiquitatem nobis objicis, ante cujus triclinium modò ſaltatricem, vel ſaltatorem te vidiſſe meminiſti? at inter illos ſaltatio certatim vel ab honeſtis appetebatur. Ecce enim, ut ab illo ordiar tempore, quod fuit optimis moribus, inter duo bella Punica ingenui, quid dicam ingenui? filij Senatorum in ludum ſaltatorium commeabant, & illic crotala geſtantes ſaltare diſcebant.* Idem auctor Lib. II. cap. I. de Philoſophis barbatis, quorum quidem tam ſevera triſtitia, ut ne aures quidem ſuas in convivio obſcœno ſermone violari voluerint. *Sub illorum*, inquit, *ſupercilio non defuit, qui pſaltriam intromitti peteret, ut puella ex induſtria ſupra naturam mollior, canora dulcedine, & ſaltationis lubrico exerceret illecebris philoſophantes.* Quid ſi legam: *& ſaltationis lubricæ illecebris, exerceret philoſophantes?* Sed nihil muto: perſtringere enim ſeveros illos videtur, quaſi illecebris & deliciis ſapiant.

In

In ſacra ſcriptura ab eodem ritu legimus: *Herodes in natali ſuo cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cúmque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet; & placuiſſet Herodi, ſimúlque recumbentibus.* Apud Græcos autem ſaltare & pſallere appendices convivii Homerus facit. Noſtri mores nonne ex parte eò redierunt? Pleraque Europa (ô vilem & curioſam voluptatem!) in ædes paſſim, maximè hoſpitia publica mimi quidam, ſeu circulatores utriuſque ſexus introducuntur, qui flexibus tortuoſis, & enerva exoſſáque ſaltatione ad numeros modulóſque examuſſim compoſita prandentes & cœnantes oblectant. Nos ipſi ſaltationem colimus, & cum arte tractamus: nec convivia aut epulas ullas celebriores inſtituimus ſine illa. Poſt dapes, atque inter dapes quiſque ſe componit, & accingit ad terripavium ſeu terripudium. Interim ad fidicinem aliquis, Agè, trahe ad ſymphoniam chordas;

> *Lepidam & ſuavem cantionem aliquam occipito.*

Simúl-

Simúlque de turba mulierum aliquã, quam lubentius videt, renuentem verecundè quidem, ſed non invitam, prænſat. Sequitur alius, & alius, & alius; paréſque ſibi jungunt, & in numeros ducunt jam incœptos. Animadvertas compoſitum, variúmque quendam tot corporum motum, ceu concordiam & harmoniam quandam mutam: gratam quidem modeſtámque, niſi ſiquid muliebris levitas, & liberior laſciviórque ſyrmate tecta geſticulatio; tum adoleſcentum ab illo igni concitatus æſtus, & affectata fluctuantium pedum criſpitudo prurieńdo exorbitet. Itaque dupliciter hîc peccatur: ſæpè libidine, ſemper imprudentia. Libidine, dum lubricè & impudicè corpus torquetur, aut ſolius mulieris cauſſa ſaltatur. Sic apud Plautum (ne antiquos inſontes hîc cenſeamus) nequiſſimi ſervi.

SA. *Ita me Di ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin ſaltet tamen.*
Age mulſa mea, ſuavitudo ſalta, ſaltabo ego ſimul.

ST. *Nunquàm edepol me iſtoc vinces, quin*

quin ego ibidem pruriam.

Saltatio profectò perinde eſt,ut uſurpes; ſi in malum finem, mala eſt: ſi corporis aut animi cauſſa,bona eſt,& ſuo tempore inſtituenda. Sed hîc imprudentia peccatur. Nam poſt dapes, atque inter dapes, uti dixi, quiſque ſe componit, & accingit ad ſaltandum, tucetis farctus, vino gravatus. Scilicet,ut quod olim objectabatur, conveniat: *Nemo ſobrius ſaltat.* Quid agis? ſtomachum ſobrium, te ipſum à ſaltatione petitum is, diſtentus,& adhuc intentus cibo? Poſſis una opera

---piſcari in aëre;

Venari autem retejaculo in medio mari.

Neſcis tu aulam ad focum appoſitam fervere non poſſe, nec edulium concoqui, ſi crebrò & intempeſtivè moveatur? Idipſum de te cenſe, cauſſámque mali morbi metue ab hoc motu. Ego ſuadeam,aut in aliud tempus ſaltationem rejici,aut certè Muſica quadam perſtrepentis chori paullulùm differri. Silvaticus ſententiam hanc proſequens, Prudentiſſimè id ſanè

ſuades, inquit; & perſuades etiam; ſi quidem chorus ille tui ſimilis adſit peritiſſimorum artis. Nam ſicuti non omne vinum promiſcuè, ſed edentulum & generoſum inebriat: ſic nec quævis Muſica, ſed quæ concordia ſua vincta, lepido carmine articulata, ſuavibus ſonis edita, recreat. Hæc talis ſobriis, atque adeò non ſobriis, audiẽda: quæ (notum vulgò) animi motus quomodo ſedaverit, corporis morbos quomodo curaverit noſtro & veteri illo ævo. Quid mirum? Nonne Muſica quadam concepti, & nati ſumus? Nonne homo ipſe totus (ut cum Apuleio loquar,) modulatus & muſicus? Inſpice & conſidera utramvis tui partem. Corpus quid aliud niſi membrorum & organorum quædam harmonia? quam ſi natura in formatione & ortu neglexerit, vel vis poſteà fortuita aut procurata violaverit, deformis aut informis es, monſtrum es. Ipſe rector noſter Animus incomptus & incompoſitus, niſi affectus in ordinem cogat & concentum inculpatæ vitæ. Rem totam ex Apuleio doceo

doceo lib. De Philoſophia. *Hac ipſorum connubiorũ quæritur tempeſtiva conjunctio: cujus futuram ſtabilem fidem credit, ſi cum harmonia Muſicæ dierum conſonent numeri : & qui de talibus nuptiis erunt orti, ſtudiis congruentibus imbuentur.* Doceo, inquam; ſi reſcribere fortè auſim: *cujus futurum ſtabilem fœtum credit*; nec ad connubii perpetuitatem, ſed ad partum ſententiam referam. *Stabilem fœtum* voco vivacem & duraturum. *ſi* videlicet *cum harmonia Muſica dierum conſonent numeri*: id eſt, ſi cum Diaſtematibus ſeu intervallis muſicis dierum intervalla conſentiant, quibus ex ſemine ſanguis; ex ſanguine caro: ex carne totum corpus humanum formatur. ita ut illic numerorum leges concordiam quandam miſceant; hîc, temporis aut dierum. Cenſorinus id confirmat, ita ſcribens: *Pythagoras autem* (aliorum Philoſophorum de his ipſis dierum intervallis ſententias recenſuerat) *quod erat credibilius, dixit partus eſſe genera duo, alterum ſeptem menſium, alterum decem: ſed priorem aliis dierum numeris conformari,*

alijs poſteriorem. Eos vero numeros, qui in unoquoque partu aliquid adferunt mutationis, dum aut ſemen in ſanguinem, aut ſanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertitur, inter ſe collatos, rationem habere eam, quam voces habent, quæ in Muſica Symphonæ vocantur. Diſertè ecce ad partum refert: quod etiam latiùs diducit & explicat. Videndus quoque Gellius lib. III. cap. x. ubi Ariſtidis Samii ſententiam explanat. Ego breviter rem totam ita illuſtrem, face hac, quam accenſum eo à Cenſorini igne. *Harmoniæ Muſicæ* (de primis & ſimplicibus ago) tres: Diateſſaron, Diapente, Diapaſon. Diateſſaron, illa eſt (uti Cenſorinus ipſe definit) *quæ duorum tonorum & ſemitonij habet Diaſtema.* Diapente, *quæ trium & ſemitonij.* Diapaſon, *cujus Diaſtema continet harmonias duas priores.* At *Partus*, ex Pythagoræ ſententia, duplex. Vel enim editur CCX. die poſt conceptionem: vel CCLXXIV. Dies prioris ita cum Muſica conveniunt: Sex diebus primis humor lacteus eſt: deinde proximis octo ſanguineus. qui octo ad

pri-

primos ſex computati Diateſſaron faciunt, primam ſymphoniam. Pythagoras enim chordas ponderibus tendendo, deprehendit (utar Cenſorini verbis) *tunc duas chordas concinere id, quod eſt Διὰ τεσσάρων, cùm earum pondera inter ſe collata rationem haberent, quam tria ad quatuor. quem, Pthongum Arithmetici, Græci Ἐπίτριτον vocant, Latini Supertertium.* Sic in editione Aldina eſt: aliàs, *quam, Pthongum Arithmetici, Græci, &c.* Sed utrobique confunditur vera lectio. Qui enim conſonantiam Diateſſaron Arithmetici Pthongũ appellãt, aliter Græci, deinde & Latini; cùm illi ipſi Arithmetici Græci vel Latini fuerint; vocabulúmque Pthongi origine Græcum, uſu Latinum hic uſurparint? Diſtinguam igitur, & interpunctione nova reſtituam veterem ſenſum: *quem Pthongum* (Diateſſaron) *Arithmetici Græci Ἐπίτριτον vocant, Latini Supertertium.* Ad rem. Planè conſtat, octo cum ſex collata Diateſſaron conſtituere. quippe cùm octonarius ſenarium, ſicut quaternarius ternarium (qui ſunt numeri Diateſſaron)

ſemel contineat & tertiam ejus partem. Vlteriùs. Diebus novem ſequentibus humor eſſe deſinit, fitque caro: atque hi dies cum iiſdem illis ſex primis poſiti, ſecundam ſymphoniam conſtituunt. Nam ſicuti tria & duo (qui numeri faciunt Diapente:) ita novem & ſex ſeſquialtera proportione diſtant. Denique duodecim ſuccedentibus diebus corpus univerſum formatur. qui duodecim cum ſex item primis collati, reddunt Diapaſon, proportione nimirum duplâ. Omnes verò hi dies ſimul juncti triginta quinque conficiunt. Matureſcit reliquo tempore partus ad diem uſque ccx. quo editur. Nam ſi ſenarius ille primus, qui non gignendi ſolùm, ſed etiam matureſcendi fundamentum eſt, cum triginta quinque multiplicetur, decem & ducenta inveniam. Alter partus majori numero continetur, ita ut poſt ſeptem primos dies prima mutatio contingat; atque (cõpendio dicam) proportione deincipiti, triginta ferè diebus infans tandem membretur. Vnde in Græcia dies iſte

qua-

quadrageſimus notatus, ante quem prægnans in fanum non prodibat. *Hi itaque* XL. *dies* (Cenſorinus ſic ſcribit) *per ſeptem initiales multiplicati, fiunt dies* CCXXC. *id eſt, hebdomades* XL. *Sed quoniam ultimæ illius hebdomadis primo die editur partus, ſex dies decedūt, &* CCLXXIV. *obſervantur.* De utroque partu intelligendus fortaſſis Apuleius: reprehendendus tamen in eo, quòd Platoni hanc doctrinam tribuit, quam inter antiquos Pythagoras primus promulgavit. Imò reprehendendus tu fortè Silvatice, ſubjecit Septalius, qui à ſententia ſua Apuleium aliovorsùm temerè corrigendo trahis. De ſtabilitate connubiorum haud dubiè hæc verba ſcripſit. Nam quòd ait: *cujus futuram ſtabilem fidem credit, ſi cum harmonia Muſicæ dierum conſonent numeri*, id explicem, non emendem. Acutè tu quidem emendaſti, verè ego, ni fallor, explicabo; & dicam: *ſi cum harmonia Muſicæ dierum conſonent numeri*: id eſt, ſi anni contrahentium matrimonium cum intervallis illis Muſicis, de queis egiſti, reſpondeant. Doctrinæ

hujus fundamentum in Heſiodo invenies. Ariſtoteles quoque huc reſpexit, in Politicis ſcribens : *Puellas quidem circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradere congruit; maſculos autem circiter ætatem annorum ſex & triginta. In hoc enim tempore, & vigentibus corporibus conjungētur, ac procedente tempore ſimul deſinent procreare poſſe.* Videlicet quia proportio dupla inter hoſce annos, quæ perfectiſſima eſt.

Plato igitur, à quo Apuleius hæc ipſa deſumpſit, legitimum nuptiarum tempus in viris ab anno xxx. ad xxxvi. in puellis à xvi. ad xx. exiſtimavit: nec confusè tamen, & promiſcuè inter hoſce terminos; ſed ut præfiniti contrahentium nuptias anni proportione aliqua Muſica conveniant atque conſonent. Itaque ſi vir uxorem ducere velit, annos ſuos & ſponſæ numeret: item ſi nubere puella velit, annos ſuos & ſponſi numeret: primùm ut ætas legitima & præſcripta ſit; deinde ne anni malè concordes. Aliàs irato GENIO, aut uxor non pariat, aut brevis vitæ, aut

inſi-

---inſignitos pueros pariat: poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut petum, aut brocum filium.

Et, quod oriri hinc ſolet, ipſum connubium, ſi non divortio dirimatur, certè diſſenſione, fribuſculo, litigiisq; turbetur: & novâ Viriplacâ opus ſit ad componendum. De qua Dea Valerius Maximus, Lib. II. cap. I. *Quoties verò inter virum & uxorem aliquid jurgij interceſſerat, in Sacellum Deæ Viriplacæ, quod eſt in Palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes revertebantur.* Quæ omnia ut evitentur, & ſecundùm Philoſophi ſententiam, Apuleii verba, *tempeſtiva conjunctio* ſit, numeros annorum ad Harmoniam redactos in GENIALIBUS tabellis repræſento.

Eæ geminæ ſunt: altera Maſculina, quâ Vir uxorem eligit: altera Feminina, qua mulier maritum.
In priori tabula, Ætas Viri numeris Romanis; fœminæ, Barbaris notatur: In poſteriori, contrà.

TABVLA MASCVLINA.

		Ann.	Mens.
	Diateſſ.	22.	6
XXX.	*Diapente*	20	
	Diapas.	15	
	Diateſſ.	23	3
XXXI.	*Diapente*	20	8
	Diapas.	15	6
	Diateſſ.	24	
XXXII.	*Diapente*	21	4
	Diapas.	16	
	Diateſſ.	24	9
XXXIII.	*Diapente*	22	
	Diapas.	16	6
	Diateſſ.	25	6
XXXIV.	*Diapente*	22	8
	Diapas.	17	
	Diateſſ.	26	3
XXXV.	*Diapente*	23	4
	Diapas.	17	6
	Diateſſ.	29	3
XXXVI.	*Diapente*	24	
	Diapas.	18	

TABV-

TABVLA FEMININA.

		Ann.	Mens.
	Diateſſ.	21.	4
XVI.	*Diapente*	24	
	Diapas.	32	
	Diateſſ.	22	8
XVII.	*Diapente*	25	6
	Diapas.	34	
	Diateſſ.	24	
XVIII.	*Diapente*	27	
	Diapas.	36	
	Diateſſ.	25	4
XIX.	*Diapente*	28	6
	Diapas.	38	
	Diateſſ.	26	8
XX.	*Diapente*	30	
	Diapas.	40	

Tabellas has videtis? In priori ſeptem nuptiales ſuos annos vir numeret, XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. qui, verbi cauſſa, ſi annos natus XXX. & harmoniam Diateſſaron conſtituere cum uxore velit; eam ducat

cat annorum XXII. menſium VI. Si Diapente;ducat annorum XX. Si Diapaſon; annorum XV. Ac ſic deinceps per reliquos ſex annos annotatos. In poſteriori quinquenuptiales ſuos annos mulier præſcriptos habeat, XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. quæ ſi exempli quoque gratia, XVI. annorum ſit, & maritum ſibi harmonia Diateſſaron conjungi cupiat; nubat annos nato XXI. menſes IV. Si harmonia Diapente; annos nato XXIV. Si Diapaſon; annos nato XXXII. Atque ita in reliquis quattuor annis, tabella dirigente. Si uterque fecerit, *cum harmonia Muſica*, uti Apuleius ſcribit, *dierum conſonabunt numeri: & qui de talibus nuptiis erunt orti, ſtudiis congruentibus imbuentur, & optimis diſciplinis communi præceptorum magiſterio docebuntur, non virile tantummodo, verùm etiam feminarum. quas vult Plato omnibus partibus, quæ propriè virorum putantur, conjungendas eſſe; bellicis etiam, quippe, cùm utriſque natura una ſit, eandem eſſe virtutem.* In laudem iſta Plato muliebris ſexus: in favorem ejuſdem lubens etiam addo;

& la-

& labeculam eluo, quæ periodi hujus faciem aliquantùm hactenus deformat. Legitur: *non virile tantummodò, verùm etiam fœminarum.* Emendo, *non virili tantummodò* auferendi caſu, ſcilicet magiſterio, quo docebuntur, qui de talibus nuptiis erunt orti. Huc enim referendam ſententiam, verba illa indicant: *communi præceptorum magiſterio.* Non diſplicuit emendatio. Sed ego etiam urgens, Quæſo, inquio, quoniam operam hanc aggreſſus es, illuſtra quæ in eodem Apuleii loco caliginem mihi objiciunt, & involvunt ſenſum. Quænam illa? ait Septalius. *Quæ propriè virorum putantur*, inquio. Nonne bellica iſta ſunt? at hæc ipſa mox diſiunguntur, aut potiùs adjunguntur. Sic enim Apuleium citaſti: *Quas vult Plato omnibus partibus, quæ propriè virorum putantur, conjungendas eſſe bellicis etiam.* Quæ igitur iſta Virorum propria? Varia, inquit Septalius, ſicuti negotia aut ſtudia quoque pacis. propria tamen; ſed ita, ut bellica magis: & ad hæc rariùs mulieres admotæ ſint, quàm ad iſta.

iſta. Varia dico, inter quæ Gymnaſtica inprimis Plato intellexit, qui ad felicem Reipubl. ſtatum facere cenſuit, ſi mulieres unà cum viris nudæ in Palæſtris, atque Gymnaſiis exercerentur. Lubricum hoc quidem, quicquid Plato ſtatuerit: apud Spartanos tamen olim uſurpatum. Propertius meminit:

Multa tuæ Sparte admiramur jura Palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona Gymnaſij;
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros;
Cùm pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & verſi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera pancratico,
Nunc ligat ad ceſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Lycurgus enim, ut eſt apud Plutarchum, τὰ μὲν τοι σώματα τῶν παρθένων δρόμοις, καὶ πάλαις, καὶ βολαῖς δίσκων καὶ ἀκοντίων διεπόνησεν, ut, quemadmodum in acri terra germen faciliùs à radice

editur.

editur: ſic in iſtis cum minori cruciatu partus, dum laboribus adſueſcunt induúntque corpori robur. Claudianus tangit, Panegyri de Mallii Torquati Conſulatu:

Spartanis potuit robur præſtare Lycurgus
Matribus, & ſexum leges vicère ſeveræ.

Tangit & Xenophon de Repub. Lacedæmoniorum: Cicero, in Tuſculanis: aliiq;. Sed hæc aliena à moribus ſanctiſſimis Romanorum, apud quos diverſa & diſcreta virorum fæminarúmque ſtudia ſive munia. Illi rei bellicæ dabant operam & litterariæ; hæ domeſticæ: Illi in Gymnaſio, hæ domi, lanam exercebant, telam texebāt, veſtem conficiebant, idque ſive ad teſtificandum diligentiam ſuam, ſive ad exemplum, in ipſo atrio domus. Sic me ex Arnobio ornamentum Antiquitatis LIPSIVS docuit: *Matres familiæ veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas.* In atrio, id eſt, in primore parte ædium. Sic Vitruvius ait: *In urbe atria proxima januis*

eſſe

eſſe debent. Nam janua propriè primus ædium aditus eſt, à Iano Bifronte dicta, cui omne principium Antiquitas conſecravit. Intra Ianuam oſtia ſunt, ſeu valvas habeant ſive fores: antè, veſtibulum, cujus vocabuli originem A. Gellius quærit: ego à Veſta lubens derivem, Ovidio in Faſtis ita ſuggerente:

Hinc quoque veſtibulum dici reor, unde precamur,
Quam ſamur Veſtam, quæ loca prima tenet.

Sed ne incautus Sermonem hunc lentè ducentem & abducentem ſequar, ſubſiſto & conquieſco. Saccus interim tabulam annorum Nuptialium acceperat, & numeros perſecutus, vereor, inquit, ut iſti tui anni locum publicè inveniant; imò ut computentur apud probos doctóſque. Agnoſcis Venerem hujus ævi? hujus Cypri? Nullæ eam leges contineant, nulla vis honeſti, nulla ratio ætatis: quin, ruptis ſanctiſſimi Pudoris repagulis, ipſi pueri conſurgunt ad Pigiaca ſacra: & ad Nuptias properant

pænè

pænè capillati. Ego interrumpens, Mirum, inquam, quin calvi aut cano capite ſenes properare debeant; ſi non debeant capillati. Iterum Saccus: Capillatos latinè impuberes vocavi, ſive eos, qui ad generationem inepti. Nam pueri olim non radebantur; ſed comam alebant ſignum impubertatis. Id teſtimoniis paucis, ſed probis confirmo. Perſii:

---quibus indetonſa juventus
Invigilat ſiliquis, & grandi paſta polenta.

Ecce indetonſam vocat juventutem, haud dubiè impuberes. Petronii: *Videmus ſenem calvum tunica veſtitum ruſſea inter pueros capillatos, ludentem pila.* Ejuſdem: *Aquam popoſcit ad manus, digitosq; paullulum aſperſos in capite pueri terſit.* Martial:

Et pædagogo non jubente laſcivi
Parere gaudent villico capillati.

Ejuſdem Poëtæ:

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura dolorq; ſui,
Vix tangente vagos ferro reſecare capillos

Doctus, & hirſutàs excoluiſſe genas.
Itaque Capillatos rectè impuberes dixi, aut proximos pubertati, quibus tu Septali, Nuptiarum iſtos terminos arctos, & in mediam ætatem rejectos fruſtrà præſcribas. Ita dico, fruſtrà: cùm ad connubium viam breviſſimam habeant, tritam, allicientem, & Legibus probatam. Sed ne longùm recitem Leges, in illo Legum tyrocinio legas: *Iuſtas autem nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, qui ſecundùm præcepta legum coëunt: maſculi quidèm puberes, feminæ autem viripotentes.* Pubertas autem hodiè ex annorum ſpatio: olim ex habitu quoque corporis definiebatur. Anni in maſculis à XIV. in fæminis à XII. numerantur: citiùs in fæminis ſcilicet, quod in iiſdem calor naturalis, qui generationis cauſſa eſt, priùs complementum ſuum habeat, ſive effectum. cujus rationem Macrobius inquirens, Lib. VII. cap. VII. partim calori muliebri tribuit: *Nec hoc tacebo, quod cùm calor ſemper generationis cauſſa ſit, fæminæ ideò celerius quàm pueri fiunt idoneæ ad generandum,*

quia

quia calent amplius. Nam & ſecundum jura publica duodecimus annus in fœmina, & quartus decimus in puero definivit pubertatis ætatē. Partim frigiditati earundem: *Quod citò admoventur* (fæminæ) *generationi, non nimij caloris, ſed naturæ infirmioris eſt: ut exilia poma celerius matureſcunt, robuſta ſerius. Sed ſi vis intelligere in generatione veram rationem caloris: conſidera viros longè diutius perſeverare in generando, quam mulieres in pariendo. Et hæc tibi ſit indubitata probatio in utroque ſexu vel frigoris vel caloris. Nam vis eadem in frigidiore corpore celerius extinguitur; in calidiore diutius perſeverat.* Sed ex habitu quoque corporis definitam olim pubertatem Tribonianus clarè: *Pubertatem autem veteres quidem non ſolùm ex annis, ſed etiam ex habitu corporis in maſculis æſtimari volebant.* Sed cur in maſculis? num igitur fæminæ ex habitu corporis non dignoſcebantur? imperitiam Triboniani video, ſi ita ſenſerit; imò errorem manifeſtum, ni ſic ſenſerit. Nam ut diſtinguat, & habitum corporis in fæminis ad honeſtam ali-

quam indagationem, in maſculis ad inſpectionem nudam & obſcœnam habitudinis corporis (ſicuti refert,) referat, merum figmentum eſt, contra mores & locutionem priſcam. Contra *mores*, Romanos dico, (de Græcis enim ambigo) quos ſanctiores fuiſſe ego ſcio, quàm ut hanc turpitudinem palàm exercuerint. Ad oculos caſtos provoco. quid inſpectione iſtâ fœdius? quid inverecundius? puer detectus, aut potiùs nudus inſpicitur, judex inſpicit, eámque corporis partem, quam natura ipſa tegendam ſuggerit & velandam. Iudex inſpicit; ſed quid ſi lippus, aut oculis æger cernere nequeat: manum demittit in ſinum, & pertractans vaſculum puerile, judicat de Pubertate? O fœdum figmentum! haud curiâ, ſed fornice: haud judice, ſed lenone dignum. Originem ejus, ſuggerente Rævardo, video. Platonem Tribonianus audierat, convenientem ætatem ad nuptias per judicem nudos omninò mares, nudáſque pubetenus fœminas inſpicientem definire. Hinc cùm in Iuriſcon-

riſconſultorum libris habitum corporis legeret, continuò ad inſpectionem illam Platonis referebat, contra *modum* etiam *loquendi* Romanum, qui habitum corporis formam, & univerſi corporis quandam diſpoſitionem vocant. Suetonius, in Iulio: *Talia agentem atque meditantem mors prævenit. de qua priuſquàm dicam, ea quæ ad formam & habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad civilia & bellica ejus ſtudia pertineant, non alienum erit ſummatim exponere.* Cicero, pro Cœlio: *Quinctus Metellus, cùm floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, ereptus eſt civitati.* Petronius: *Conſedit puer ſuper lectum, & manantes lacrymas pollice expreſſit. Perturbatus ego habitu fratris, quid accidiſſet quæſivi.* Apuleius, Lib. I. De Aſino. *Tu autem, inquit, vir, ut habitus & habitudo demonſtrant, ornatus accedis huic fabulæ.* Paullò aliter Agrætius: *Habitum de veſtitu geſtúque corporis dicimus.* Clariſſimè Servius ad illa Vergilii:

Sola domum, & tantas ſervabat filia ſedes,

Iam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Non eſt, inquit, *iteratio, ſed ſecundum jus locutus eſt, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur.* Ecce habitum corporis ad fœminam refert; quæ tamen ipſa à judice (uti mox ſtabiliam) non conſpiciebatur nuda. Etiam ultrà arguo; Habitus corporis, ex quo ait Servius utriuſque ſexus pubertatem definiri (γενικῶς enim loquitur) inhoneſtam illam inſpectionem ſignificat; vel non ſignificat. Si non, convici: ſi ſignificat, in fæminis quoque admittenda iſthæc eſt inhoneſtas; quod ipſe Tribonianus, Imperatoris ſui nomine baſilicè ſcribens, expreſſiſſimè negat: *Noſtra autem Majeſtas dignum eſſe caſtitate noſtrorum temporum exiſtimans, benè putavit, quod in fæminis etiam antiquis impudicum eſſe viſum eſt, id eſt, inſpectionem habitudinis corporis, hoc etiam in maſculos extendere.* Sanè impudicum viſum eſt; nec in fæminis tantùm, ſed etiam in viris: ut fruſtrà & ſine ulla omninò cauſſa extendatur. In utriſque enim antiquitùs

ne

non ex annis tantùm, ſed ex habitu corporis pubertas cenſebatur, ſimili, ſed honeſto quodam ritu; quem reſpexiſſe Galenus mihi viſus, qui, dum impuberi negat incidendam venam, cognoſci pubertatem aſſerit ex diſpoſitione corporis, duritie carnis, colore, lanugine, voce, ſimilibúſque aliquibus propriis, atque communibus ſignis. Conticuit Saccus; & ſubjiciens Septalius, Quod tu de tabulis meis, id ego de hoc tuo ſermone: probum quidem eſſe, ſed non probandum vulgo; Tu videris. Ego, ad meos annos quod attinet, non verebor eos vel publice, & in ipſis, ut ſic dicam, Roſtris aſſerere momentum maximum ad connubiorum ſtabilitatem: cautionem tamen addam; ut in priori tabula illi mulierum anni ſumantur ſolummodò, qui nec ultra vigeſimum ſunt, nec infra decimum ſextum: in poſteriori, illi ſimiliter virorum tantùm, qui nec infra trigeſimum, nec ultra trigeſimum ſextum. Nam licet omnes harmoniam ſuam faciant; ſunt extra terminos tamen

à Platone præſcriptos. Quare harmonia Diateſſaron nullo modo, Diapente vix, Diapaſon non omninò quoque recipitur. Et ſanè ſi rationem Symphoniæ excuſſeris, haud temerè idipſum improbes aut damnes. Ternæ illæ quidem harmoniæ proportione ſua conſtant; dulcedine tamen inæquali. Perfecta enim Diateſſaron; perfectior Diapente; perfectiſſima Diapaſon. Sed ſatis jam hæc interpoſuiſſe: & præter fructum GENIALIS ſermonis, Lucio veterem orationis ſuæ formam reddidiſſe: non ad partum tantùm, ſed ad nuptias etiam ſpectare Muſicam oſtendiſſe. cujus (no ſermonem ſæpius reciprocemus) plenum elogium, præter Platonem, Ariſtotelem, Plutarchum, Boëtium, alióſque; & quantam cum homine conjunctionem habeat, verè graviterque Cenſorinus perſcripſit. & ſimul poſcens librum, iſta legit. *Nec verò incredibile eſt, ad noſtros natales Muſicam pertinere. hæc enim, ſive in voce tantummodò eſt, ut Socrates ait; ſive, ut Ariſtoxenus, in voce & corporis motu; ſive in his*

bis, & præterea in animi motu, ut putat Theophraſtus; certè multum obtinet divinitatis, & animis permovendis plurimùm valet. Nam niſi grata eſſet immortalibus Dis, qui conſtant ex anima divina; profectò ludi ſcenici placandorū Deorum cauſſa inſtituti non eſſent : nec tibicen omnibus ſupplicationibus in ſacris ædibus adhiberetur; non cum tibicine triumphus ageretur; non Apollini cithara, non Muſis tibiæ, cæteráque id genus eſſent attributa; non tibicinibus, per quos numina placantur, eſſet permiſſum, aut ludos publicè facere, ac veſci in Capitolio, aut Quinquatribus Minuſculis, id eſt, Idibus Iuniis, urbem veſtitu quo vellent perſonatis, temulentiſq; pervagari. Intermiſſa hic lectione Septalius nos reſpexit; librúmque convolvens, Licétne interfari? inquit. Nobis annuentibus, Pro *Quinquatribus Minuſculis*, quid ſi *Munuſculis* dicam? à muneribus ſcilicet mittendis : quod factitatum hoc die à Matronis Romanis ſcimus, Plauto clariſſimè indicante:

Dicat (uxor,) *da mi vir Kalendis meam quod matrem juverit.*;

Da qui faciat condiátque, da quod dem Quinquatribus
Precatrici, Conjectrici, Ariolæ atque Haruſpicæ:
Flagitium eſt ſi nihil mittetur.

Imò flagitium, non ſine riſu ſubjecit Saccus, ſiquid hîc mutatur. *Minuſculis* ſanè in Cenſorino retinendum, & ſtabiliendum. Duplices olim Quinquatrus (neque enim Quinquatria dicam) fuêre: Majores & Minuſculæ. Vtræque poſt diem v. Eid. unde & vocabuli error ſive origo. Iſtæ Martio: hæ Iunio menſe celebrabantur. De iſtis Plautus: de hiſce verò Cenſorinus accipiendus hoc loco. Ex Varrone id confirmo, & fragmento Feſti. Varro ait, Lib. v. de L L. *Quinquatrus Minuſculæ dictæ Iuniæ Eidus ab ſimilitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniūt in ædem Minervæ.* Feſtus: *Minuſculæ Quinquatrus appellantur Eidus Iun. quod is dies feſtus eſt tibicinum, qui colunt Minervam, cujus Deæ proprius feſtus dies eſt. Quinquatrus* (ſimpliciter de Majoribus dicebantur, atque ita in dicto jam

loco

loco uſurpavit Plautus) *menſe Martio.* Ego excipiens, Bona iſta, inquam. Sed hoc nunc ſcire etiam cupio, cur religio tibi *Quinquatria* nominare? Sive uſum reſpicio, Genus id obtinuit; ſive auctoritatem, Ovidius uſurpavit. An te fugit ille verſus? *Ne te decipiant veteris Quinquatria cera.* Saccus leni voce, Vſum linquamus, inquit, abuſus eſt. & Ovidii verſus audacter corrigendus: *Ne te decipiant veteri cuncta atria cera.* Poſtquam laudatione inſecuti correctionem hanc Sacci fuimus, denuò Cenſorinum ille explicas quod reliquum erat cœpit legere. *Hominum quoque mentes, & ipſæ (quamvis Epicuro reclamante) divinæ ſuam naturam per cantus agnoſcunt. Denique, quò facilius ſufferant laborem, vel in navis metu à vectore Symphonia adhibetur. legionibus quoque in acie dimicantibus etiam metus mortis claſſico depellitur. Quamobrem Pythagoras, ut animum ſua ſemper divinitate imbueret, priuſquàm ſe ſomno daret, & cùm eſſet experrectus, cithara, ut ferũt, cantare conſueverat: & Aſclepiades Medicus Freneticorum mentes morbo turbatas ſæpè*

per

per Symphoniam ſuæ naturæ reddidit. Erophilus autem artis ejuſdem profeſſor venarum pulſus rythmis muſicis ait moveri. Itaque ſi & in animi, & corporis motu eſt Harmonia, proculdubio à natalibus noſtris Muſica non eſt aliena. Deſierat, cùm ego delectatus tam GENIALI ſermone, O liquorem ſuaviſſimi tui oris! inquam, cur perennem non habeo, & haurio? cur poſt guſtum hinc divellor, per novas itineris curas? Quid, malum! ait Saccus, in motu etiamnunc es, & momento nos linquis? Invitus, & non invitus, inquio: nec enim meta mihi hæc urbs, ſed ſpatium eſt: non in portu hîc conſiſto, ſed in medio mari. etiam dico? Quievi poſt tempeſtatem, & nunc iterum navem expedio. Saccus erugatâ fronte, Fixus hîc apud nos, Puteane, animus tuus, inquit;

Remigio velóque quantum poteris feſtina & fuge,
Quàm magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.

Inſpicienda tibi penitùs, & cum otio hæc civitas, in qua multa profectò videbis,

debis, quæ notes: notabis, quæ ad uſum cum fructu referas. Cognoſcendi eruditione nobiles, nobilitate illuſtres hujus urbis viri. Princeps ipſe noſter adeundus tibi & ſalutandus: cujus ſi humanitatem inſpicis, idipſum audeas; ſi doctrinam, & virtutem, debeas; ſi proſapiam, famam, & nobilitatem, appetas. Nam humanitas (præfiſcinè dixerim) neminem unquam reſpuit; doctrina & virtus ignotum quemque trahunt; proſapia, fama, & nobilitas exterum quemque alliciunt. Ego excipiens, Priuſquàm proficiſcar, inquam, adibo, ſalutabo, & tot Virtutes coràm venerabor. Sed tu obſecro, cur tam luculentum elogium neſcio quâ verbi nubeculâ involvis, & ſermoni demis lucem? Egóne inquit Saccus. Tu næ, inquio, tu, tu; ut jam tibi noctua videar: aut explica quid *præfiſcinè* ſit. Saccus non refugiens, *Præfiſcinè*, inquit, verbum elegans, probum, priſcum; verbum multi ponderis, occulti valoris: dictum quaſi præter faſcinum: niſi malis à præfando, faſcini cauſſa. *Faſcinum* certè

& fas,

& fas, ut eſt in Feſti compendio, *à fando nominantur*. Vſurpare ſcitiſſimè antiqui ſolebant, cùm impenſiùs quempiam laudabant. Sic Apuleius de ſe ipſe, Lib. III. Florid. *Gratum eſſe populo, placere ordini, prolati magiſtratibus & principibus: id, præfiſcinè dixerim, jam quodammodò mihi obtigit.* A laude enim periculum quodam faſcini. Tertullianus ſic ſcribit, lib. de Velandis virginibus: *Nam eſt aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod faſcinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris eventum.* Titinnius: *Paula mea, amabò pol tu ad laudem addito præfiſcinè, ne puella faſcinetur.* Hinc ex Plinii Naturalis Hiſtoriæ VII. A. Gellius refert, *eſſe quaſdam in terra Africa familias hominum, voce atque lingua effaſcinantium; qui ſi impenſiùs fortè laudaverint pulcras arbores, ſegetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes paſtu atque cultu opimas, emoriantur repentè hæc omnia, nulli alij cauſſæ obnoxia.* In Hiſpania etiam hodiè, poſt laudationes puerorum, manum conſtrictam, inſerto inter indicem & medium digitum pol-

lice,

lice, protendere ſolent; atque ſubjicere, *Higa para vos*; verba (ſicuti & ipſe geſtus) contemptui, injuriæ & ignominiæ nata: ut ſcilicet vituperio iſthoc, ceu amuleto promptiſſimo effectum impediant atque averruncent laudis. An non è more priſco? omnino, ſive geſtum, ſive cauſſam ſpectes. Ad geſtum illud Iuvenalis, etſi aliter alii explicent, referre audeo,

---- *mediúmque oſtenderet unguem.*

Ad cauſſam, quod olim Phallos è collo pueri gerebant, haud dubiè faſcini vitandi cauſſa. Varro lib. VI. de L. L. *Puereis turpicula res in collo quædam ſuſpenditur, nequid obſit bonæ ſcævæ cauſſa.* Res turpicula igitur, ipſe ſcilicet Faſcinus, quem infantium cuſtodem appellat Plinius. Invenio etiam *Præbia* Varroni dicta: *Præbia à præbendo, ut ſit tutum; quod ſint remedia in collo puereis.* Quid verbis utor? rem ipſam videbis, ipſos inquam Phallos inter Antiquitatis cimelia paſſim invenies. Sed nunc à priſco illo ritu formulam in hac urbe tritam, & cui aliàs Oedipo opus conjectore ſit, qui Sphyngi interpres

terpres fuit, explico; qua puerorum paſſim laudes & commendationem fœminæ proſequuntur: *De ſalditch per non feſnar:* quaſi *Dio sà, s'io lo dico per faſcinarlo:* id eſt, *Scit Deus, an dicam faſcinandi cauſſâ.* haud aliter, quàm Antiqui *præfiſcinè.* Hic ego, Lepidè hoc fit, inquam; non ad cœnam modò huc veni, ſed ad reliquias variæ doctrinæ, quas vobis miniſtrantibus colligo, & capio ad animi mei guſtum. Modicè etiam, inquit Saccus, præut futurum eſt, ſi paullulùm hìc ſubſiſtas: ſed adeundus, uti monui, ille Princeps noſter, ut ſubſiſtas. Ille te ſuſcipiet, LIPSI tui cauſſâ: nec dimittet ſubitò, tua fortaſſis cauſſa. tu modò tene viam rectam, & ama bonam mentem, certus ſervari ad alta & ſublimia. Quid enim ſi Honor & Fortuna ipſa tibi arrideant in hac urbe? Ego haud cunctanter, Benigna iſta, quæ auguraris, inquam; ſed quæ ex parte tantùm probo. Videndi & diſcendi cauſſa lætus lubénſque hìc maneam: & tanti Principis juſſu ætatem etiam ſerviam. Lucrum verò aut ho-

nor

nor non me induant errantem, aut includant ſuis vinclis.

Qui quærit alta, is malum videtur quærere.

Et ſanè ad opes quod attinet (verecundè hoc dixerim) bellum hoc diuturnum (quod cum ruina univerſæ Patriæ ſuſtinemus) niſi obſtet,

Virtute Deûm, & majorum noſtrûm dives ſim ſatis.

Et tamen quid queror? ſi animus æquus eſt mihi, dives ſum ſatis: magis quàm Pici, qui aureos montes colũt. Sapienter id quidem, ait Septalius, & exemplo rariſſimo, ut nunc ubique mores ſunt. Nam

---multos jam lucrum lutulentos homines reddidit,

& honor mores hominum moros ac moroſos. Non uſui amplius, ſed ambitioni bona ſunt: nec haberi videntur, ſi non jactantur. Omnes hîc labimur ſtulti, & deflectimus à ſemita modeſtę virtutis. quam tu adoleſcens perge premere, ſpreto peccantium exemplo, & viam tibi ſterne ad beatiſſimum Tranquillitatis collem. Virtu-

G tem

tem ipſam Doctrinámque cole, non earum umbras. Ego gratiam Septalio pro adhortatione dicens, Qui monet, quaſi adjuvat, inquam: qui memorem monet, non dejuvat. Sic igitur & memor, & monitus ſermonem tuum amo, laudo, amplector. Inter hos ſermones Bellaria illata erant. quæ ne feriata diutiùs haberentur, Saccus increpans, Satis philoſophatum, inquit: hoc agite, ſumite, ne appoſita fruſtrà. De Puteani porrò itinere ALIO DIE. Leviter dein mihi quædam delibanti Silvaticus ait: animadvertiſtin' quomodo nulla mala hic, aut nuces, ſimiléſve horti dapes? Ego cùm circumtuliſſem oculos, Mirum hoc, inquam, & præter mores priſcos; imò noſtros. Olim in Bellariis Deæ Pomonæ opes. De nucibus Macrobius, lib. III. cap. XVIII. *Adhuc Furio dicente ſecundæ menſæ illata bellaria novo ſermoni principium dederunt. Symmachus enim duas attrectans manu nuces, &c.* De malis vulgatum dictum, *Ab ovo uſque ad malum.* Et Martialis, de univerſo genere:

--ſatu-

----ſaturis mitia poma dabo.

Idem de uvis, piris, caſtaneiſque diſtinctè:

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marceſcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum,
Et quas docta Neapolis creavit
Lento caſtaneæ vapore toſtæ.

Et hodie genus id fructuũ inter menſæ ſecundæ prima; hoc anni præſertim menſe; niſi ſpretum propterea quod obvium eſt; & Saccum noſtrum, novo atque adeò veteri morbo,

---magis illa juvant quæ pluris emuntur.

Nolim noſtra cauſſa. Nam ad me quod attinet, non pretio, ſed cibo victito; nec ſumptus, ſed cœnæ gratia huc veni.

---οὐχὶ ἢ τοῖς λαμπροῖσι γὰρ
Δείπνοις τὸ πεινῆν παύεται.

Itaque hortenſis ille apparatus placeat: & magis, quando ſuaviùs eſtur, quàm pluris quando emitur. Placeat, inquam, quando formam lepidam, colorem vivum, ſaporem nativum ſuum, non fucatum arte, non mora

mutatum poſſidet. Hic verò nunc formula Pliniana locum habet è libro XXVIII. HÆC VETERA SVNT, NOVA OPTAMVS. Silvaticus blando vultu, Non condemno hunc ſermonem, Puteane, inquit: ſed tamen ſcin'quid mihi in mente? Terpnus Citharœdus olim (Suetonio referente) Neroni poma vocis cauſſa interdixit, ut ad cantum ſcilicet aptaret & emolliret: vereor ne idem nobis hic fiat, & canendum nobis hoc noctis & pſallendum. Nec feſellit illum ſanè conjectura. nam mora non ita longa tranſacta, Saccus puerum advocans, teſtudinem popoſcit, quam poſtquàm Horatiano illo Sapphico affatus,

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata Teſtudo Iovis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi cunque ſalve
Ritè vocanti;

poſtquam dico affatus, tam accurata tamque volubili digitorum dexteritate nervos tetigit; tam ſuavem concentum edidit, intermiſcentibus pueris divinam vocem, ut putares intus

cane-

canere Sirenum concordiam. Cùm deſiiſſet, ad Septalium ſe convertit ſtupentem adhuc, & velut captum dulcedine Symphoniæ, &, hoc age, inquit, inſtrumentum ſume, cane, pſalle. Ille renuens, Chorum tu hîc nunc adornas, ut initium eſt. Apagè, diu & ſub Dio egò pſallo: ruri, non in urbe: in patulo, non in patinis: haud muto morem. In agro Muſica plenior, aura quietior; tum ſolitudo, ipſumq; illud ſilentium Muſis amicum. In ſolitudine cantillarunt principes olim Muſicæ & coriphœi,

Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion.

Homines quid memoro? aves ipſæ, quæ naturam non fallunt, hæc ſecretaria amant. Apuleius Lib. III. Florid. *Merulæ in remotis teſquis fringultiunt, Luſciniæ in ſolitudine Africana canticum adoleſcentiæ garriunt, Olores apud avios fluvios carmen ſenectæ meditantur.* Itaque quod apud Suetonium Nero, id ego hic dicam: *Flagitantibúſque cunctis cæleſtem vocem, reſpondit quidem in hortis ſe copiam volentibus facturum.* Saccus

cus non ſe diutiùs continuit,&,Itáne, inquit,alienum tu hunc locum? Nimirùm quia canendum tibi. Inſtrumentum cape, concentum miſce, ſenties non minùs in hac cœna, quàm in agri tui cœno vivere Muſas & vigere. Sed avicularum illam cohortem mihi objicis fritulantium, & minurientium ruri. Quid tum? Sedes ſuas iſtic habent, nos habuimus; ſed in cœtus civitatéſque coivimus, Ratione duce, ut brutorum velut conſortio, & uſu ſpreto, legibus & jure conſtringeremur, ad benè beatéque vivendum. Tu verò vide quid agas: ex urbe per agros nos diſpergis, & reducis ad belluinos mores & libertatem. At enim exemplo principum Muſicorum, Orphei & Arionis qui fecerunt, non ſequor: quia non ſponte illi ad voluptatem, ſed neceſſariò ad ſalutem niſi. *Quippe, ſi fides fabulis, Orpheus exilio deſolatus, Arion navigio præcipitatus. Ille immanium beſtiarum delinitor, hic miſericordium beluarum oblectator.* Quid longùm loquor? recuſare tibi per probiſſimum veterum morem

rem non licet, quem Valerius Maximus diſertè exprimit, Lib. 11. cap. 1. *Majores natu*, inquit, *in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderet. Quid hoc ſplendidius? quid etiam utilius certamine? Pubertas canis ſuum honorem reddebat, defuncta virium curſu ætas ingredientes actuoſam vitam favoris nutrimentis proſequebatur. Quas Athenas, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? inde oriuntur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Fabij: ac ne ſingula imperij noſtri lumina percurrendo ſim longior, inde inquam Cæli clariſſima pars Divi fulſerunt Cæſares.* Iſidorus, Lib. 11. orig. cap. xv. *In conviviis verò lyra, vel cithara, circumferebatur, & accubantibus ſingulis ordinabatur conviviale genus canticorum.* Quinctilianus etiam, lib. 1. inſtit. *Vnde etiam ille mos, ut in conviviis poſt cænam circumferretur lyra, cujus cùm ſe imperitum Themiſtocles confeſſus eſſet, ut verbis utar Ciceronis, habitus eſt indoctior.* Ego ſubjeci: Et nos igitur cum Themiſtocle

certè ego, cui rudes ineptiq; digiti ad diſcapedinandum. Saccus increpans, Fugis Puteane, inquit, hanc provinciam; non effugis. Si organicæ ignarus, *ᾆσαι πρὸς μυῤῥίνην.* Conſuetudo illa vetus (Plutarchus ſcribit) ut ſiquis in convivio Muſicæ imperitus Lyram recuſaſſet, ei ramus myrteus daretur (ſeu corolla fuerit) ad quem cantabat. Intereà, ne rogata Muſica videretur, Septalius inſtrumentum ultrà ceperat, & metodium ſuum incœperat, elegantiſſimum ſuaviſſimúmque. Sequitur Silvaticus, ſimilémque miſcet harmoniam, accedētibus delicatiſſimis puerorum minurientium vocibus. Tandem cùm ordo me poſceret, exclamans validiore voce Saccus, LAVRVM AN LYRAM? inquit. Detrectante me, & excuſationem jam parante, Cave ſis, inquit, vulgatum & vetus illud; AVT BIBE, AVT ABI; ne commutem pauculis litteris; AVT CANE, AVT ABI. Frangenda & rumpenda verecundia illa vocis: cantandum in tempore cum libertate. *Vt gladius uſu ſplendeſcit, ſitu rubiginat: ita*

vox

vox in vagina ſilentij condita, diutino torpore hebetatur. Dum hæc diceret, peropportunum horæ XVIII. audivi ſignum, & ſubitò accedens puer de more clamitavit horam. Quid dicam?

Mercurius Iovis qui nuncius perhibetur, nunquam æquè patri
Suo nuncium lepidum attulit.

Itaque recordatus formulæ, qua ad cœnandum Saccus invitarat; Si me urges, inquio: reddo tibi voces tuas: NE PERDAMVS NOCTEM. Cum applauſu exceptum reſponſum hoc meum: jámque remotis ſedilibus diſceſſum parabamus & domuitionem. Saccus adcurrens, & quemque retrahens poſtliminiò reduxit ad locum, fraudem GENIO fieri ſubinde iterans, ſi ſic abiretur. Ego ad limen Cœnaculi jam perveneram, & planè videbar evaſiſſe: ſed dum ſumendo pallium traherem aliquam moram, interim neſcio quis è familiaribus adduxerat oſtium, exemerátque raptim clavem. Coactus deinde reverti, increpatione quoque à Domino exci-

pior, quaſi auctor ſubiti motus, præter decorem primò ſurrexiſſem. Imò verò decorè, inquam, & exemplo noſtri ævi ſurrexi ac præceſſi hos ætate grandiores. Saccus ſuſcipiens, Benè noſtri ævi, ait. Nam Romani aliter, apud quos ætate minores poſteriùs, non accumbebant tantùm, ſed etiam ſurgebant. Valerium Maximum huc cito, ſic ſcribentem, Lib. II. cap. I. *Invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio eſſent interfuturi; ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent; ſublatáque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur.* Atque etiam deducebant domum. A. Gellius, lib. II. ca. XV. *A convivio quoque (ut ſcriptum eſt in antiquitatibus) ſeniores à minoribus domum reducebantur.* Dein Septalius cauſſam meam agens, Saccum rogavit gratiam canendi faceret, & poteſtatem abeundi. Et ſanè, inquit, quouſque nos detinebis? ALTERA jam HORA tranſacta eſt. Quod Cicero de ſermone; id de Muſica dicam; *Animadvertendum eſt etiam, quatenus delectationem habeat, & ut incipiendi ratio*

tio fuerit, ita ſit deſinendi modus. Benè Pindarus:

> Ἕπεται δ᾽ ἐν ἑκάστῳ μέτρον. νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.

Vt vini, ſiç cantus ſatias eſt. *Natura* (Apuleii lib. 11. Florid. verba ſunt) *quibuſdam avibus brevem, & temporarium cantum accõmodavit: hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis ſerum, ululis veſpertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum:* Sic noſter eſſe debet cum modo, & tempore finitus. *Quippe hæc animalia inter ſe vario tempore, & vario modo occinunt, & occipiunt carmine, ſcilicet galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obſtrepero, hirundines perarguto.* Tu ſi à prima luce canere occipias, concubium ſit noctis, priuſquam deſinas. Saccus ad has voces attonitus, & Septalium reſpiciens, Tu etiam contra me ſtas? inquit. Sto equidem, ait ille: ſic nos tenes, & premis imperio non bono. Advorſitores jam cum cereis venerant, qui admonebant ſomni. Itaque, Silvatico nobiſcum ſe quoque jungente, Hæc quidem conſpiratio

eſt,

eſt, inquit Saccus, quæ ne longiùs ſerpat, aut erumpat in Muſarum aut GENII malum, miſſionem faciam, imperium abdicabo; & ſimul exclamans, DISCEDITE QVIRITES, inquit, ATQ. ARMA DEPONITE. Ridentibus nobis ob ignominioſam miſſionem, Imò ſumite, inquit; ut tuta vobis in hiſce tenebris domuitio & defenſa contra rapacem aut furacem manum. Placuit conſilium, ſumpſimus, ivimus. Atque ita ad veſtibulum nos uſque Saccus ſecutus, mactos eſſe cœnula juſſit, & amplexu dimiſit.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA II.

MVSATHENA,

SIVE

Septem diſcrimina vocum.

Ad Perilluſtrem V.

IO. VINC. PINELLVM.

FAMÆ Primitias collegeram, IO. VINC. PINELLE, Vir inter optimos nobiliſſime, inter nobiliſſimos optime, inter utroſque doctiſſime; & in manus numerò (ne ſtudiorum meorum ager Novalis eſſet) ſtilum reſumpſi, ruriſq; nego-

negotium, arando, ſerendo, occando, ſarriendo egi; etſi leviter, longo morbi languore fractus, & exhauſtus. Sic & levia laboris præmia ſunt: SEPTEM DISCRIMINA VOCVM: quæ tamen, priuſquam publicè promo, tibi ſollemni ritu ſacratum ſive libatum eo, debita tuæ privatæ in me, dicerem & publicæ in Litteratos omnes benignitati, niſi communi cauſſæ muneris vilitate prævaricari viderer. Non ad Amicitiam me tantùm, ſed ad Larem etiam vocas: haud indignum liberalitate tua ratus; quem tam benignè SACCVS, SEPTALIVS, SILVATICVS, ipſeq; Provinciæ Gubernator complexus erat. Sanè benefica, ſed & magnifica iſthæc invitatio tua; & cum inſigni meo honore commodóque conjuncta. Nimirum ſine fructu Virtutis atque Doctrinæ magnorum familiaritas, domeſtica inprimis, eſſe non poteſt; & ſicuti illi qui in ſolem veniunt, aut colorem mutant, aut urentem ſentiunt calorem: ita nos, qui amœno Eruditionis rore tincti, dum vobis magnis utimur,

aut

aut dotes aliquas amando in nos derivamus,aut deſiderium aliquod concipimus admirando. De me, ne aliena ſcruter, exemplum capio,cui LVDOVICI SEPTALI doctiſſimi hominis, & quod inter laudes ejus pono, tui amiciſſimi conſuetudo, & ſtimulus ad omne genus Virtutum fuit, & publicè (amici cauſſa dicam) ad opinionem litterarum tantum valuit, ut in limine hoc Italiæ à pleriſque amari, à te vocari etiam meruerim, id eſt, maximo honore, & ſingulari beneficio decorari. Hæc cùm ita ſint, hoſtimentum aliquod reddere magis cupio, quàm reddo. Inter pares enim beneficiorum concertatio eſt: tuum hoc in me meritum, ut majeſtate excellit, ita mutuum non admittit. Ne tamen contemptione ipſius mei declinare gratiam videar, pignoris ſive arræ loco ad humanitatis tuæ aram Sterilem hanc meſſem, MVSATHENAM inquam, Amoris & Officii bijugo plauſtro adveho, quam in horreum illud librorum tuorum condas; imò verò ad aream opportunè depromprom-

promptam lectionis tuæ tribulo tritures & excutias; judicii tui vanno ventiles & purges: ut inſpicias & cenſeas inſcriptum tibi librum, dignum ſive indignum luce, & uſu publico, ſi vel dignum vel indignum judicabis. Vale Perilluſtris Vir, & PVTEANVM tuum exſpecta.

CAPVT I.

Diſſertatiuncula de ortu & occaſu Muſicæ priſcæ. Noſtram ſubnatam & imperfectam eſſe. Quid, Muſathena. Calliopen propriè huc facere. Palladem pro ſeptenario numero uſurpari.

FARI quis vetat, aut vetat fateri;
Indoctus niſi bardus atq; blennus,
Quondam munere Muſicam Deorũ
Cælo terrigenis datam; ſed orbis
Et ævi vitio malignioris
Contemptam repedaſſe? turpe dictu:
Ars poſtquam periit, placere cœpit,
Et quivis ſtimulis premi relictis,
Non poſtliminio ut melos vetuſtum

Cælo

Cælo duceret; at ſuperbiore
Suppleret ſtudio melos vetuſtum.
Sic Ars nata notha eſt, placetq; nata.
Fari quis vetat, aut vetat fateri,
Indoctus niſi bardus atque blennus?

MVSATHENAM carminis auſpicio ordior, in veterem quandam felicitatis imaginem, in novam facilitatis, dilapſam ac fractam daturus Muſicam noſtri ævi. Hodiè enim in umbra tantùm priſcæ illius artis canimus aut pſallimus, fuco quodam nō ſolùm difficiles, ſed languidi & inſuaves. Vbi Aſclepiades, qui ſeditiones accēſas cantu inhibuit? Vbi Damon, qui temulētæ juvētutis petulantiā modulorum gravitate perdomuit? ubi Thales Cretenſis, qui Organicâ ſuavitate morbos ac peſtilentiam fugavit? At noſter omnis & cantus & conatus inſidias quaſdam auribus facit, animum non capit. Scilicet in divinam hanc partem vis quædam divina valet, quæ in noſtra ſe Muſica hactenus quærit, non invenit: in veteri fuit, & excelluit. Quid in verba & rationes ſtilum torqueo? ipſam

Harmoniam apud Marcianum Capellam audi: *Iampridem quidem exoſa terrigenas, & faſtidioſa mortalium, cæli orbes ſtellantes incutio. In quibus artis præcepta ediſſertare prohibitum: cùm melodiam omniſonis convenientem pulſibus modulorum machinæ obeuntis ipſa rapiditas & concinat, & agnoſcat. Sed quoniam emerſa terris virgo nuptura vaneſcentia intercapedinata prolixitatis oblivia jam ſupero debet vigore diſcutere, juſſa percurram, ſi priùs ingratæ mortalitatis commoda repudiata recenſeam. Dum me quippe germanam gemellámque cælo illa incogitabilis effigientiæ genuiſſet immenſitas, ſidereæ revolutionis excurſus, atque ipſa totius molis volumina comitata ſuperos incitóſque fulgores modis aſſocians numeros non reliqui. Sed cùm illa monas intellectualiſque lucis primæ formatio animas fontibus emanantes in terrarum habitacula rigaret, moderatrix earum juſſa ſum demeare. Denique numeros cogitabilium monitionum, totiúſque voluntatis impulſus ipſa rerum diſpenſans congruentiam temperabam.* Abiit igitur cum Aſtræa, Fide, Virtute etiam Harmonia, & vis Harmoniæ:

moniæ: cujus ego novam ſobolem, velut ſcintillam aliquam ab æternis flammis in terram ducturus, divinæ naturæ ſemina copulo, & numina miſceo MVSARVM PALLADISQVE; ut terrenum melos cæleſti ſeptem orbium dulcedine cōcors, ſacrum MVSATHENÆ fiat, velut novæ Deę. Quis vetat? Mercuriū antiquitus Minerva admiſit, & HERMATHENA facta: Muſarū ſodalitiū cur rejiciat? Hermathena inquā, quam in pretio Cicero habuit ſtudiorū cauſſa. Ad Atticū: *Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt, ornamentum Academiæ proprium meæ; quòd & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt inſigne ejus Gymnaſii.* Sed Hermathenam, quaſi Eloquii & Sapientiæ conjunctionem, ab ipſa Antiquitate accipias; MVSATHENAM, quaſi inane nomen, & inane numen, novitatis audacia prodat. Illæ placidæ & tranquillæ Muſæ, quomodo & galeam Palladis, & ægida; currúſque & rabiem (ut cum Horatio dicam) patiantur? Quid dicam? Belli quidem præſes Miner-

va; & Pallas ipſa *ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ* dicta; ſed quæ à modulis tamen non abhorreat. Nonne Muſicam inveniſſe dicitur? nonne Litteris, & Sapientiæ præſidet? Nummum mihi veterem argenteum LAVRENTIVS PIGNORIVS, vir doctus, & amicus communicavit, in quo ab una parte Trajani effigies, & circumfluentes dictiones: ΑΥΤ.ΚΑΙϹ.ΝΕΡ.ΤΡΑΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ: ab altera, Noctua geminæ Teſtudini ſive Lyræ inſidens, & reliquum inſcriptionis: ΔΗΜ. Ε. ΥΠΑΤ.Β. Quò niſi ad Palladis, & Muſarum commercium referas? Ego refero, & hoc quoque typo motus, MVSATHENAM compono. Sanè vocum diſcrimina ipſamq; Muſicam acceptam Muſis referre cogit Antiquitas: Muſas etiam *Camœnas, quaſi canenas à canendo dictas* Macrobius ſcripſit. Sed ne ad conſtituendam MVSATHENAM univerſum cœtum cælo traham, ſolam Calliopen evocabo. ita enim futurum, ut nulla ex parte Cæleſtis harmonia violetur, & tamen in terram univerſa transferatur.

quippe

quippe ita Cæleſtes orbes Muſæ incutiunt, ut, cùm Mercurii & Veneris eadem ratio ſit, octo illi curſus ſeptem duntaxat efficiant diſtinctos intervallis ſonos: quos colligat, & in concentum Calliope cogat Muſica quadam lege. Macrobius ſcribenti mihi præit & Heſiodum explicat: *Theologi novem Muſas, octo ſphærarum Muſicos cantus, & unam maximam concinentiam, quæ* CONSTAT EX OMNIBVS, *eſſe voluère. Vnde Heſiodus in Theogonia ſua octavam Muſam Vraniam vocat; quia poſt ſeptem vagas, quæ ſubjectæ ſunt, octava ſtellifera ſphæra ſuperpoſita proprio nomine cælum vocatur. Et ut oſtenderet nonam eſſe, & maximam, quam conficit* SONORVM *concors* VNIVERSITAS *adjecit:*

Καλλιόπη θ'. ἣ δὴ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων,

ex nomine oſtendens, ipſam vocis dulcedinem nonam Muſam vocari. Nam Καλλιόπη *optimæ vocis Græca interpretatio eſt. Et ut ipſam eſſe quæ* CONSTAT EX OMNIBVS *preſſiùs indicaret, aſſignavit illi* VNIVERSITATIS *vocabulum, videlicet* περιφερεστάτη ἁπασέων. Itaque Cal-

liopen, id eſt perfectam vocem ad Harmonicam hanc lectionem meam transfero. PERFECTA autem Vox, Iſidoro exprimente, *eſt alta, ſuavis, & clara. Alta, ut in ſublimi ſufficiat: clara, ut aures impleat: ſuavis, ut animos audientium blandiat. Si ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit.* Alteram compoſitionis noſtræ partem habemus: quid autem

---θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,

ſive Pallas? Marcianus lib. VI. numeris definivit,

Ἑπτὰς *in numeris, prior igni, tertia Luna.*

Vbi per ignem Vulcanum intellige, per hunc octonarium, qui Heptada ſubſequitur, & Vulcano ſacer. Luna verò tertio à coitu die luceſcit, & Minerva dicitur, fortaſſis & hinc Tritonia. Sed cur Ἑπτὰς *in numeris?* quòd ſicuti Pallas omnis copulæ virilis expers, & producta ſine copula; ita ἑπτὰς neque duplicata numerum decade minorem gignit, neque naſcitur è numero duplicato. Sic Macrobius: *Huic autem numero,* (ſeptenario) *adeò virginitatis opinio inolevit, ut* PALLAS *quoque voci-*

vocitetur. Nam virgo creditur; quia nullum ex ſe parit numerum duplicatus, qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem conſtat eſſe numerorum. Pallas ideo; quia ex ſolius monadis fœtu & multiplicatione proceſſit, ſicut Minerva ex uno ſolo parente nata perhibetur. Marcianus: *Quid autem te Heptas veneranda commemorem? quæ quòd Naturæ opera ſine fœturarum contagione conformaris, inter Deos* TRITONIÆ *virginis poſſediſti. Nam cùm omnes numeri intra decadem poſiti aut gignant alios, aliisq; gignantur aut procreentur: hexas & octas generātur tantummodò: tetras autem, & creat, & creatur. at Heptas quòd nihil gignit, eo* PAR VIRGINI *perhibetur; ſed quòd à nullo naſcitur, hinc* MINERVA eſt. Clara hæc ſunt, & lucem quoque immittunt alteri ejuſdem Marciani loco, lib. I. ubi Pallas ſuper nuptiis Philologiæ conſulitur: *Dedignatur præterea hujuſmodi adhibere conſenſum, cùm ita expers totius copulæ cenſeatur; ut neque de ulla commixtione progenita, neque ipſa procreare quidquam* ARITHMETICA *teſte monſtretur.*

CAPVT II.

De munere Muſathenæ. Muſica definitur, ejus gradus & adcretio per ſonorum augmenta.

NOmen habes: quod munus? *Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:* Sed ad novum & compendiarium Harmonicæ lectionis uſum. Harmonica lectio pars quædam Muſicæ eſt, nec diſtinguenda, niſi ab ipſo genere lumen accipiat. Eſt igitur Muſica PLVRIVM ET DISPARIVM APTA SONORVM CONCORDIA. Pauciorum quidem in artis primordio, & rudibus adhuc Muſicæ ſeculis. *Nec quicquam omnium eſt* (ut appoſitè Apuleius) *quod poſſit in primordio ſuo perfici; ſed in omnibus ferè antè eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.* Et rectiſſimè Romani eloquii nectar lib. 1. de Oratore: *Omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt, ut in Muſicis numeri, & voces,*

voces,& modi,&c. Cùm itaque diſcreti primùm ſoni jungi cœpere, & aptari ſimul, duorum Muſica fuit. Idem Apuleius id non obſcurè aut per figuram indicat,lib.1.Florid. *Quòd ſi quis videbatur paullò longius in arte promoviſſe; ei quoque tamen mos fuit una tibia, velut una tuba perſonare. Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinavit: primus* DVAS *tibias uno ſpiritu animavit; primus lævis dextris foraminibus* ACVTO TINNITV, GRAVI BOMBO *concentum Muſicum miſcuit.* Certè Muſicum: & Cenſorinus hoc numero Symphoniam definivit. *Eſt autem,* inquit; *Symphonia* DVARVM VOCVM *diſparium inter ſe junctarum dulcis concentus.* Duarum igitur vocum velut præſidio nomen dignitatémque ſuam Muſica tutata eſt atque defendit: mox fines ulteriùs etiam protulit, & trium, quatuor, pluriúmque ſonorum potita: Crevit inquam, ſed per gradus, & ordine atque progreſſu quodam naturæ. In te ipſo, qui perfectiſſimæ HARMONIÆ ideam poſſides, exemplum ſtatue. Quid enim? Numeras? his inter-

tervallis ſcandis : creſcis ? his incrementis ſurgis : ambulas ? his ſpatiis moveris. ut continuum & ordinatum motum videas; minimè verò ſaltum. De tribus autem ſonis, in fragmento, quod adjungitur Cenſorini libro de Die Natali : *Organum quondam* TRES *habuit* INTENSIONES , *Gravem*, *Mediam*, *& Acutam. Inde Muſæ quoque tres olim æſtimatæ: Hypate, Meſe, Nete. Nunc in ampliore numero ſoni conſiderantur.* Nec refert quòd hic de Organo mentio: tu ad Voces ſecurè etiam refer, eaſdémque ſuccreviſſe cenſe ab hac ſtirpe, & Notarum ramulos latiùs deinde expandiſſe. Trium etiam ſonorum Orator meminit de Oratore; etſi in alium à ſenſu meo ſenſum: neque enim de multitudine vocum, ſed de natura tantùm ac differentia agit. verba tamen videamus , & corollarium ſumamus Tullianæ hujus doctrinæ. *Vocis mutationes totidem ſunt quot animorum, qui maximè voce commoventur. Mira eſt enim quædam vis vocis, cujus quidem* è TRIBVS *omnibus* SONIS: INFLEXO, ACVTO, GRAVI *tanta ſit*

&

& tam ſuavis varietas perfecta in cantibus. Sunt & aliæ vocum differentiæ, quas Iſidorus lib.11. Origen.cap. XIX. enumerat:ut ſunt, voces Suaves, Perſpicuæ,Subtiles, Pingues,Acutæ,Duræ,Aſperæ,Cæcæ,Vinnolatæ,&c. Itaque è ſingulis olim Muſica conſtitit, è duobus,è tribus,è quatuor ſonis:addo, ultrà etiam, creſcente ævo, ventum;& cum Muſarum numero,à quibus Muſica nomen ſortita,numerum hunc ſonorum creviſſe; ita ut quemadmodum cæterarum, ita & hujus ſcientiæ certos & diſtinctos quoſdam gradus videas,quos prima ſtatim ætas invenit ac cœpit:ſequens perfecit,ſera tandem deſtruxit.

CAPVT III.

Muſicæ partitio. Quid Aſſa vox. Feſtus obiter correctus.

MVSICAM divido in eam,quæ ſonos inveſtigat; & cum ratione quadam diſponit ad concentum; quæque generis nomine donata Mv-

SICA appellatur: & in eam, quæ eos ipſos ſonos aut aſſa voce exprimit (quam HARMONICAM dicimus,) aut voce facta arte & affictа; ſive per inſtrumenta expreſſa, quam ORGANICAM appellamus. Sic apud Nonium Marcellum Cato: *Melos alterum in cantibus eſt bipartitum: unum, quod eſt in* ASSA VOCE; *alterum, quod vocatur* ORGANICON. Aſſam vocem idem Nonius explicat eſſe linguæ ſolummodò, aut oris humani, non admotis aliis vocibus: aitque: *Aſſum autem exiſtimandum eſt, ut in obſoniis ſine pigmentis ſaporis alieni, quemadmodum* MERVM *dicitur* SOLVM. quaſi dicat, aſſum ſolum ſignificat; quòd ſine condimento, aut alius ſaporis adjumento coquantur carnes atque edantur: quomodo & merum, eodem loquendi modo, de vino dicimus, cui nihil Nymphæ ſive Lymphæ admiſtum. Varro, Latinitatis ille tibicen, longiùs hoc etymon libr. 4. de L. L. ſcribens producit. *Merula*, inquit, *quòd mera, id eſt, ſola volitat.* Iſidorus verò aliter lib. XII. Orig. cap. VII. *Merula antiquitùs medula*

medula vocabatur, eò quòd moduletur. Alij merulam vocatam ajunt, quia ſola volat, quaſi mera volans. Hinc Feſti locus manifeſtiſſimò in litura eſt: *Aſſa dicebatur cantus tibiarum.* nec enim tibiarum, ſed, uti dixi, vocis humanæ tantùm. Vir doctus corrigebat: CVM *cantu tibiarum*, quia inquit, hæ cum cantu interdum jungebantur. Vbi ſodes? Apud Nonium in Aſſa: *Varro de vita populi Romani lib. II. In conviviis pueri modeſtè, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, &* ASSA VOCE, & CVM TIBICINE. Sed profectò hìc tibiæ, ſi quicquam oculis utor, penitùs ſecernuntur, adeò non junguntur: nec aliud eliciam, quàm carmina primùm aſſa, ſive ſola voce olim cantitata, quod Græci ᾄδειν: deinde etiam cum tibicine, non aſſa, quod ψάλλειν dicebant. Ineptè autem ſolus ceciniſſe dicetur, cui ſuccinentium tibicinum chorus acceſſerit. Itaque particulam illam *cum* perperàm à Correctore ingeſtam atque intruſam mutem, congruentérque ſic ſcribam: *Aſſa dicebatur* SINE *cantu tibiarum.*

rum. Quod autem ad originem hujus vocis Assæ, lubens eam dicam, quaſi nobis in promptu ſemper, & à natura *aſſit*: ſicuti Assas *nutrices* Nonius, *quod* Assint *iis quos nutriant, nec vel exiguo divellantur.*

Capvt IV.

Harmonicæ & Organicæ comparatio. illam præcellere Antiquitate, Dignitate, Poteſtate. In prioribus id oſtenſum. Chordæ, digiti, manus, ipſe pſallens vocalis. Quid Vox.

IN uno Muſicæ membro duas partes repperi, Harmonicam & Organicam. Sed uti ejuſdem arboris rami ſæpiſſimè diſcrepāt, ejuſdem arvi glebæ: ita prior iſta, Antiquitate, Dignitate, Poteſtate præſtat. Hoc ipſum paucis verbis conabor palàm facere. quæ in laudem vocis ſcripta, ſacra tibi ſunto, Clavdia Sessa virgo, an Muſa dicam? quæ vocis mortales miraculo univerſos præſtas.

præſtas. Tibi præſentis ſeculi ſuffragio cedit Antiquitas, & honorem habitura eſt Poſteritas. Fabulis quid ultrà locus? Illæ Iovis filiæ ora compeſcant, ne te canente obſtrepere deinceps videantur: Sirenes faceſſant, quarum tu concordiam ſuperas: Echo ſilentio invidiam ſuam tegat, fruſtrà te referre conatur. De *Antiquitate* quidem perſpicuè palàm eſt. Natura arte prior eſt; ſed effectus quoque Naturæ: ſonum autem qui ab ore, conſtat naturalem; qui ab inſtrumentis, ſpurium eſſe ſive artificialem. cujus qui ſentit rationis pondus, inclinet, atque à reſponſionum ſuarum fulcris ruat neceſſum eſt. Lucretium doctiſſimum rerum Vatem ſi adſtricta aure audiamus, ecce tibi certum vetuſtúmque ſententiæ noſtræ firmamentum. Verſus ejus è lib. v. iſti:

At liquidas avium voces imitarier ore
Antè fuit multò. ----
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum.

Poſt

Poſt voces, inquit, Tibia ſucceſſit, primum uſu aut præcipuum inter reliqua inſtrumenta. Hinc Tuba à Tyrrhenis. Vergilius:

Tyrrhenúſque tuba mugire per æthera clangor.

Et paullatim Pandoria, Sambucæ, Fiſtulæ, Citharæ, Tympana, Siſtra, aliáque plurima. Itaque voces articulatas inveniſſe atque excoluiſſe ſolertiæ humanæ haud fuit ſatis: ad organa enim, Muſis ducentibus, ventum, quorum plurima etiam in uſu hodiè aut abuſu, quædam fuêre; imò ſunt nonnulla, nec fuêre. Varietas ſiquidem iſthæc ſive viciſſitudo rerum humanarum; ut non viventibus tantùm, ſed & reliquis ortus ſuus ſit, adcreſcens & decreſcens ætas, demùm interitus atque mors. Inventa, aut neglectu tolluntur, aut uſu mutantur, aliáque deinde reperta ſubſtituuntur. Quid mirum? Nihil in rerum naturâ gratiam novitatis ſervare perpetuò poteſt.

Nam quod adeſt præſtò (niſi quod cognovimus antè (detur:
Suavius) inprimis placet, & pollere vi-

Poſte-

Poſteriórque ferè melior res. illa reperta
Perdit, & immutat ſenſus ad priſtina quæque.

Inſtrumenta verò Muſica univerſa in duplici quodam ordine, ſive claſſe: vel enim SPIRITV PERFLANTE COMPLETA IN VICEM VOCIS ANIMANTVR; atque hæc voci proxima ſunt: VEL PVLSV AVT PERCVSSV SONANT; & longiùs removentur. Diviſionis meæ rationem Iſidorus lib. II. Orig. cap. XVIII. diſertim ſuggerit. Nam *aut* VOCE *editur ſonus, ſicut per fauces* (hæc HARMONICA eſt:) *aut* FLATV, *ſicut per tubam, aut tibiam: aut* IMPVLSV, *ſicut per citharam, aut quodlibet aliud quod percutiendo ſonorum eſt.* Ego amplius non penetro: nec debeo. alius ſi volet. De *Dignitate* indigner ſi quis moveat quęſtionem. Organica illa ſonum quidem edit, ſed ſonum; & quod Lacon quidam ad Luſciniam, id ego hîc dixerim, *Vox es, præterea nihil:* hæc noſtra HARMONICA præter dulcedinem vocis, ſyllabas etiam ſingulas format & dearticulat ad ſignificandum:

illa ſenſum, hæc mentem ipſam recreat atque rapit, Itaque ſicuti animata inanimatis antecellunt: ita viventium voces inſtrumentis: tantúmque inter Organicam atque Harmonicam, quantum inter hominis vocem atque bruti nobilitatis diſcrimen eſt. Erranteis quadrupedum greges attendis? ecce tibi oves balantes, equos hinnientes, boves mugientes, leones rugientes, aſinos rudentes, pantheras caurientes, tigres rancātes, leopardos riᶜtantes. Avium ſtrepentem chorum conſideras, plumatilem cohortem? ecce tibi anſeres gratitantes, palumbes minarrientes, paſſeres pilpilantes, luſcinias gurrientes, pavones pupillantes, hirundines triuſantes, gallos cucurrientes, gallinas gracillantes, *cæteráſque id genus voces animalium truces, quas infeſta rabies, vel propitia voluptas cient.* Sed enim hominis ratio & oratio tempore jugis eſt, ut ille ait, & auditu venerabilis, & intellectu utilis, & modo omnicana. Quid argumenta colligo? Ipſos veteres inſtrumenti cujuſque ſonum, ſi quem laudare

laudare] volebant, cum voce comparaſſe, & honoris gratia chordas *vocales* nuncupaſſe ſcimus. Poëta Princeps:

> OBLOQVITVR *numeris ſeptem diſcrimina* VOCVM.

Vbi Servius: *Obloquitur*] *chordarum expreſſit laudem, quas dicit* VERBIS LOCVTAS. Item Tibullus:

> *Nunc te* VOCALES *impellere pollice* CHORDAS,
> *Nunc precor ad laudes flectere verba meas.*

Eodem ſenſu & digitos pſallentis dicebant *vocales* ſive *locutios*. Idem Tibullus:

> *At poſtquam fuerant* DIGITI *cum voce* LOCVTI.

Manum Manilius, lib. v.

> *Et quodcumque manu loquitur, flatúque movetur.*

Et ipſum quoq; pſallentem. Horatius:

> *Vnde* VOCALEM *temerè inſecutæ Orphea Sylvæ.*

Etiam Citharam Apuleius: *Iubet Citharam* LOQVI. Sed hæc καταχρηστικῶς, in commendationem ſoni, contra

etymon vocis. Nam vox (Iſidorus ſic definit lib. 11. Orig. cap. XIX.) *eſt aer ſpiritu verberatus; unde & verba ſunt nuncupata. Propriè autem vox hominum eſt, ſeu rationabilium animantium. Nam in aliis* ABVSIVE *non propriè ſonitus vox vocatur: ut, Vox tubæ infremuit: fractáſque ad litora voces.* Plura poſſim; ſed vulgaria contemno, tanquam nota: erudita prætereo, tanquam vulgò ignota. ſi iſta dixero, nihil dixero: ſi hæc, obſcurè. Enimverò (nec enim poſſum, quin à Dignitate illa digrediens me vertam, & viantium more paullulùm etiam reſpectem.) ut aurum meliùs puriúſque, quod in viſceribus veræ & magnæ Matris, à cælo, & ſole formatur, quàm quod æmula artificis manus reddit; imò non reddit: ſic præ quocunque ſono vox, quam anima ipſa gignit, fauces concipiunt, lingua & candentes dentes moderantur, labella ore tereti edunt.

CAPVT V.

Idem de poteſtate quoque oſtenſum recenti, & raro exemplo.

POTE-

POTESTAS ſupereſt, quam niſi in poteſtatem meam redigam, tum ıe Muſæ Gratiæque pariter à ſacris ıis æternùm arceant. Quid enim per)eum immortalem humana voce ad licien'dum blandius ? ad oble*ctan-um efficacius ? ad movendum for-us ? Inſtrumentorum quicquid ars :dit cogas licet & pulſes, ſi concen-ıs ille vocum adſit, haud dubiè hinc :ndebis, coronámque ei meritò ad-ribes & triumphum. Quid mirum? ulcedinis in vocibus vis eſt, & à vi-quædam quaſi vita. Minuriens, & ticulatus ille faucium ſonus inter ımeros Organicos univerſos emi-:t, eoſdem dirigit, temperat, ornat. dium θρέ'ζανελὸ lenit: flatuum tinni-m modificat: pulſuum ſuſurrum a-it.; & ad ſummam aſperitatem, ıamcunque Muſicæ aut varietate llit, ne officiat; aut dulcedine ob-nbrat, ne appareat. Sed quid? jám-: ſeorsùm ſentientium copiæ in di-)nem meam veniunt; an ſumptâ *ægide*, in pugnam numerò eo, acriùs œliaturus? Ad meram virginis vo-

etymon vocis. Nam vox (Iſidorus ſic definit lib. II. Orig. cap. XIX.) *eſt aer ſpiritu verberatus; unde & verba ſunt nuncupata. Propriè autem vox hominum eſt, ſeu rationabilium animantium. Nam in aliis* ABVSIVE *non propriè ſonitus vox vocatur: ut, Vox tubæ infremuit: fractáſque ad litora voces.* Plura poſſim; ſed vulgaria contemno, tanquam nota: erudita prætereo, tanquam vulgò ignota. ſi iſta dixero, nihil dixero: ſi hæc, obſcurè. Enimverò (nec enim poſſum, quin à Dignitate illa digrediens me vertam, & viantium more paullulùm etiam reſpectem.) ut aurum meliùs puriúſque, quod in viſceribus veræ & magnæ Matris, à cælo, & ſole formatur, quàm quod æmula artificis manus reddit; imò non reddit: ſic præ quocunque ſono vox, quam anima ipſa gignit, fauces concipiunt, lingua & candentes dentes moderantur, labella ore tereti edunt.

CAPVT V.

Idem de poteſtate quoque oſtenſum recenti; & raro exemplo.

POTE-

POTESTAS ſupereſt, quam niſi in poteſtatem meam redigam, tum ıe Muſæ Gratiæque pariter à ſacris ıis æternùm arceant, Quid enim per)eum immortalem humana voce ad llicien'dum blandius ? ad oblectan-um efficacius ? ad movendum for-us ? Inſtrumentorum quicquid ars edit cogas licet & pulſes, ſi concen-ıs ille vocum adſit, haud dubiè hinc endebis, coronámque ei meritò ad-ribes & triumphum. Quid mirum? ulcedinis in vocibus vis eſt, & à vi-quædam quaſi vita. Minuriens & ticulatus ille faucium ſonus inter ımeros Organicos univerſos emi-t, eoſdem dirigit, temperat, ornat. dium θρέ[illegible] lenit: flatuum tinni-m modificat: pulſuum ſuſurrum a-it; & ad ſummam aſperitatem amcunque Muſicæ aut varietate llit, ne officiat; aut dulcedine ob-ıbrat, ne appareat. Sed quid? jam-ſeorsùm ſentientium copiæ in di-nem meam veniunt; an ſumptâ *ægide*, in pugnam numerò eo, acriùs œliaturus? Ad meram virginis vo-

cem, ceu focum quemdam, Amoris ardentiſſimi faces nuper accenderũt adoleſcentes plures, & velut corrivales. Virginis, inquio, ſed ſacræ, ſed inviſæ. Amor quò penetras? In Pœnulo Plautina Milphio ſervus herum admirans ſciſcitatur:

Etiámne ut ames eam, quam nunquam tetigeris?

Commutem:

Etiámne ut ames eam quam nunquam videris?

Enimverò, niſi Muſæus fallit, oculus amoris via eſt. Ergò ſtupendam humanæ vim vocis! miraculum prodigioſi Amoris! Fabulas an hiſtorias dicam miramur, & obſtupeſcimus: ſcilicet fuiſſe qui effigiem propriam, aut ideam: alios qui ſignum aliquod aut ſtatuam per ſummam ſtultitiam deperierint. folia ſunt farferi, & nugæ meræ, ſi cum exemplo præſenti contendantur. Nam cùm Amoris illud incendium à pulchritudinis ſive formæ ſcintillis oritur, & alitur, quid miramur? Idea formam ſuam præfert, & ſcitulam repræſentat. Statua deco-

rem

ı ab arte ſæpè ſupra humanum tra-
& qui ſculpunt,

---vivos ducunt de marmore vultus.

'ox, quicquid Lucretius, aliiq; ex
corum ſententia delirent, vox in-
m, quæ incorporea eſt, ſine ſpecie
aut forma, quomodo concitet
n Cupidinis æſtum ſive flammã?
en concitavit; & ſuavi quodam
eo adoleſcentium iſtorum non
ılas aures modò, ſed animũ ipſum
etravit & læſit. Quod inſtrumen-
ſimile fecit, aut faciet? neſcio, &
). tu qui aliter, aut factum, aut fu-
ım doce: iſtud nunquam inda-
do reperturus, hoc fruſtrà, ut reor,
eriendo.

CAPVT VI.

*nonicæ diviſio. Quid Harmonica Le-
io. Quid Legere. Quid Nota.*

ARMONICA porrò duplex: vel
de tabella, vel ſine ea. Sicut ora-
licentis, aut recitantis. Sine ta-

bella, Quicquid auditu ipſi percipimus, aut mente concipimus, canendum. De tabella, quod ſecundùm artis pręcepta in quinque lineis, earúmque intervallis notatum, ſive ſignis quibuſdam expreſſum legimus. Vnde Harmonicam Lectionem breviter lucidéque definio, Modulationem quandam vocis ad ſigna ſcripta flexam & accommodatam. Modulationem, quam Iſidorus libro 11. Origin. cap. xix. refert *ad Comœdos, Tragœdos, vel choros, vel ad omnes qui voce propria canunt.* Vocis, ut Harmonicæ propria eſſe cognoſcatur. Ad ſigna ſcripta flexam, Sicuti lectio quæcunque inſtituitur, & quod obiter velim annotes, ſi non propriè, ſaltem uſu quodam loquendi ſignificat. Nam in verbo *legere* tropum eſſe Nonius Marcellus indicat: *Legere, ſicut eſt in Conſuetudine, ſignificat oculis ſcripta percurrere.* Et Varro lib. v. de L. L. *Legere dictum, quòd legantur ab oculis Litteræ.* quaſi dicat μεταφορικῶς; haud aliter, quàm fructus manu eligentis. Propriè latina Siren Virgilius uſurpavit:

Ipſe

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

Signa autem iſta, *Notæ* hodie; ſed & olim dictæ in hac ipſa re. Apud Boëtium id lego: *Per ſingulos modos à veteribus Muſicis unaquæque vox diverſis* NOTVLIS *inſignita eſt.* Et paſſim idem ille Scriptor Notas nominat, atque etiam notat. In iis autem quoniam Harmonicæ Lectionis uſus atque cognitio, tanquam materia propria conſtituta eſt; operæ pretium fuerit copioſiùs nonnulla edocere. Notam definio Signum compendio loquens. cujus ſcribendi modus duplex: per *Litteras*; & alias quaſdam non difficiles *formas*. De litteris Feſtus in Fragmento: *Nota aliàs ſignificat ſignum: ut in pecoribus, tabulis, libris* LITTERÆ *ſingulæ aut binæ: aliàs ignominiam*. Plautus in Rudente de urnâ Venerea loquens:

Nam hæc Litterata *eſt, ab ſe cantat cuja ſit.*

Notare ſcilicet ſupellectilem & olim ſolent contra cleptas, ſervóſque, qui ſenis manibus erant genere Ge-

ryonaceo, milvinis aut aquilinis ungulis, quique rem alienam per fraudem ſupprimebant. De ſeculo ſuo Plinius queritur lib. XXXIII. *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? at nunc* (modum ſignandi conſidera) *cibi quoque ac potus* Annulo *vindicantur à rapina*. Annulo, inquit, cui certum ſignum ac familiæ proprium inſculptum. Plura Delicium generis humani I. LIPSIVS in luculentiſſimis ſuis ad Cornelium Tacitum commentariis. De aliis formis Iſidorus lib. I. Orig. cap. XX. *Nota eſt* Figura propria *in litteræ modum poſita*. Intelligit autem hoc loci, ut ipſe loquitur, *ad demonſtrandam unamquamque verbi ſententiarumq; ac verſuum rationem*, cujuſmodi plures enumerat; Aſteriſcum, * Obelum --- Obelum ſupernè appunctatum -·-- Limniſcum -:--&c. Valerius Probus, aliiq; alias quaſdam expreſsêre, quas non excerpo.

CAP.

CAPVT VII.

De Notis Harmonicis Veteribus, Mediis, Novis.

CVM igitur Notis Harmonica conſtet, eæq; duplices ſint: *Litteræ, vel Figuræ in Litteræ modum poſitæ,* utris conſtet, inquirendum. Quod ut ſine face atque viatico inventum reddam, triplicem Muſicam diſtinguo: *Veterem, Mediam, Novam.* Veterem voco, *quæ apud Græcos olim Latinóſque.* Novam, *quæ ab anno Chriſti ∞ .cœpit, hodieq; durans, ad culmen ſuum conſcendit.* Mediam, *quæ inter terminos utriuſque.* Vetus, Litteras Notas habuit, ſed Græcas; nunc rectas, nunc inverſas, nunc alio ſitu locatas: eæque ſuper verba, aut verborum ſyllabas canendas ſive pſallendas ſcribebantur. Ex Boëtio id colligere eſt; Viro qui inter paucos exemplar nobis reliquit aut imaginem Muſicæ priſcæ. Is lib. IV. de Muſica cap. III. ſic ſcribit: *Veteres enim propter compendium ſcriptionis, ne integra ſemper nomina neceſſarium eſſet apponere,*

nere,excogitavêre Notulas quaſdam, quibus nervorum vocabula notarentur. imò (licet interjungere) & ſonorum ſive vocum: ut ſi pſallendum eſſet,Nota indicaret nervum: ſi verò canendum, ipſam vocem. Pergit Boëtius, & idipſum facit palam: *eáſque* Notulas *per genera modóſque diviſère. Simul etiam hac brevitate captantes, ut ſi quando melos aliquod Muſicus voluiſſet aſſcribere ſuper verſum rythmica metri compoſitione diſtentum, has ſonorum Notulas adſcriberet: ita miro modo reperientes, ut non tantùm carminum verba, quæ Litteris explicarentur: ſed melos quoque ipſum, quod his Notulis ſignaretur, in memoriam poſteritatémque duraret.* Paullò poſt: Græcis Litteris, *nunc in quamlibet partem* Imminutis, *nunc etiam* Inflexis, *tota hæc notarum deſcriptio conſtituta eſt.* Quid moror? Alypius Græcus ſcriptor De Notis Muſicis librum compoſuit, quem in Vaticana aſſervari Vincentius Galilæus libro De Nova & Antiqua Muſica teſtatur. In Media, Litterarum etiam uſus, ſed Latinarum: A, B, C, D, E, F, G, quibus voces ſuas Muſici

Muſici notabant, atque efferebant. Veſtigia exſtant, & Nicolaus Vicentinus Muſicus ſuo etiam tempore in Pannonia alibi viguiſſe hunc modum ſcribit. In Harmonica denique noſtrâ (nam novam Græcam, quam à doctiſſimo viro Hilarione Gradenigo Cretenſi didici, hîc non tangam) & Litteræ pro Notis ſunt; & diverſæ ab illis Formæ: atque iſtas ſimpliciter Litteras, interdum *Claves* dicimus, quòd Notas veluti Aperiant & Recludant: haſce propriè Notas, quòd Sonos ipſos notent. De utriſque dicam, *unde, quot & quæ ſint:* deinde, *quomodò per Litteras in tabella cognoſcantur.*

CAPVT VIII.

Diviſio vocis. Harmonicarum Notarum cauſſa, & numerus: hic novè auctus.

HARMONICAM ad Vocem antea reſtrinximus. *Vocis autem differentiæ* (verba Priſciani) *ſunt quattuor: Articulata*

ticulata, Inarticulata, Litterata, Illiterata. Articulata eſt, quæ coarctata, hoc eſt, copulata cum aliquo ſenſu mentis ejus qui loquitur, profertur. Inarticulata eſt contraria, quæ à nullo proficiſcitur affectu mentis. Litterata eſt, quæ ſcribi poteſt. Illiterata quæ ſcribi non poteſt. Inveniuntur igitur quædam voces Articulatæ, quæ & ſcribi poſſunt, & intelligi: ut Arma, virúmque cano. Quædam quæ non poſſunt ſcribi, intelliguntur tamen: ut ſibili hominum & gemitus, hæ enim voces quamvis ſenſum aliquem ſignificent proferentis eas, ſcribi tamen non poſſunt. Aliæ verò ſunt, quæ quamvis ſcribantur, tamen inarticulatæ dicuntur, cum nihil ſignificent: ut coax, cra. Eas enim voces quanquam intelligimus de qua ſint volucre profectæ, tamen Inarticulatæ dicuntur, quia vox (ut ſuperiùs dixi) Inarticulata eſt, quæ à nullo affectu proficiſcitur. Aliæ ſunt Inarticulatæ, & Illiteratæ, quæ nec ſcribi poſſunt, nec intelligi: ut, ſtrepitus, mugitus, & his ſimilia.
Accuratè diſtinctéque iſta Priſcianus: preſſiùs ſic ego & fortè clariùs: Vox duplex, *Confuſa*, & *Articulata*. Confuſa hominum ſimul & brutorum: Articulata

lata hominum tantùm. In priori autem, ſive quòd amplior ea & communior, ſive quòd ad quamcunque ſyllabam, ceu formam aliquam recipiendam apta, artis fundamentum ſtratum eſt. Cùm verò vox Confuſa, ab ipſo ſono, generali quodam vocabulo, paullulùm diſcrepet; magisq; memoriæ, quàm chartæ poſſit imprimi, ſentiri, haud ſignari: (ſicuti Iſidorus lib. I. Orig. cap. XIV. diversè à Priſciano definivit: *Articulata eſt, quæ ſcribi poteſt: Confuſa, quæ ſcribi non poteſt*) ideò inquam certis litterarum, ſive ſyllabarum eam Notis Muſici veſtierunt ad ſcribendum: & Articulatam fecerunt, quam propriè non fecerunt. Texerunt enim, non mutarunt veram ſub formis alienis formam. Perſonatæ igitur voces olim hodiéque ſonāt; etſi per diverſa diſtinctáque quædam ſchemata, ſive perſonas: quarum ego omnium lineamenta calamo traherem, veróque ſuo colore repræſentarem, niſi partim in opaca quadam umbra ipſisq; tenebris, partim in crepera admodum luce ab injuria temporis

poris collocata, diſtinctionem amiſiſſent. Ea autem quæ nupera inventio propiùs oculis noſtris admovit, diſtinctè atque articulatim perſequi minimè gravabor. Amiſſa Veteri, rejectáque Media canendi ratione, Guido Aretinus Muſicæ peritia inter ævi ſui primos (ſub Henrico III. Imperatore vixit) ſex Notas Syllabicas; ſenarii numeri perfectione delectatus, introduxit: VT, RE, MI, FA, SOL, LA, quas ex hymno mutuatus eſt atque tranſtulit.

VT *queant laxis* RE*ſonare fibris*
MI*ra geſtorum* FA*muli tuorum*,
SOL*ve polluti* LA*bij reatum*
Sancte Ioannes.

Senæ hæ Notæ ſic inventæ, uſum ſui apud Muſicum paſſim gregem, ſed tardum admodum difficilémque prębent. Quæ enim mora Mutationum, confuſio Clavium, ſubſtitutio Vocum? Videas pleroſque, atque indigneris, bonam ætatem impendiſſe huic Arti; & exiguum tamen profeciſſe, perfectos annis priùs, quàm iſtiuſmodi Lectione. Difficultas nimirum

rum obſtat, remorámque pleriſque facit. Ego tollam: curſumq; univerſum facilem, & expeditum reddam, levi quodam diverticulo ſive flexu. nec in tranſverſum abire penitùs eſt animus; ſed vada, & eminentes illos ſcopulos ęquoris Muſici devitare. Hactenus quidem, ut dixi, ſex veluti Notarum velis Harmonica mota & promota, velis inquam, quæ nunc inſinuari opus, nunc expandi, nunc obliquari, miſceri nonnunquam atque commutari pro ratione curſus, & vocalis Æoli flatu. Ego adjungo, & moleſtias iſtas fugiens Notarum numerum augeo: & ſenis receptis, ut Muſathena conſtituatur, comitem unam adjicio, ex eodem illo Hymno: BI.

*Solve pollui la*BI*i reatum.*

Ordinem eundem ſervo: VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI: ſed ad novam diſtinctámque Lectionis methodum ſive rationem, quam exponam. Itaque Notæ ſunt ſeptem: quibus, ceu totidem pinnis ſive alis, concentus in auras prodeat, aërémque tranet, Clariſ-

K ſimi,

ſimi,& demerendis hominibus geniti Ludovici Septalii(quem ſeptem præpetes Artium alæ ad immortalitatem evexêre)nomine inſignis,quo gratam acceptámq;, Vir humaniſſimus, Muſathenam publicè faciet, ubi non faciam ego. Haud vanè auguror. Varius Imperator, Lampridio referente, *cùm ſe Antoninum* (quod nomen carum cunctis erat) *Baſſiani filium ſcripſiſſet, ingens ejus deſiderium factum eſt* : ita fiet & hujus ſcripti, hujus ſeptem Notarum Lectionis.

CAPVT IX.

Adſtruuntur ſeptem Notæ. Tot eſſe Voces. Sonorum & Tonorum diſcrimen. ad hanc rem obiter quædam de Diaſtematis Muſicis. E Cenſorino error ſublatus. Vocalium numerus apud Græcos Latinóſque perpenſus.

SED priuſquàm ſeptenarium hunc numerum excutiamus latiùs & aptemus Arti, rationem ejus examinare li-

re libet, & fundamentum, nequid temerè innovare videamur; & aperire os contra vulgi totius ſenſum,& Muſicorum omnium conſenſum. Cùm Notæ indices Vocum ſint,& quædam quaſi ſigna; tot eſſe Notas neceſſum eſt, quot ſunt Voces: ſed ſeptem diſtinctæ tantùm Voces ſunt, & Latini illo Apollinis oraculo firmatæ;

----SEPTEM *diſcrimina Vocum*;

Septem ergò Notæ. Per Voces autem ſeptem illos ſonos, ſive ſonitus intelligo, quos, ut Lucretius ait,

----corpore noſtro
Exprimimus, rectóque foras emittimus ore.; quos
Mobilis articulat nervorum dædala lingua,
Formaturaq; labrorum pro parte figurat.

Nam Diaſtemata illa, ſive Intervalla, quæ inter primum & ſecundum ſonum, ſecundum & tertium, tertium & quartum, quartum & quinctum, quinctum & ſextum, ſextum & ſeptimum, Toni propriè dicuntur, & ad ſonorum concordiam, non diſcrimen pertinent. Docere inter reli-

quos id Cenſorinus poteſt, cujus ego de ratione tonorum verba in Solem producam, & ſitu pulveréque obducta leviter excutiam Cenſoria quadam virga. Ait: *Symphoniæ ſimplices, ac primæ ſunt tres, quibus reliquæ conſtant: una* Duorum Tonorum *&* Hemitonii, *habens* Diaſtema, *quæ vocatur* Diateſſaron. *alia* Trium *&* Hemitonii, *quam vocant* Diapente. *tertia eſt* Diapaſon, *cujus* Diaſtema *continet duas priores.* Vt autem probet Diapaſon cõtinere Harmonias *duas priores*, ſubjungit: *Eſt enim vel* Sex tonorum, *ut Ariſtoxenes, Muſiciq́ adſeverant; vel* Quinque *&* duorum Hemitoniorum, *ut Pythagoras, Geometræq́ demonſtrant, tria hemitonia tonum complere non poſſe.* Interpolabo vero pigmento fugitivum hujus periodi colorem, & reſcribam: *ut Pythagoras & Geometræ, qui demonſtrant* duo *hemitonia tonum complere non poſſe.* Cur Geometræ? *Quia*, ut idem Cenſorinus, *ſonis motuum modum menſurámque invenêre Geometræ magis quàm Muſici.* Sed ad lineam; in re manifeſtiſſima commiſſus error.

ror. è duobus tria Librariorum liberalitate creverunt. Quid non pervertat imperita manus? quid non radat aut rodat tinea edacis ævi? Et ne querelis paginam impleam, breviter ex toto ſive univerſo partes, de queis controverſia, collectum eo. Tonus in duas tantùm portiones dividi poteſt, eáſque, ut hoc obiter ſuggeram, inæquales. Ex Muſicorum ſententia verè, & eleganter Macrobius lib. II. in Somnium, cap. I. *Sonum verò tono minorem Veteres quidem Semitonium vocitare voluerunt. Sed non ita accipiendum eſt, ut dimidius tonus putetur; quia nec Semivocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam ſui in duo dividi ſibi æqua non poterit, &c.* Itaque mens Cenſorini iſta: Cùm Diapaſon præter duo hemitonia contineat quinque tonos: tamen ſenarium numerum exprimere Pythagoras noluit; quòd duo hemitonia complere poſſe tonum negaret. Sed Ariſtoxenus expreſſit: item neſcio quis Grammaticus Antiquus: *Toni duo & dimidius*, Diateſſaron *nominatur. Tres*

*& dimidius,*Diapente. SEX, Diapaſon. *Hæc Muſicæ ſumma eſt.* Itaque differunt Sonus ſive φθόγγος, & Tonus ſive Intervallum. Sonus *eſt vox ipſa, quæ are formata per auras defertur ad aures.* de cujus differentiis ſuprà. Tonus *eſt ſpatium duobus circumſcriptum Sonis:* vel *diſtantia Gravis & Acuti Soni.* Auctores ſuggerunt. Marcianus: *Verum Phthongus dicitur vocis modulatæ particula una intentione producta. Eſt autem intentio quam dicimus Taſim, in qua vox perſiſtit ac perſeverat.* Cenſorinus: *Muſica igitur eſt ſcientia benè modulandi. hæc autem in voce. Sed vox aliàs gravior innititur* (reſcribe *mittitur,*) *aliàs acutior: ſingulæ tamen voces ſimplices, & utcunque emiſſæ Phthongi vocantur. Diſcrimen verò quo alter Phthongus acutior eſt, alter gravior, appellatur* Diaſtema. *Inter infimam, ſummámque vocem multa eſſe poſſunt in ordine poſitæ* Diaſtemata, *quæ alia alius majora, minoráve: ut eſt illud quod* Tonum *appellāt; vel hoc minus* Hemitonium; *vel duorum, triúmve, ac deinceps aliquot tonorum intervallum.* Cæterùm hanc vocum HEPTADEM Ptolemæus

mæus lib. 11. de Muſica firmat, *Voces*, inquiens, *natura neque plures, neque pauciores eſſe poſſe quàm ſeptem.* Sed quid? nonne Ægyptii Græciq; ſeptem Vocalium numero, ſeptem Voces videntur comprobâſſe? utique: Iſtos Demetrius Phalereus expreſsè ſcribit ſeptem vocalium modulata enunciatione laudaſſe Deos. Eoſdem Horus binos ſeptem litteris inſignitos digitos exerentes Muſam denotaſſe. Iam verò Plutarchus ſeptem Græcorum Vocales Muſicæ totidem Vocibus accommodat. quem numerum Latini compendii ſeu ingenii cauſſa minuerunt, ſimpliciq; forma duplicem in E, & O litteris ſonum comprehenderunt: Terentianus Maurus:

Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus ut non niſi quinque *fungerentur;*
Productio longis ut daret tempora bina,
Correptio plus tempore non valeret uno.
Hinc ἦτα minus ſcribimus, hinc ω ſupremum.

VNA *quoniam ſat habitum eſt notare* FORMA,

Pro temporibus quæ geminum miniſtret uſum.

Itaque Formæ litterarum apud Latinos pauciores : ſoni pleno ſuo perfectóque numero uſurpantur. quod ipſum Macrobium minimè fugit, aliam atque diverſam licet ſeptem vocalium cauſſam ſive originem tradentem. Verba ejus lib. I. cap. VI. in Somnium : *Anno ſeptimo plenè abſolvitur integritas loquendi. unde &* ſeptem Vocales *litteræ à natura dicuntur inventæ; licet latinitas eaſdem modò longas modò breves pronuntiando*, quinque *pro ſeptem tenere maluerit. apud quos tamen ſi ſonos Vocalium non apices numeraveris, ſimiliter* ſeptem *ſunt.*

CAPVT X.

Ampliùs Heptas illa Vocum firmatur. Lyra antiquitus ſeptem chordarum; ſed & inſtrumenta reliqua quæ chordis tendebantur. Etymon Chordæ. Fiſtula item ſeptem calamorum. Marcianus bis reſtitutus. Quid Intus, quid Foris canere: &

& utrum ſuavius, ac difficilius. Plures ſpecies Citharæ.

ETIAM copioſiùs argumenta colligo & dico? Antiquitùs Lyra ſeptem chordarum fuit. interpretare, ſeptenarum Vocum cauſſa. Iſidorus lib.11.Orig. cap.XXI. *Antiquitùs autem Cithara*(quam à Lyra non diſparo)*ſeptem chordis erat.Vnde Vergilius: Septem diſcrimina Vocum.Diſcrimina autem ideò, quòd nulla chorda vicinæ chordæ ſimilem vocem reddat : ſed ideò autem* Septem *chordæ;vel quia* totam vocem implent; *vel quòd ſeptem motibus ſonat cælum.* Nota Iſidoro ſine aſpiratione ſcriptam vocem *cordam*, & à corde derivatam: quia (verba ejus cito)*ſicut pulſus eſt cordis in pectore,ita pulſus cordæ in Cithara.* In ſimilem quoque ſententiam ibidem lego,*Forma Citharæ initio ſimilis fuiſſe creditur pectori humano;quod veluti vox de pectore, ita ex ipſa cantus ederetur : appellatáque eadem de cauſſa. Nam Pectus Dorica lingua κιθάρα vocatur.* Et numiſma æreum apud Fabricium Calaſſium nobilem, & Antiquitatis

peritum juvenem, quod è corde velut fundo chordas, & cornua educta ad jugum clariſſimè repræſentat. Sed nos retineamus veram, & à Græcis tractam ſcriptionem, quibus χορδὴ, inteſtinum ſive nervum, unde chordæ parantur: & ipſam *chordam* ſignificat. Gloſſæ veteres: χορδὴ, τὸ ἔντερον, *Chorda*. χορδὴ ἡ νευρά, *Fides*, *Chorda*. De ſeptenario hoc numero ante Iſidorum ille *Romanæ fidicen Lyræ:*

Túque Teſtudo reſonare SEPTEM
Callida NERVIS.

Ovidius v. Faſt. de Mercurio:

----SEPTENA *putaris*
Pleiadum numero fila dediſſe Lyræ.

Ne temerè *putaris*. Diſcrepant enim de inventione Heptachordi auctores: & ad Apollinem nonnulli, plerique ad Terpandrum referunt. Homerus tamen ad Mercurium in Hymno, ubi teſtudo egregiè deſcribitur. Pindarus etiam Lyram, ἑπτάγλωσσον, alibi ἑπτάκτυπον φόρμιγγα nominat. Nec Lyra ſeptem chordarum tantùm; ſed & reliqua inſtrumenta, quæ chordis tendebantur. Ariſtoteles id clariſ-

clariſſimè indicat in Problematibus. *Επτάχορδοι ἦσαν αἱ ἁρμονίαι τὸ παλαιόν.* Imò & ea quæ flatu ſonum reddebant, eodem pleraque conſtabant numero atque harmonia. Quod ut de ſingulis probem, non ſufflabo mihi buccas quaſi proſerpens beſtia: *non eſt mihi tibia tanti*; ſed abundè fuerit una Fiſtula (quam in agris ſolam, uti in civitatibus Lyram Plato admittit) vultum cum Minerva deformaſſe. Fiſtulam igitur ad labia refero; ſeptémque Vocum diſcrimina edo, Vergiliani Opilionis illius, ſeu bubſequæ verbis:

Eſt mihi diſparibus SEPTEM *compacta* CICVTIS
FISTVLA.

Sibilos tu hoſce capis, diſcernisq; ? an pulmoneus aliquis ſeu valentiori ſpiritu dandus, qui diductis labris clariùs atque diſtinctiùs? Dabo, nec conductum nummo, ſed gratis operam dantem, Hiſpalenſem illum Scriptorem, lib. VII. Orig. cap. XI. de Pane,

—qui primus calamos non paſſus inertes,

ſic loquentem: *Fiſtulam ſeptem calamorum*

rum geſtat propter harmoniam cæli, in qua ſeptem *ſunt* ſoni, *&* ſeptem diſcrimina vocum. Quin ipſa *Fiſtula*, ipſe *calamus*(nec argutias has ſperno)nonne hoc numero conſtant, hunc numerum probant tot Litterarum Vocibus ſive Sonis? Nonne & cithara,& teſtudo totidem elementis componuntur? De Lyra autem monui quoque, mutaſſe eam poſtmodum, pluribúſque chordis auctam novo ſonorum ordine,& concentu. Cenſorinus de hac re, Marcianus, Boetius, quos vide. Iſidorus quoque breviter, cujus verba quia ad manum ſunt, adfluere per calami hunc canalem patior: *Chordarum etiam numerus multiplicatus eſt, & commutatum genus.* Gradum nunc attollo,& per rectam viam progredior. Singuli iſti nervi(de calamis pariter cenſe) poſſidebant unum tantùm Sonum, cùm, ut ex Iſidoro ſcripſi, *nulla chorda vicina chordæ ſimilem Vocem reddat.* Marcianus Capella lib. IX.adjuvat: *Tonus eſt ſpatij magnitudo, qui ideo Tonus dictus eſt: quia per hoc ſpatium, ante omnes prima Vox quæ fuerit, extendi-*

tenditur: hoc eſt, de Nota qualibet in Notam; ut à Media in Parameſen (vicinæ chordæ ſunt) *ut eſt in Lydio, ſi ab Iota directo in Simma jacens ſigna concurrant.* Ex quibus verbis manifeſtò cognoſcas, unumquemque nervum ſimplicem, ſive *μονόφθογγον* fuiſſe, & unius tantùm Vocis; quia unius tantùm Litteræ, ſive Notæ. Binas quidem Boetius ex Antiquitatibus eruit; ſed Dictionis & Percuſſionis. *Nos verò*, inquit, *cavemus aliquid ab Antiquitatis auctoritate tranſvertere: Erunt igitur* Priores *ſive ſuperiores* Notulæ *Dictionis, id eſt verborum:* Secundæ *verò atque inferiores Percuſſionis.* Ad illum verò Marciani locum manum ac mentem reflecto, & quid *Simma jacens* ſit expendo. Fortè *ſigma jacens*: at in Parameſi, cui hanc Litteram Scriptor ille tribuit, eam non reperio. Itaque è Boetio reſcribere auſim: *in Ζῆτα & Πί jacens.* Nunc quoniam in hac opera ſum, duos parietes, quod dicitur, una fidelia dealbabo, & alteri ejuſdem Marciani loco priſtinum nitorem reſtituam. Verba ejus de Media Lyræ chorda: *Atque in ipſius*

quo-

quodãmodo vinculo tam Gravis modulatio quàm Acuta connectitur: ut in Lydio modo, ubi rectum Iota Meſen notat. Verùm poſt Mediam extendentem hemitonium, Conjunctarum erit tertia, quæ in eodem modo, id eſt, Lydio, Litteram pro Nota habebit. Sed quænam illa Littera? quo nomine? indicium ego facio, & lego: *Litteram θῆτα pro nota habebit.* Vel potiùs: *Litteram θ Notam habebit.* Fieri enim poteſt, imperitiam exſcriptoris è charactere θ particulam *pro* breviatam effinxiſſe; atque mutaſſe deinde caſum. niſi malis Percuſſionis, id eſt inferiorem Notam reſtituere: & legere, *λάμβδα ſupinum pro Nota habebit.* Ex Boëtio correctioni meæ firmamentum peto, qui litteras illas in Lydio exprimens, *Meſe*, inquit, *quæ eſt Media, ι & λ Iacens habet: Trite Synnemmenon, quæ eſt* tertia conjunctarum, *θ, & λ Supinum.* Atque ſic liquidò ſatis conſtet, inſtrumenta Veterum ſeptem ſonorum quandoque fuiſſe: item ſingulos nervos ſingulos ſonos expreſſiſſe. Hoc etiam addo, & velut auctarium huic capiti conſtituo, Antiquos utra-

utráque manu in pſallendo uſos, ad ſimilitudinem hodiernæ noſtræ Harpæ: cum diſcrimine tamen iſto, ut dextera plectrum ſive pectinem tenerent atque dirigerent: ſiniſtræ digitis chordas impellerent. Nummi & lapides idipſum docent; ſed & Auctores. Apuleius lib. II. Florid. de ſtatua à Polycrate tyranno dicata: *Cithara baltheo cælato apta ſtructim ſuſtinetur: manus ejus teneræ procerulæ: læva diſtantibus digitis nervos molitur: dextera pſallentis geſtu ſuo ſabulum Citharæ admovet, ceu parata percutere.* Digitis autem pſallere, *canere intùs:* plectro, *foris* dicebatur. Aſconius in III. Verr. *Cùm canunt Citharistæ, utriuſque manus funguntur officio. Dextera plectro utitur, & hoc eſt* foris canere: *ſiniſtra digitis chordas carpit, & hoc eſt* Intus canere. Hæc ſimpliciter Aſconius: quæ tamen ratio harum formularum? Alii aliter, & poſt alios ego quoque excutiam hanc quercum. Cùm Muſica noſtra inſtrumenta inſpicio & contrecto, quæ veteris Lyræ formam reſpiciunt, eùm reliquias Muſicæ Antiquitatis; in eam

in eam opinionem inclino, ut exiſtimem chordas illas Lyræ non è medio jugo demiſſas limbum ſive marginem utrique reliquiſſe; ſed ad alterum latus fixas ac tenſas: ita autem Cithariſtam inſtrumentum ſuſtinuiſſe, ut alterum cornu pectori admoveret, & proprium utrique manui latus objiceret, exterius dextrę, interius ſive cavum ſorori ejus lævæ. Hoc autem adſpectu, ſi dextra, ſive plectro chordas impelleret, *Foris canere*; ſi læva, id eſt digitis, *Intus* dictum fuiſſe. Recipiebantur enim digiti, & in ipſo inſtrumento velut conditi *intùs* fides carpebant. Plectrum autem in dexteram propterea rejectum, eique proprium fuit; quòd *foris* & in occipite libertas oberrandi, nec à lateribus cornuum impedimentum ullum eſſet. Aliàs qui obſecro à plectro reciproco chordæ commodè impellantur? Periculum facito: ni verò vicero, Marſyas ego, in pœnam cecinero & cecidero; tu verò

----eris mihi magnus Apollo.

Difficiliorem atque ſuaviorem hunc

intus

intus canendi modum (quando diſcernebatur) olim habitum Scriptores indicant. De Difficultate Aſconius Aſpendii Citharistæ exemplo: *Difficile autem quod Aſpendius Cithariſta faciebat, ut non uteretur in cantu utraque manu; ſed omnia, id eſt veram cantionem* (rectè legas *univerſam*) *intùs & ſiniſtra tantùm manu complecteretur.* Ipſe Cicero: *Aſpendium Cithariſtam, de quo eſt Græcis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant ſuſtulit:* De ſuavitate Petronius; *Tam dulcis ſonus pertentatum mulcebat aëra, ut putares intùs canere Sirenum concordiam.* Ratio quoque in proclivi: nam qui *foris canebant*, plectro velut in uno digito chordas impellebant, id eſt, ſimpliciùs: qui *intùs*, quinque digitis velut totidem plectris. Cæterùm an ad omnes Citharæ ſpecies hi modi loquendi referantur dubito. Nam *Plures ejus Species* (verba Iſidori ſunt) *exſtiterunt: ut, Pſalteria, Lyræ, Barbita, Phœnices & Pectides, & quæ dicuntur Indicæ, & feriùntur à duobus ſimul. item alia autem & alia.* Vbi reponendum ex Anaxilao & Euripi-

de M. Anton. Delrius ſuſpicatur *Pſalteria, Lyræ, Barbita, Phorminges & Pectides, & quæ dicuntur Scindapſi.* Sed tolerari tamen *Indicæ* poteſt; cùm Ælianus ſcribat, Scindapſum Indorum inſtrumentum Muſicum fuiſſe, & ad ferociam Elephantorum leniendam valuiſſe.

CAPVT XI.

A Septem Vocibus regi affectus; præcipuè illum Amoris. Superſtitio Romanorum de Lepore.

ABERRO fortè longiùs, & radices proſequor miſſas extra fines. Licet. Nam ut ii, qui parietibus ſuis inter negotia clauſi per feneſtram tamen ſive cancellos oculis prodeunt, & vagantur mente: ſic inter opellam hanc ego non illubens volante iſta penna ceu pinnis erro; luſtro & illuſtro confinia illa Rituum & Doctrinæ. Quod tamen ut intra modum à me fiat, redeo ad penſum; ut

ſtamen

ſtamen & ſubtemen hoc abſolvam Muſæ Palladis. quod pertexam & finiam una aut altera etiam ratione. Cicero II. de Legibus verè graviterque ſcribit. *Adſentior Platoni nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi ſonos, quorum dici vix poteſt, quanta vis ſit in utramque partem. namq; & incitat languentes, & languere facit excitatos; & tum remittit animos, tum contrahit.* Strictiùs etiam Iſidorus lib II. Orig. cap. XVI. *Muſica movet affectus, provocat in diverſum habitum ſenſus.* Hujus tam occultæ, támque vehementis potentiæ vim audacter ego à ſeptenario hoc Vocum numero, quem probatum eo, profluere contendo.

----Ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur veriſimile vobis;
At ego id faciam eſſe ita ut credatis
Profectò ita eſſe, ut prædico, verò vincam.

Et ne ſingulos animi affectus excutiendo, ſermonem verbis farciam, de ſolo Amore ceu primo principéque agam, reliquos pro arbitrio habitu-

rus, ſi hunc unum habuero. Amor ſeptenario numero conſtat: veriſimile igitur ſeptenario eum quoque generari; ſed à Vocibus (exemplum protuli) Amor generatur: Voces igitur ſeptem eſſe, audeo aſſeverare. Quod dico, ſtabilio, & ſeptenarium illum numerum collectum per partes ſingulas eo. Amor *tria* in ſe primùm; deinde *quattuor* continet. quæ ſimul ſi jungo, conficio meam ſummam. De *Tribus* ſic manifeſtum fiet. In conjunctione affectus utriuſque, & mutuo animorum motu, maris mulierisque, duo in unum velút transformantur & coëunt. Vnde in Geneſi, cap. II. *Et erunt duo in Carne una.* Quid mirum? A viro enim originem mulier, noménque, Deo ipſo calante, traxit. Inibi: *Hæc vocabitur* Virago; *quoniam de* Viro *ſumpta eſt*. Quæ æterni Dei verba ipſum Patris Verbum denuò inculcavit, Matthæi XIX. *Itaque jam non ſunt duo; ſed Vna Caro.* Fidei Aſſertor Paulus, ad Philippenſes, *Et viri debent diligere uxores ſuas, ut Corpora ſua. Qui uxorem ſuam diligit, Se ipſum diligit.*

diligit. Nemo enim Carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam. Epiſt. 1. ad Corinth. *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, Vnum Corpus efficitur?* Taciti de feminis Germanis elogium huc facit: *Sic unum accipiunt maritum, quomodo Vnum Corpus unámque vitam: nec ulla cogitatio ultrà: ne tanquam maritum, ſed matrimonium laudent.* Itaque duo in unum junguntur, neque tamen duo eſſe deſinunt: è quibus Ternarium colligo. Sed Quaternarium quî reperiam? Non errabo longis anfractibus; ſed ex eodem fundo eruam, ex eodem fonte hauriam. Amor mutuus, qui Amor eſt optimus, duorum eſt. In utroque *duo* ſingulatim cerno & diſcerno: perſonam in amante amati ſeu amatæ, & amantis: id eſt, in viro mulierem & virum: in femina feminam atque etiam virum. Nec enim à ſe ipſo abit aut migrat, qui per Amorem in animum amantis tranſit; ſed numerum ſui habet (ſi unitas in numeris eſt,) & amantis. Facilè hæc capias, atque intelligas univerſa, quiſquis ſine impe-

dimento Amoris leges: imò faciliùs fortè, quiſquis cum experimento eiuſdem leges. Nam qui ſub Veneris regno vapulat, qui amat, ceterà fatuus & extra terminum Rationis poſitus, hoc uno ſapit maximè quà amat. Per partes collegi: nunc universè magis, & lumine accenſo latentem illum; & occultum inquiro Divum, impunè Pſyches horrendas pœnas floccipendens. Amor ex pulchritudine, aut opinione ejus naſcitur. Pulchritudo autem cum ſeptenario affine quippiam etiam habet. Hinc apud Græcos ἑπτάπευ]ος κόμη pulchra coma dicta, quòd ſepties tonderi poſſet. Apud Romanos iſta opinio, ut qui leporem ediſſet, formæ lepôrem quendam & pulchritudinem per dies ſeptem conſequeretur. Lampridius de Alexandro Severo: *Et quoniam de lepuſculis facta eſt mentio, quòd ille leporem quotidie haberet, jocus poëticus emerſit: idcirco quòd multi* Septem diebus pulchros *dicunt eos, qui* Leporem *comederint: ut Martialis Coci epigramma ſignificat, quod contra quandam Gelliam ſcripſit*

ſcripſit hujuſmodi.

Cùm Leporem *mittis, ſemper mihi Gellia mandas,*
Septẽ Formoſus *Marce* diebus *eris.*
Si verum dicis, ſi verum Gellia mandas,
Ediſti nunquam Gellia tu Leporem.

In Martiali ipſo diverſa lectio aliquãtulùm abit. In primo verſu, *ſemper mihi Gellia dicis.* In tertio, *Si non derides, ſi verum lux mea narras.* Pergit porrò Lampridius: *Sed hos verſus Martialis in eam, quæ* Deformis *erat compoſuit: Poëta verò temporum Alexandri hæc in eum dixit:*

Pulchrum *quòd vides eſſe noſtrum Regem,*
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & Lepus *comeſus,*
Ex quo continuum capit Leporem.

Sed reſpondiſſe huic ſarcaſmo mali Poëtæ non minùs doctum, quàm pulchrum Imperatorem, idem ſcriptor refert: *Hos verſus cùm ad eum quidam ex amicis detuliſſet, reſpondiſſe ille dicitur Græcis verſiculis in hanc ſententiam:*

Pulchrum *quòd putas eſſe veſtrum Regem,*

Vulgari miſerande de fabella;
Si verum putas eſſe, non iraſcor.
Tantùm tu comedas velim Lepuſclos
Vt fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Ego verò ne in Amore traham moram, quæ ad rem maximè faciunt, ejuſdémque Amoris cum ſeptenario conjunctionem probant, concipiam breviter, & in verba pauciſſima conferam. In Sacris litteris Patriarcha Iacob pulchritudinem connubiumq; Rachaêlis, quam amabat, ſeptẽ annorum fideli ſervitio ab avunculo ſuô emit: & ſeptem aliorum deinde meruit. Apud Ovidium ſimiliter Leander Amore amens, cùm dies ſeptem ob tempeſtatem maris exſpectaſſet, ultrà non potuit.

Septima nox agitur (inquit) *ſpatium*
mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.

Etiam plura? Septem Amoris gradus olim, hodiéque dicuntur, in quorum quincto Horatius oſcula ponit:

----quæ Venus
Quincta parte ſui nectaris imbuet?

Et

Et apud Hebræos ſeptem nominibus Amorem appellari, linguæ ejus periti ſciunt.

CAPVT XII.

Difficultas poſita & remota. Notarum & Numerorum comparatio. Vocis Intenſio & Remiſſio.

HEPTADEM hanc Vocum ſatis ſupérque jam oſtendi, quibus ſi ſeptem meas Notulas, VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI, ritè junxeris, concentum quemcunque miſceas, melos quodcunque Legas, *ſeu tu velles Aeolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Sed inquies: modulamina pleraque non clauduntur limitaneis iſtis Notis, ſed excedunt; & altiùs trahunt humanam etiam Vocem. Excedunt; nec tamen, ſine ænigmate loquor, excedunt: efferunt Vocem, non mutant. Nam uti in numeris, cùm à monade ad denarium, primum numérorum li-

mitem, perventum eſt, eoſdem iterando atque componendo progredimur in infinitum: ita in hiſce numeris, in hac noſtra Harmonica Lectione, poſt ſeptimam quamque vocem prima, ſed ſubtilior redit: & poſt ſeptimam quamque Notam, prima: atque ita deinceps ſecunda Notarum (de vocibus haud aliter cenſe) cum nona convenit; tertia, cum decima; quarta, cum undecima; quincta, cum duodecima; ſexta, cum decimatertia; ſeptima, cum decimaquarta: &c. Ab inſtrumento aliquo Muſico, ſi verba lucem negant, experimentum auriũ pete, quas ego ſi quæſtioni ſubdam, teipſum pro teſte ad teſtimonium citem. In hiſce autem Notis duplicem mihi ordinem obſerva, *Intenſionis & Remiſſionis*. Intenſio ſive ἐπίτασις, *eſt vocis commotio à loco graviore in acutum.* Remiſſio ſive ἄνεσις, *ab acutiore in gravem.* Sed hîc velim director aliquis aut edomator vocis, ut cum Tertulliano dicam, præeat atq; ducat. Quod autem ad numerorum comparationem, Phryges magis ad propoſitum,

quibus

quibus teſte Herodoto, ſeptenarius varietatem ſimplicium numerorum terminabat: *qui numerus*, ut rectiſſimè Tullius in Somnio Scipionis, *rerum omnium ferè nodus eſt*.

CAPVT XIII.

Nomina, & ordo chordarum Lyræ. Iis aptatæ Septem noſtræ Notæ. In pſallendo Pollicis præcipuum olim fuiſſe uſum.

QVOD ſi quis à numeris ad Lyram, quam ſeptem Vocum diſcrimine anteà ornavimus, tranſeat, & ejuſce chordis Notas etiam hasce aptare velit, novo utiliq; commento, id ſane quàm poſſit. Lyræ chordæ olim hoc ordine, & hiſce nominibus fuêre: *Hypate*, *Parypate*, *Hypermeſe*, *Meſe*, *Parameſe*, *Paranete*, *Nete*. Prima dicta Hypate, non ob acumen tantùm vocis, ſed præſtantiam quandam & virtutem: ὕπατος enim quaſi ὑπέρτατος eminentiæ atque dignitatis gradum ſignificat. quo primùm Cecrops, Pauſa-

Pauſania in Arcadicis referente, Iovem nuncupavit: ac deinceps Homerus, aliique. Palàm verò Romanos quoque Conſules, ὑπάτους Græcè, tanquam Principes Senatus dictos. Hypermeſe etiam λίχανος nuncupata, ab Indice; quòd illo illa chorda digito pulſaretur. Sic Marcianus de Sonis Errantibus, ſive vagis: *λιχανοειδεῖς dicuntur à digito, qui miniſter artis, & cantus ſingulos movet; eſt autem Primus à Pollice.* Explico, ſiniſtro. manum enim dexteram, ut docui, plectrum occupabat. *Pollex* autem, Macrobio ſcribente, *nomen ab eo quòd pollet accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minùs quàm tota manus ſemper in officio eſt: unde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quaſi altera manus.* Hîc igitur, etſi Index uſum frequentem atque inſignem habuit, Pollex tamen magis: quem unum, neglectis reliquis digitis, nominant Poëtæ, atque etiam Plectro opponunt, cùm Intus Foriſq; canendi modum diſcernunt. Tibullus ad Phœbum:

Nunc te vocales impellere Pollice chordas,

Nunc

Nunc precor ad laudis flectere verba
melos.

Martialis;

Fervida ne trito tibi Pollice puſtula
ſurgat,
Exornent docilem garrula plectra
Lyram.

Horatius:

Lesbium ſervate pedem, meiq;
Pollicis ictum.

Claudianus lib. II. De raptu:

Et reſides leni modulatus pectine nervos,
Pollice feſtino nobile duxit ebur.

Νήτη quaſi Νεάτη; id eſt, ultima ſive noviſſima. Hancatque etiam Μέσην Ælianus in Varia Hiſtoria libr. IX. cap. XXXVI. nominat: ubi Antigonus Rex conſtringiutramque hanc chordam jubet. Nec Chordæ duntaxat iſtis nominibus fuère; ſed ipſi quoque Soni: præcipuè tamen Chordæ, quas nunc ordine in Notas meas ſtringo, & *Vocalem* propriè Lyram facio, ridente Cynthio, non ringente. *Hypàte* igitur BI ſibi habeat, & acutè tinniat: *Parypate* LA, & valgè ſallet: *Hypermeſe* SOL, & ſuaviter perſonet: *Meſe* FA, & tem-

temperatè ſuccinat: *Parameſe* MI, & blandè mulceat: *Paranete* RE, & tremulè perſtrepat: *Nete* UT, & fuſcè mugiat.

CAPUT XV.

Planetæ Lyræ chordis tribuuntur: Planetis Notæ. Septem Typi Harmonici.

LINEAM hanc ſequar; & jucunda magis quàm neceſſaria ſubtilitate, ut cum Plinio dicam, pauca etiam quæ antiquitùs tradita comperi, aut inventione nova concepi, non per guttas ductim ſtillabo, ſed impetu quodam effundam. Veteres Lyræ chordis (teſtantur id rei Muſicæ qui exſtant priſci ſcriptores: & non obliquè Poëta Venuſinus: *Muſa dedit fidibus* Divos) ſeptem Deorum ſtellis illuſtres orbes tribuebant. *è quibus* ſtellis (verba Ciceronis ſunt) *unum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde eſt hominum generi proſperus, & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur*

tur Iovis. Tum rutilus, horribilisq́, terris, quem Martem dicitis. Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet Dux & Princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtret & compleat. Hunc ut comites ſequuntur, Veneris alter, alter Mercurij curſus. In infimóque orbe Luna radiis Solis accenſa convertitur. Rationem priſci iſtius commenti attentiùs inſpicio; originemque ejus non illubens eruo, è ſimilitudine quadam ſoni & ſitus. Cæleſtium illc orbium ſonus ſive concentus à motu proficiſcitur. Duplici verò motu Planetæ feruntur: *Mundano*, ſive præcipiti illa cum Cælo Vertigine, ad Dexteram (cum Aſtronomis loquor) ab Ortu in Occaſum: & *Proprio*, quo retrò contrario curſu deflectunt ad Lævam, ab Occaſu in Ortum. Proprio, Luna velociſſimè, Saturnus autem ſenili, & podagroſo quodam gradu tardiſſimè: & exteriores quique lentiùs moventur. *Quoties enim* (verba Macrobii in fidei præſidium advoco) *plures orbes intra ſe locantur; ſicut maxi-*

mus

mus eſt ille qui primus eſt, & minimus qui locum ultimum tenet: ita de mediis, qui ſummo propior eſt, inferioribus major; qui vicinior eſt ultimo, brevior ſuperioribus habetur. Et inter has igitur ſeptem ſphæras gradum celeritatis ſuæ ſingulis ordo poſitionis adſcripſit. Ideò ſtellæ, quæ per ſpatia grandiora diſcurrunt, ambitum ſuum tempore prolixiore conficiunt; quæ per anguſta, breviore. Mundano verò motu Saturnus contrà perniciſſimè, Luna femineo & teſtudineo greſſu lentiſſimè procedit. Hoc ſenſu Cicero in Somnio. *Et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter; ex altera autem acutè ſonent. Quam ob cauſſam ſummus ille cæli ſtellifer curſus, cujus converſio eſt concitatior, acutè excitato movetur ſono; graviſſimo autem hic Lunaris atque infimus.* Diffusè atque curiosè ad hunc locum Commentator. Secundùm duplicem hanc differentiam dupliciter Planetarum orbibus chordarum HEPTADEM jungo:

Si mo-

Si motum MVNDANVM reſpicio.	*Saturno* Hypaten, *Iovi* Parypaten, *Marti* Hypermeſen. *Soli* Meſen. *Veneri* Parameſe n. *Mercurio* Paraneten. *Lunæ* Neten.
Si PROPRIVM Planetarum.	*Saturno* Neten. *Iovi* Paraneten. *Marti* Parameſen. *Soli* Meſen. *Veneri* Hypermeſen. *Mercurio* Parypaten. *Lunæ* Hypaten.

Sic utrobique acumen atque gravitas chordarum orbiúmque reſpondeant ex aſſe. Priorem tamen comparationem probem magis & complectar, Tullii inprimis cauſſa, quem (licet cum diſcrimine aliquo) huc traho. Is ex motu *mundano* orbium ſonos penſitans, in eodem Somnio inſomnis de iiſdem orbibus ſcribit: *Septem efficiunt diſtinctis intervallis ſonos: qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt. Quod docti homines Nervis imitati, atque Cantibus, aperuerunt ſibi reditum in*

hunc locum. *Cur verò nervis imitati, & diſtinctè cantibus?* Ratio in proclivi: ut nimirum per iſtos *Organicam*, per hoſce *Harmonicam*; & utrique huic parti vim quamdam divinitatis à cæleſti origine ineſſe intelligas. Itaque Flos ille illibatus populi, Suadæq; medulla à nobis, & pro comparatione noſtra ſtat; cum diſcrimine tamen aliquo, ut dixi. Diſcrimen iſtud: quòd ſeptem nervos, non ſeptem Planetarum orbibus; ſed, ſtellifera hiſce ſphæra adjuncta, octo curſibus cæleſtibus tribuat; velitq; Mercurii Veneriſq; globos, ut velocitate motus, ſic ratione ſoni convenire. Ait enim: *Illi autem Octo Curſus, in quibus eadem vis eſt Duorum* (ſuppoſititium eſt *modorum*) *Septem efficiunt diſtinctis intervallis Sonos.* Quod clariùs Macrobius commentarii ſui face illuſtrat: *Octo ſunt igitur quæ moventur; ſed Septem ſoni ſunt, qui concinnentiam de volubilitate conficiunt. propterea quòd Mercurialis, & Venereus orbis pari ambitu comitati Solem, viæ ejus tanquam ſatellites obſequuntur: & ideò à nonnullis Aſtronomiæ ſtudentibus eandem vim ſortiri*

tiri exiſtimantur. Itáne multiloquus in re fortaſſis aliena videor ? tempero, & seriò nunc tibi obtempero. A Chordis, ad Notas meas tranſmigro, eaſdémque ſub comparationem quoque mittens, orbibus adſcribo:

ORBI	*Lunæ*, VT:
	Mercurii, RE:
	Veneris, MI:
	Solis, FA:
	Martis, SOL:
	Iovis, LA:
	Saturni, BI.

Quod concinnè ita à me factum, ipſa Mundana Muſica doceat; ac ſi remotiori ſimilitudine lubet uti, magis etiam probes. Etenim, Planetæ ſicuti hebdomadem, ſive, ſeptenarium dierum circulum intermino velut lapſu volvunt; ſinguliq́; diurni quadam imperii viciſſitudine primatum obtinent, & præſunt primæ horæ (unde & nomina dies ſortiuntur:) ita ſeptem hæ Notę univerſam Harmonicam Lectionem in ſeptem à Muſicis Typos diviſam abſolvunt. Typos illos voco *Certam, & Ordinatam Notarum ſeriem,*

Litteris indicibus diſtinguendam. De Litteris autem mox ſubjungam: earúmque, uti præſcripſi, uſu. Ipſi verò Typi ſeptem ſunt, & , ad noſtrum propriè Secretũ, utriuſq; Generis Harmonici copula, ceu Noctis Dieiq; nexu geminati. in quibus ſingulæ meæ Notæ, Planetarum exemplo, obtineant primam ſemel, atque adeò ſingulas ſedes. In figuris ipſis, qui volet, animadvertet, & ſeptijugò Notarum plauſtro percurret. Ego verbis, quantum licet, repræſento. Et quoniam quinque lineis quatuor diſtingui ſpatia ſolent, per quas, & per quæ Notæ diſponuntur: primam ſedem, verbi gratia, in infima linea loco; in intervallo proximè ſequenti ſecundam; in ſecunda deinde linea tertiam; in ſecundo intervallo quartam, & ſic deinceps. Singulæ igitur Notæ infimam, ſive primam ſemel lineam occupant, primumq; intervallum; ſemel ſecundam lineam, ſecundúmque intervallum; ſemel tertiam lineam, tertiúmque intervallum, ſemel denique lineam quartam.

C. in

C.in infima linea,ſive prima, & C. cui b. adhæret, in media ſive tertia, primum typum conſtituunt: & ſic in prima linea Notam VT.

F.in media,& G. in prima cum comite b,ſecundum typum, & notam VT in primo intervallo.

C. in ſecunda linea,& C.in quarta, cum comite b;tertium typum;& Notam VT in linea ſecunda.

F. in quarta linea, & C. in prima, cum comite b,quartum typum,& Notam VT in ſecundo intervallo.

C. in tertia linea, & F. in eadem, cum cõmite b, quinctum typum, & Notam VT, in linea tertia.

G. in ſecunda linea,& C.in eadem cum comite b, ſextum typum,& Notam VT in tertio intervallo.

C. in quarta linea, & F. in eadem, cum comite b, ſeptimum typum, & Notam VT in linea quarta.

Signari autem C. quibuſdam velut ſcalis: F. ſemicirculo dextero cum gemino puncto ɔ: Denique G. ſimpliciter, & ſine larva, pòſt dicturus ſum: ubi & manifeſtiora hæc omnia erunt.

CAPVT XV.

Notæ cum ipſa vita humana comparantur. Gradus ætatis. Taciturnitas & Garrulitas expenſæ. Dies Luſtrici. Nominalia. Circumciſio apud Aegyptios, & Aethiopes.

QVEMADMODVM ii, quos caſus aliquis in gurgitem detulit, arbitrium amittunt ſui, & aguntur violento raptu: ita ego vix pedem in divinis illis æternisq; corporibus poſui, & velociſſimo illo motu transferor, nec conſiſtere queo intra ſermonis mei fines. Num invitus? ſi cum diſpendio id tuo fiat Lector: lubens, ſi cum voluptate aliqua aut cum fructu. Nec ego tamen haud longulè me abduci patiar; ſed vim mihi ipſe inferens, in confinio cæleſtis motus, in Temporis inquam contemplatione ſtilum firmabo. Harmonica Lectio quòd ſeptem Notarum curriculo rectè abſolvatur, ſimilitudine id fieri humanæ vitæ haud temerè dixerim, quæ tan-

tanquam modulatio quædam atque harmonia ſeptenariis ſpatiis volvitur ad præfixum ſuum finem. Cenſorinus ad rem, lib. de Die Natali, cap. 11. *Alter autem ille partus qui major eſt, & majori numero continetur, ſeptenario ſcilicet, quo rota humana* (in veteri libro eſt, *quo vita humana* conjungam, & littera mutata legam: *quo tota vita humana) finitur, ut Solon ſcribit, & Iudæi in dierum omnium numeris ſequuntur, & Hetruſcorum libri rituales videntur indicare.* Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis: *Hic denique eſt numerus* (ſeptenarius) *qui Hominem concipi, formari, edi, vivere, ali, & per omnes gradus tradi ſenectæ, atque omnino conſtare facit.* Gradus autem illos etſi variè Antiqui diſtribuerint; tamen *ex his omnibus* (verba Cenſorini ſunt) *proximè videntur acceſſiſſe naturam, qui Hebdomadibus humanam vitam emenſi ſunt. ferè enim poſt ſeptimũ quemque annum articulos quoſdam, & in his aliquid novi natura oſtendit.* Quod ipſum latiùs explico & diduco. Prima annorum hebdomade dentes qui primi emerſerant, aliis aptioribus ad cibum

ſolidum naſcentibus cedunt, niveúmque gyrum gingiva regignit, & effreni illi membro vallum opportunè circumducit, nequid temerè blateret atque divulget. Vnde congruenter, *petulantiæ verborum coërcendæ Vallum eſſe oppoſitum Dentium, luculentè* (apud A. Gellium Homerus) *dixit: ut loquendi temeritas, non cordis tantùm cuſtodia, atque vigilia cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur.* Penitùs hoc neceſſarium: inprimis, in ipſo velut limine Rationis & ingreſſu, quod Decima illa Muſa ait, domitos habere oculos, manus, Orationemq;. Et ſapienter *Primus Philoſophiæ*, (Pythagoram Punicus ille ſcriptor intelligit lib. II. Florid.) *nuncupator & conditor nihil prius diſcipulos ſuos docuit quàm Tacere: primaq; apud eum meditatio ſapienti futuro linguam omnem coërcere, verbáque, quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premere. Prorſus*, inquam, *hoc eſt primum ſapientiæ rudimentum, meditari condiſcere, loquitari dediſcere:* ut ſic paullatim lingua dometur; ſupellex

pellex illa muliebris in promptuario rationis condita ad uſum præparetur; poſſitq; qui volucrem vocem geſtitat, *& cùm dicto opus eſt, impigrè dicere: &, cùm tacito opus eſt, libenter tacere.* ſic tandem *non minùs opportuni ſilentij laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium* conſecuturus. Fidem aurium tuarum appello. Quid inepta garrulitate odioſius? quid moroſo ſilentio ſtolidius? Non Locutuleium, cum priſcis, Blateronem, Lingulacam; ſed rabidum jure meritò dicas, qui nullo rerum pondere innixus, verbis autem humidis, & lapſantibus defluens, obſtrependi finem neſcit: fatuum ſimiliter, qui neſcit obmuteſcendi. *Magna res eſt vocis & ſilentij temperamentum.* O illum prudentem! qui cum Plautino Periplectomene verè efferre poteſt:

> *Commemini & meæ orationis juſtam partem perſequi:*
> *Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.*

Talem me tibi, quiſquis es, probare ex animo cupio: talem etiam optare te mihi poſſum; formare niſi hiſce

monitis, non poſſum. Secunda hebdomade vox ipſa gallulaſcit, ramus roboraſcit: & ad ſummam ætas neceſſitate pubeſcit. *Tunc enim moveri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio feminarum. Ideò & tutela pueris, quaſi virile jam robur, abſolvitur: de qua tamen feminæ, propter votorum feſtinationem, maturiùs biennio legibus liberantur.* Tertia, primo lanuginis flore adumbrantur genæ, terminúſque creſcendi ſtatuitur. Hoc nos ſpatium biennio jam tranſvecti, concitato ferimur curſu ad deſtinatam, & ab æterno præfixam metam. Tu me Æterne conſerva, ne in lubrica hac via vacillem & labar: dirige, ne à vero ſcopo, à te Summo Bono aberrem. Da rectùm potiùs, quàm longùm currere; recta diſcere, recta facere, in honorem tibi, mihi in ſalutem. Quarta, habitudo univerſi corporis, & robur virile ad benè fortitérque agendum formatur, & firmatur. Quincta, natorum & poſteritatis amore connubia fiunt, quæ tu Lector, ad lectionis tuæ fructum irrigabis rivo, quem aliàs è ſcatebra

Anti-

Antiquitatis duxi. Sexta, Ratio mentis perfectionem ſuam in corpore jam compoſito capit: Prudentia acquiritur, & rerum uſus. Septima & Octava, dotes animi, linguæque facundia in flore ſuo vigent. Nona, mala ætas, quam Veteres ſenectutem dixêre, occupat, fugiúntque corporis pariter animiq; vires. Decima, oſtendi incipit publicus generis humani finis, annorúmque pondere gravatum hominem, cui ob res plurimas peſſimas odio eſſe vita incipit, ad exodium vitæ Parca non intempeſtiva perducit. Atque hic portus humanæ navigationis. *in quem* (ut rectè Seneca) *ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quàm qui citò navigavit. Alium enim, ut ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant. alium pertinax flatus celerrimè perfert.* Diviſionem illam à me factam uno alteróve teſtimonio firmo. Cenſorini ex Elegia Solonis referentis, *In prima hebdomade dentes homini cadere; in ſecunda pubem apparere; in tertia barbam naſci; in quarta vires; in quin-*

cta

ctamaturitatem ad ſtirpem relinquendam; in ſexta cupiditatibus temperari ; in ſeptima prudentiam linguámque conſummari ; in octava eadem manere , in qua alij dixerunt oculos albeſcere ; in nona omnia declinare ; in decima hominem fieri morti maturum. Macrobii lib. I. in Somnium Scipionis,cap.VI.qui ut annos taceam , menſes eodem redigit: *Poſt ſeptem verò menſes dentes incipiunt mandibulis emergere. Et poſt bis ſeptem* (in tranſitu verum verbum reſtituam) *ſtat ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem, ſonus ejus in verba prorumpit. Et poſt quater ſeptem non ſolum ſtat firmiter , ſed & incedit. Poſt quinquies ſeptem, incipit lac nutricis horreſcere,niſi fortè ad patientiam longioris uſus continuata conſuetudine protrahatur.* De his gradibus Volateranus ſcribens, *Annorum hebdomade ſecunda,* ait, *poſt pubertatem antiquitus pueris nomina imponi; cùm antea dubiam putarent vitam.* Itáne tota pueritia ſine nomine ? quî infantem nutrix,quî filiolum parentes compellarunt ?

Οὐ μὲν γάρ τις πάμπαν ἀνώνυμός ἐς' ἀνθρώπων.

A pri-

A primo pueri cujuſpiam nomine ſi ante lucem ire occipias, concubium ſit noctis, priuſquam ad poſtremum perveneris. Itaque Luſtricum diem, quo nomina pueris olim dabant, & fata ſcribenda advocabant, prima dierum hebdomade, aut poſt eam ſtatim cenſeam celebratum. Cujus rei teſtem Pompeium Grammaticum laudo; *Luſtrici dies*, inquit, *infantium appellantur : puellarum Octavus, puerorum Nonus ; quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.* Macrobium lib. I. Saturn. *Eſt etiam Nundina Romanorum Dea, à nono die naſcentium nuncupata, qui Luſtricus dicitur. Eſt autem Luſtricus dies, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt : Sed is maribus Nonus, Octavus eſt in feminis.* Atque hi Luſtrici dies *Nominalia* quoque dicebantur. Volaterranus tamen Ægyptios reſpexiſſe viſus, quaſi ii quòd quarto decimo anno mares, feminaſq; circumcidere ſoleant, tunc etiam nomina dederint. Refert Herodotus ab Ægyptiis Æthiopes quoq; circumcidendi ritum accepiſſe, quem hodiè in utroque ſexu

ſer-

ſervant. Sed de Septenario plura Philo Iudæus libro De Mundi Opificio. Ad rē. Harmonia hominis iſtiuſmodi intervallis conſtat: & per hoſce velut gradus gradimur, & abimus in communem locum. O illum beatum! qui moriens & vitæ Muſicam finiens in auribus poſterorum ſonum reliquit Modeſtiæ ac Virtutis: Beatum! qui repagulis atque cuſtodiis corporeæ molis liberatus, & in æterna illa templa evectus, ſuaviſſimum ſeptem orbium concentum, humanis auribus incognitum percipere coràm & intelligere meruit.

CAPUT XVI.

Tranſitio ad Litteras, in iis duo conſiderari: quam unaquæque deſignet Notam, & in qua linea aut intervallo. Item de duplici Genere Harmonico.

DE Notarum numero, & nominibus ſatis dixi: *Litteras* aggredior, per quas in tabella Notæ inveniun-

niuntur. Eæ ſeptem: A,B,C,D,E,F,G. Muſicis etiam noſtris notæ hodie atque uſurpatæ, pari numero, diſpari uſu. illis ad ſenas,& vulgares illas Notulas: mihi verò ad ſeptem meas, longeque faciliùs cõmonſtrandas. Quod ne longo potiùs verborum circuitu, quàm reapſe probem, etiam atque etiam cautio eſt. In Litteris igitur duo conſidero: Quam unaquęque Notam deſignet: &, in qua linea, aut intervallo. Prius diſtinguo pro duplici Genere Harmonico: Veteri, quod ſolum in Media Muſica uſurpatum agnoſco, quódque vulgari vocabulo *Durum* dicitur; & Novo, quod à noſtris reſtitutum, nomen *Mollis* meruit. Hoc diſcernas, *ſi quando Littera* B, *hemitonium deſignans, expreſſa eſt:* Iſtud, *ſi quando non expreſſa.* In Molli igitur A connexam habet MI: B, FA: G, SOL: D, LA: E, BI: F, VT: G, RE: In Duro A ſibi adſciſcit LA: B, BI: C, VT: D, RE: E, MI: F, FA: G, SOL. Quam differentiam hemitoniorum variata diſpoſitio genuit. Conſtituerunt enim Muſici,

PRO

PRO GENERE ANTIQVO:

	A		B		MI		FA *Hemit.*
	B		C		FA		SOL *Tonū.*
In-	C		D		SOL		LA *Ton.*
ter	D	&	E	*item*	LA	&	BI *Ton.*
	E		F		BI		VT *Hemit.*
	F		G		VT		RE *Ton.*

PRO NOVO.

	A		B		LA		BI *Tonum.*
	B		C		BI		VT *Hemit.*
In-	C		D		VT		RE *Ton.*
ter	D	&	E	*item*	RE	&	MI *Ton.*
	E		F		MI		FA *Hemit.*
	F		G		FA		SOL *Ton.*

Diligens Lector attentiùs hæc conſiderabit, & cum iis, quæ ſuprà de diaſtematis Muſicis diximus, utiliter cõferet. In qua linea, aut intervallo ſupereſt: de quo breviter dilucideque dicam, ſeriò repeto; Harmonicam univerſam Vocibus abſolvi: cognóſcendis Vocibus Notas eſſe: Notis, iſtos Litterarum characteres. quorum quatuor

tuor ſolummodò exprimuntur: B,C, F,G. Nec eæ ſimul tamen aut conjunctim:ſed ſingulæ aut binæ,in principio linearum. Qua imagine, aut forma? barbara & ignota propemodum ex avorum partim, partim nupero ac recenti uſu ſcriptionis. C in formam velut ſcalarum paſſim ſcribitur,pro Gravi,Media & Acuta Voce: in utroque Genere: in prima,ſecunda,tertia,& quarta linea; duabus Notis Antiquis, quas quadratas promiſcuè notabant,compoſita. Exempla in Muſicorum libris occurrent.F,tribus ſimiliter Notis, pro Gravi Voce tantùm: in utroque Genere: in tertia, & quarta linea.vel compendii cauſſa ſemicirculo lævo cum gemino adjecto puncto, ɔ:. G ſimilitudine quadam veræ formæ, pro Voce Acuta tantùm: in ſecunda linea: in utroque Genere. Denique interdum B, ſed, noſtram quidem ſi rationem ſcribendi inſpicis,ſine velamine ullo aut larva, in Genere tantùm Antiquo, cujus proprium ſignum eſt: in omnibus lineis, & intervallis; ſed cum aliqua

N ſemper

ſemper priorum: uti figuræ demonſtrant. Reliquas non notatas Litteras per haſce quatuor ſic noſces. Ab Littera indice, ſi aſcendendum eſt, ſecundùm Alphabeti ordinem ſeptem primas numerato, & ſi ultrà eundum, iterato: ſin deſcendēdum, caneer eſto, & in contrarium ito; ſed ito, id eſt gradatim, à linea ad intervallum, ab intervallo ad lineam, & ſic deinceps. Si ſalis aut tranſilis, erras, & confundis totum greſſum. Ergò ritè Litteras ſingulas erues: per Litteras, Notas: per Notas, Voces, quæ MVSATHENÆ ſumma eſt.

CAPVT XVII.

Quæ de Litteris hactenus dicta, quomodo per compendium cognoſcantur. Concluſio operis, & votum ut locum hæc publicè reperiant.

TAMEN rupinas & ſenticeta hic nonnemo clamitet, & viam ſcrupoſam dixerit hanc doctrinam. Quis obſe-

obſecro, niſi qui ab ingenio nudus, nulláq; ſcientiæ fultura ſubnixus eam inierit? cui, ut, quantum conditio permittit Artis & natura, ſubveniam, novam lenémque ſemitam ſterno per eadem hæc præcepta. Sequere & audi. Notarum ordinem ſurgentem, & cadentem exactiſſimè fac calleas, magis (Plauti jocus eſt) callum quàm prugnum callere ſolet; & Tonis Hemitoniiſque ritè obſervatis intendas Vocem, aut remittas. Deinde, cantiuncula propoſita, à ſigno ſive Littera notata ad Notam reſpondentē tranſeas: hinc, ad reliquas, neglectis Litteris, Notas. Facilè id quidem in Genere Molli, ubi in limine ipſo linearum *b* expreſſa inibi canendum eſſe FA, exerto velut digito monſtrabit. In Genere verò Duro differentia eſt trium harum Litterarum: C, F, G, quarum per iſtam SOL, per illam FA, per hanc denique SOL ſine alio notore cognoſces. Ad ſummam, ubique Litteram ſignatam conſule, Notam erue, proprio nomine, & Voce compella: ad comites te proximas, ſuperas

peras & inferas ducet haud difficilis, vix rogata. Cautionem tamen hanc adhibe, ut ſi inter canendum cum comitatu litteræ ſive ſigni cujuſpiam Nota obrepſerit, eam novo quodam vocis affatu Phthongum commutans, compellabis.

Hic igitur Muſathenam meam finio, & glorior viam hanc novam aperuiſſe, ſtili acumine æquaſſe, ad publicam, remotis ſentibus, itionem. Vtinam mens iis, qui inſtituunt juventutem, hæc docendi! non deeſſet ratio aut modus inducendi. Maxima pars breviariis ſcientiarum capimur: & in itinere ea via optima, quæ breviſſima eſt: quæ ſalebras orbitarum, impedimenta ſaxorum, conflugem imbrium fugiens, in ſemita compendium monſtrat. Huc flectite, qui ignaros rudium animos ad Harmonicæ Lectionis amœnitatem ducitis, ne longiùs ducatis. Huc flectite, qui eodem ſponte itis, ut certiùs eatis. Inſpicite, imò expendite novam hanc doctrinam, qui in veteri nomen jure profeſſi, quiq; non profeſſi: ut quemadmo-

admodum loci, & luci quidam ad uſum fructúmque publici: ita hoc ſcriptum fiat, in quo legat colligátque pro ſe quiſque, quæ ad animi ingeniique ſui guſtum: quærat & inquirat, quæ ad ſcientiæ amplioris fructum. Sed,ut concludam,

Inveniat quod quiſque velit: non omnibus unum eſt
Quod placet. hic ſpinas colligit, ille roſas.

ERYCI PUTEANI

AMOENITATUM HUMANARUM

DIATRIBA III.

ITER NONIANUM,

Muſathenæ Epitome.

Ad Clariſſimum V.
LUD. SEPTALIUM,
Patricium & Medicum Mediol.

TANDEM *induci potui,* LUDOVICE SEPTALI, *ſtirpe & nobilitate inter urbis tuæ primos, eruditione & humanitate ſupra primos; ut egomet me ſequerer, & ſemel preſſa in pulvere Muſico veſtigia recalcarem. Quid enim, ſi iterato hoc exemplo*

plo hæſitantes traham? Proclivem multorum voluntatem perſpexi: repreſſam tantùm; quòd uſum in re nova ſequi unusquiſque maluerit, quàm dare. Sic ab uno multi pendent, & ſectatores multos ego habuero, ſi unum. Primo frigore conſtricta flumina ſi primum ferunt, mox tranſcurrunt omnes, nec diſtinguitur elementum: ita hìc erit, non confidentia aliqua mei, ſed judicio nobilium Muſicorum, quibus doctrinæ hujuſce ratio proba viſa, & firmo validóque fundamento niti: locum autem publicè invenire poſſe, ſi nudo & ſimplici ſermonis quodam contextu vulgaretur. Id nunc facio, ſub auſpicio, Vir Clariſſime, nominis tui: & SEPTEM *tuis* ALIS *ſacras eſſe cupio Septem meas Notas. Ita vale Inſubrum egregium decus, &* DIATRIBAM *hanc munuſculi loco habe.*

ANTE menſes aliquot, cùm perilluſtris Viri, & Italiæ Phœbi PINELLI conſilio in NONIANVM irem, ut poſtumas BEMBI delicias, ſecretúmque Muſeium utili curioſitate luſtrarem; comes itineris mihi

 fuit

ſuit honeſtiſſimæ frontis adoleſcens Arnaldus Cathius, ingenii & Poëſios laude jure ornatus. Is à primo ſtatim egreſſu (commodùm Sol emerſerat) amœni ſermonis telam ordiens, verborum quadam ambage ad Muſathenam meam divertit: in eáque blandientem orationem figens, ſic infit. Harmonicæ Lectionis novam Inſtitutionem PVTEANE, bono publico in publicum nuper à te productam, Philologo mundo deliciosè ornatam vidimus, & uno verbo arſimus, capti novitate ſcripti, & induſtria ſcribentis. O ſi nudam & puram Artem liceat contueri, & ad fructum propiùs contrectare! PVT. Quaſi optes Minervam Veneris ſchemate introduci. CATH. Quaſi id tu divines. PVT. Quia huc me cogis, obſequar, & poſt armorum exuvias, *ἀναβολάδιον* hoc elegantioris litteraturæ, qua teretem lacteámque formoſitatem Deæ meæ inumbravi, tollam; itineris, & deſiderii tui cauſſa. Tu verò Actæon vide novæ ne ſis Dianæ. CATH. Meo periculo. Quid autem? progredi lubet,

an

an potiùs juxta ſupercilium præterfluentis rivi tantiſper conſidere, ad murmur vocalis aquæ? PVT. Hoc potius, ſi quidem ſermonem meum æſtimas; quia enim cum Tranione Plautino nimiò plus ſapio ſedens: atque ut omen ſcias, Pan ipſe invitat, qui ecce inter virides exadverſùm arundines complexus Cannam Deam, ad ſeptenas voculas præit. Grumum hunc occupo: tu adſide, & tabellas prome, uti σχήματα, quæ exſculpam, excipias. CATH. Quid tabellas? quin imò condam eas, ſi adſint, adeò non promam. ad veterem te morem redire volo, & pulviſculum arare: hanc inquio in planitiem coactam nudati alvei arenam. PVT. Lepidè remediũ reperiſti, in re nova παλαιογράμμην. Nunc igitur ordior.

Harmonica Lectio, eſt Vocis ad ſigna ſcripta intenſio atque remiſſio, per Diaſtemata ſua, tempore & modo obſervato. Quibus verborum terminis rem totam circumſepſiſſe mihi videor. Vocem enim ſi ex Notarum ſitu ſive poſitura juſto Intervallo in-

tendas atque remittas; ex forma earundem legitimo Tempore producas aut corripias, Annulum capere, ut pro veteri more loquar, & nomen Muſici profiteri auſis. Vtrumque illud ex præceptis, & ſimul Artis uſu petendum. Artem illuſtrare methodus tradentis poteſt: uſum verò lævigare niſi exercitatio diſcentis non poteſt. Itaque laborem, quem mihi diſpartivi, ſubeo, & expetitum ſecretum ob oculos tibi clarè pono, ad ampliorem MVSATHENAE lucem.

Tu animum advorte. CATH. Imò & linguam. percunctari enim in ipſo limine lubet, quo fine ſpem annuli facias. PVT. Annuli? ut inter Muſicos more & ritu veteri cenſearis. Horum enim inſigne Annulus, ſive etiam Gemma. Gemmæ Plinius lib. XVII. ca. II. meminit. Annuli Suetonius de Symphoniacis Neronis loquens: *Inſignes pinguiſſima coma, & excellentiſſimo cultu pueri; nec ſine Annulo lævis.* quaſi dicat, ad conſuetudinem aliorum Muſicorum, & Citharœdorum lævas Annulis

nulis habuiſſe ornatas. Quam lectionem Vir doctus in ſuis ad Suetonium Commentariis emendare ex veteri codice maluit: *excell. cultu pueri, ac ſine Annulo lævis*. Perperam. cùm enim honori aut ornamento Annuli, qui obſecro, ut à cultu, ita à carentia Annulorum pueri illi laudentur? Ergo ſi æſtimanda vetus lectio, leviter mutes: *at ſine Annulo lævis*, pro *ac ſine*, diſcriminis alicujus cauſſa, quo à reliquo Muſicorum grege removebantur. Sed vulgata mihi ſcriptura placeat; ut Symphoniacis hiſce, & velut tyronibus jus etiam Annulorum fuerit, inſigne ſuæ artis. Nunc niſi aliud vis, progredior, & tenſum Deſcriptionis meæ filum ſequor. Cath. Progredere, ſequere. Put. Vox, in qua fundamentum Lectionis ſternitur, *eſt ſonus ipſe, quem*, ut concinnè Lucretius,

----corpore noſtro
Exprimimus, rectóque foras emittimus ore.

Hujus differentias Natura ſeptem cōſtituit, & oraculum Maronis definivit, *Septem diſcrimina vocum*. Poſt ſeptimam

mam enim in eaſdem recurrimus, ſoni natura pariles, etſi acuminis quadam affectione diſcrepantes: haud aliter, quàm ſi parem ejuſdem liquoris menſuram, nunc lato, nunc anguſto vaſe promas. Septem illis Vocibus olim Eccleſiæ Antiſtites memoriæ & prolationis cauſſa ſeptem litteras tribuerunt: A,B,C,D,E,F,G. Ego verò ad uſum noſtri temporis, præter litteras, ſeptem eis voculas ſive Notas (quæ *ſigna ſcripta* appellavi) ex ſacro & noto hymno adopto & adapto:

VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI.

Quas ad varietatem modulandi vel intendo acumine, & multiplico: vel gravitate remitto, & in alteram partem augeo. Intendo in hunc modum:

VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI,
VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI,
VT, RE, & ſic deinceps.

Remitto verò in iſtum:

BI, LA, SOL, FA, MI, RE, VT.
BI, LA, SOL, FA, MI, RE, VT.
BI, LA, & ita ulteriùs, ſed in orbem.

Intentio autem atque Remiſſio ſine Intervallorum obſervatione juſta eſſe nequit

nequit. Intervallum *eſt duarum vocum junctarum , ſive Gravis & Acuti ſoni διάστημα*,& propriè Tonus appellatur; cujus pars Hemitonium eſt,& in Modulatione neceſſariò intercurrit.

CATH. Quòd intercurrat, ratio me *διὰ πασῶν* docet: ubi verò, nequedum diſcerno. PVT. Ecce tibi facem:

Bi & Vt
item Mi & Fa Hemitonio;

cæteræ verò Notæ omnes Tono integro diſtant. Canendo igitur ſic eas diſiungo.---Quod ut imiteris, manupræhenſum te per incurvum hoc ſpatium orbis diviſi duco , in quo reciproco greſſu Notarum veſtigia recalcans, certo errore intervalla metiaris.

CATH. Quid ais,aut quid agis?

Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit ?

PVT. *Quid iſtuc eſt , aut ubi eſt iſtuc terrarum loci?*

CATH. *Vbi flent nequam homines qui polentam pinſitant.*

PVT. Scilicet farinulento cinere candidatum te Muſicæ facio; ut *ἰμαῖον* ad molam moduleris. CATH. Porrò Quiri-

Quirites? ſub jugum mittor. PUT. Ferendũ eſt. tu modò inſiſte: CATH. inſiſto: etſi parùm certo pede. Expers enim & ignarus artis, ceu luminibus obtectis ſpatia circumfluentis hujus termini confundam. PUT. Prævidero; téque non helcio aut capiſtro, ſed ipſa voce duxero per flexuoſum hunc canalem.

Sed nimis tu lentum vocis gradum trahis.

Demàm herclè jàm tibi dè ordeo tollutim ni badiſſas.

CATH. Etiam minaris? qui leniter ſæviunt, ſapiunt magis. Sed profectò videor, quod neque pictum neque fictum, facere. PUT. Quid illud obſecro? CATH. Per planitiem ſcando: tolli me ſentio, nec tamen attollor. Sed quouſque diſcurſus hos obimus? PUT. Quin jam greſſum referimus, aut firmamus. progredi certè ulterius vox ipſa vetat: tum fines Ars poſuit, & ternario circuitu univerſum Melos, ſive concentum terminavit: partes etiam ſingulas, ſive ſimplices Modulationes anguſtioribus limitibus ſtrinxit:

ſit. *Vniverſum Melos* voco fundum totius Symphoniæ & fundamentum, in quo voces omnes ad proportiones ſuas expenſæ jacent, & ad μιστέργεῖ propriè ſpectat. *Simplices Modulationes* ſunt voces hinc ſumptæ, & ſeorſim in quinque lineis, earúmque ſpatiis expreſſæ, circa quas Lectio noſtra verſatur. Atque hic duplex tibi Genus diſcernendum atque uſurpandum, *Durum & Molle*. Diſcernendũ ex adjecto ſigno. Moduli enim qui præfixum habent b, Generis Mollis ſunt: qui non habent, Duri. Vſurpãdum, ſecundum hemitoniorum variationem. nam ſi vocis tuæ baſim in RE figas, & ad διὰ πασῶν, RE, MI, FA, SOL, LA, BI, VT, RE, aſſcendas (in qua ſymphonia duo hemitonia inveniuntur;) incidit prius inter ſecundam & tertiam Notam, MI, FA: alterum inter ſextam & ſeptimam, BI, VT. Quòd ſi verò illud ipſum ἴσον ſive fundamentum ad quatuor Notas attollas, & inde vocẽ, verbi gratia, SOL, LA, BI, VT, RE, MI, FA, SOL, alterũ Genus, Durum videlicet efformas, inciditq; prius hemitonium

tum litterarũ ſtudio & peritia. CATH Quod eſt facillimum facis : incitas volentem. Quod ſuades, amplector, non tantùm ne nobiliſſimorum juvenum nobile exemplum rejiciam, ſed ut vel ſic tandem Poëticæ non poſtremam partem ad Laurum conferam. PVT. Id Genio & Honori tuo debes. Nunc ſurgamus, & reliquum amœnæ hujus viæ, umbris præeuntibus, conficiamus. CATH. Morem gero: & quod verbis feci, ipſa nunc ratione, in Septentrionem porrecta, animũ meum promo de Septem tuis Notis, in quas pedibus eo.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA IV.

DISTINCTIONVM FACVLA.

Ad Ampliſſimum V.

IOANNEM HOLLANTIVM, *Sereniſſimo* LEOPOLDO *Archiduci Auſtriæ à Conſiliis.*

AD te, Vir Ampliſſime, & in ipſam ire Italiam FACVLA hæc accenſa properat, geſtiente velut flamma. Iſthuc, inquam, quò jam deſiderium meum præivit, ad optimum Virorum, in optimam Terrarum. Nec id me quicquam terret, quòd lumen, cùm inferre me putabo

tabo, inveniam: ipſum Virum, ipſam Terram. Nam quibus maximè in locis familiares eſſe ardentis Solis radii ſolent, etiam umbræ. Sed tu quoque & noctes tuas habes, quibus lucubras; & litteras, quibus feſſum curis negotiisq; animum reſtituis. Lucere hanc ipſam DISTINCTIONEM, velut lucernam voles, quam Amor accendit: uti lumine, quo nec indiges; ut qua potiſſimùm ingenii norma, dirigere rudem adhuc legentiũ ſcribentiumq; laborem nitar, intuearis. Et quid ago? Ad primos annos, & virentem te Palladis voluptatem duco; ut jucunda cogitatione iſthæc uſurpes ſtudiorum incunabula, quæ & Amoris fuerunt. Etenim ab ipſis Muſis mutuum hunc affectum orſi ſumus. Et quàm amœno auſpicio! Amare cœpimus, cùm ſimul Diſpingere; ut quamdiu in manu utriuſque ſtilus eſſet, etiam in pectore ſacer hic ignis. Nemo provectior doctiórque abſolutum ſe hac cura cenſeat: omnem ſcriptionem DISTINCTIO ſequitur; & firmus bonúſque Amor omnem ætatem. Sed nos quæ

conſpirantis virgula Genii junxit! quæ non Fortuna dicam, ſed συμπάθεια! Nam etſi non idem naſcentes fluvius abluerit; originem tamen ab eodem populo derivamus, ſive Sugambri illi, ſive Menapii fuerunt. Par ferè ætas; &, cùm excolere ingenium cœpimus, iidem Præceptores. An & reliqua dicam? In Vbiis plures annos idem nos contubernium habuit, eadem menſa aluit, eadem ſtudia, quibus profecimus, amare docuerunt. Quàm ſuaviter vixerimus, hinc quiſque conjecturam faciet; divelli non potuimus. Nam poſtquàm relicta Agrippinenſium Colonia, Grudios ego petiiſſem, annos jam natus XX. eòdem veniſti, iiſdem quoque Iuriſprudentiæ Sacris operaturus; ut omnia cum PVTEANO tuo paria faceres. atque hæc ſecunda nobis velut Colonia fuit. Biennio plus minùs tranſacto, in Italiam me ire Deus voluit. Iterum, quaſi ſolitudo tibi eſſet, ubi Amicum deſiderares, ſubſecutus es. Hîc tamen neſcio quæ ſors, conſuetudinem, id eſt nos ipſos nobis invidit.

vidit. Cælum, aër, & inde valetudo infeſta fuit; & hoc quoque ſolatium eripuit, ne qui vivere unà alibi ſoliti, unà morbum hîc traheremus: ſonticum profectò, & ut par ſaltem calamitas eſſet, cauſum atque marcorem uterque: ego Mediolani, tu in ipſa Quirini urbe. Locum etiam uterque mutavimus (neque tamen ut jungeremur,) Patavium ego, tu Bononiam delati. Deinde, cùm Italiam pænè univerſam peragrarem, tanquam aſſumpto errantis Pſyches labore, Amorem meum inveſtigans; in Germaniam reverſus es, & tabeſcentis adhuc reliquiis morbi obſeſſus, quaſi ferventis lucernæ ſtilla (lucubratio hæc tibi nocturna fuit & induſtria) ſaucius, in cariſſimorum parentum domicilio valetudinem recuperaſti. Quid factum? Poſt annorum aliquot intervallum, iterum favere Amicitiæ noſtræ fata voluerunt. Anhelabas in Belgium; & eodem ferè tempore à Sereniſſimo Belgarum Principe ALBERTO Lovanium evocatus ſum. Veni, munus meum obivi, quid fece-

rim, Fama indicavit. Ergo ut veteri nunc tandem amico fruereris, relicta Cæſaris aula, Lovanium rediiſti. Quid dicam?

Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum.

O ſuaves hîc delicias noſtras! ô ſermones, & communia Sapientiæ ſtudia! Etiam te auctore ſpernere privatam invidiæ amarulentiã potui: quæ cùm tam philoſopha eſſet, ut reprehendi non ſuſtineret, paucorum vitia omnium interpretata eſt. Sed ad te redeo; ad delicias, ad candorem, ad modeſtiam, ad maturitatem: & in puero, adoleſcente, juvene, viro, Virtutis Doctrinæq; ſemina, ſpecimina, inſignia, præmia; ubique incrementa Amoris contemplor. Iam tum Vir eras; bonus, doctus, amicus eras, cùm operam dares, ut eſſes; & eras, quia dabas. imò laude, affectúq; dignus, cùm fundamenta adhuc jaceres tot elegantiarum, quibus nunc reſplendes. Parum tibi erat, ingenio inter æquales excellere, niſi & induſtria eminuiſſes. gemina hac palma etiam

iis

iis gratus, quos deviceras: ſatiſq; ſodali gloriæ, in ſecundis ſtare; ſatis vincere alios, ſi te ſequeretur. Sic igitur, qualis inter viros aliquando eſſes; inter pueros oſtendiſti. Strenuè litterarum, omniſq; virtutis hauſiſti ſemina, quæ Reipublicæ impenderes: Amicum verò me tibi elegiſti, quem ſemper haberes. Cur elegeris, propemodum neſcio: placere mihi poſſum, quòd elegeris, neglectis etiam qui ambiebant. Crevit igitur hic affectus, adolevit, robur ſumpſit & vires; nec exſpectavit annos, ſed prævertit. E palmite tanquam arborem habeamus, fructus colligimus. Arborem inquam (& ſic meritò Amicitiam noſtram appello,) quam minax nuper tempeſtas quædam, & immiſſi à latente Æolo flatus, quatere potuerunt, non lædere. Nixa radicibus ſuis, & excepit omnem ſibilantis livoris impetum, & eliſit. Quaſi inde tamen cœperit, conſuetudo & familiaritas noſtra aucta. ſed hac nunc FACVLA illuſtranda, quam accendo. Non minùs litteras, quàm ignem Amor ſibi,

adoptat: & optimus ille Amor, qui è litteris naſcitur. Quòd ſi nulla etiam in Punctis Apicibusq; eruditio eſſet; amare tamen Amicum poſſes, quem ſemel cœpiſti: nec minùs contemnere DISTINCTIONES omnes, quàm intelligis. Sed non ita à litterarum modeſtia receſſiſti, ut inſanientium more ſapere concupiſcas. in Eloquẽtia hoc nunc quoque uſurpas, quod primum eſt, & Grammatici, ut ſic dicam, juris; æſtimas, quod diſcere ſuave aliquando fuit: nec indignum ingenio tuo arbitraris, quod deſpicere ignavus aliquis poſſit, quia ignorat. Ego viciſſim, ut qualem te amem, etiam ſcire me oſtendam, Librum offero; qui nihil eruditioni tuæ addat, niſi ut intelligas, quàm multis exprobrare ignorantiam poſſis. Quem igitur amo, adeo, Aſtrææ, Sophiæq; myſtam: & ſic eum, qui conſultiſſima æquitatis ſolertia,

Et juris nodos, & legũ ænigmata ſolvit:

eum, qui verum Sapientiæ exemplar, non doctrina tantùm, ſed moribus nobis effingit: eum, qui non minùs loqui,

loqui,quàm ſapere didicit,cum amœnitate ſeverus, cum ſeveritate amœnus. Sic verò & Philologiæ tibi ſtudia curæ ſunt. Nam (ut otium quoque tuum laudem) ſive carmen pedibus inſtruendum, Muſarum quodam numine afflatus, vaticinia fabuloſo involucro adumbras: ſive oratio numeris adornanda, liquidos veteris Eloquentiæ nobis favos facundiſſimo ore depromis. Facis ea,quæ non ſine admiratione accipimus : & ſic hanc ipſam FACVLAM infra nomen tuum habere poſſis, niſi litteras Sapientiæ jungeres, & partem litterarum DISTINCTIONES haberes. Ampliùs ſcio : Ad Legatum eo. ſed nonne ad Amicum? Tam ſuave nomen Dignitas non delevit : & gratulari magni honoris auſpicium merenti volui; imò inclytum creſcentis gloriæ tuæ lumen, velut FACVLA prænotare. Quem enim futurum te in Republica arbitramur,qui à maximo munere ordiris? Tale ingenium tuum, talis integritas, doctrina, prudentia, ſedulitas,probitas; ut viliùs occupari non

debueris. De re ſumma Legatus mitteris: & ad quem? qui in ſacro rerum faſtigio conſtitutus, Dei in terris munus ſuſtinet. A quo verò? A Sereniſſimo Leopoldo Archiduce Auſtriæ, cui à Conſiliis eſſe meruiſti: ſed, ſi rem dicam, ab ipſo Cæſare Auguſto Rvdolpho. Breviter: de re maxima, ad Maximum, à Maximo. Tu Deus benigno nutu fave: & tu

O tutela præſens Italiæ dominæq; Romæ fave: vos Principes, ac Dynaſtæ ferte auxilia; & bonam cauſſam, orante hoc Legato, veſtram cenſete. Vt quiſque à ſubditis obſequium exſpectat, ita Imperii majeſtatem defendet: & conferet quiſque, quod impetrare viciſſim poterit, ſi (quod Deus averruncet!) Fortuna, aut neceſſitas urſerit. Tu quoque ſtrenuam hanc operam Deo, Cæſari, Principi tuo impende, Ampliſſime Vir; & ut votum hoc meum, ita munus ab æterno Amico profectum interpretare.

Cap.

CAPVT I.

Præfatiuncula. Vrbis Comi, Lacúſque Larii encomium. Navigatio ad Muſéum Iovianum. Occaſio hinc ſermonis.

C. PLINIVS SECVNDVS, Epiſtolarum Scriptor, ſuas olim delicias Vrbem COMVM, Lacúmque LARIVM appellare ſolitus eſt; nec falſo elegantiæ arbitrio. nos quoque, favente ævo, poſſumus; ſed eò liberiùs, quia Patriam non laudamus. Romanus, Græcúſque adhuc ſanguis in hac Colonia, id eſt Virtutis, & Litterarum ardor; quem viriles iſti, cultiq; Civium animi, pro genere & origine ſua ſpirant. Vrbs quidem ipſa (ſic rerum humanarum vices ſunt) & belli furore, & ævi vetuſtate, non jam facie ac ſitu quibus fuit: deſtructa ſæpiùs, ut venuſtiùs ſurgeret: mutata ſæpiùs, ut pando tandem gremio influentem reciperet Lacum; quem productis utrimq; chelis, totum complecti, velut maritum conatur venu-

ſtiſſima

ſtiſſima conjux. Bonum augurium! Quamdiu Lacus, Vrbs quoque erit: COMVM, quamdiu res humanæ. Splendidiùs alibi vivere poſſis, nuſquam feliciùs. Sedem hic Tranquillitas habet, & ipſæ Muſæ: habuerunt viri olim, & nuper quoque magni, Atlantes duraturæ Famæ. Preſſi veſtigia, memoriámque veneratus ſum: tuam, PLINI, Platanum, nunc etiam non natura quidem, ſed commemoratione viridem & opacam: tuum, IOVI, ſubſtitutum laudabili opere Muſéum, in quo ſedere mihi nuper & diſſerere (cur non habitare?) contigit. Sermo ſuper re minuta, id eſt DISTINCTIONE & INTERPVNCTIONE fuit: producendus loci cauſſa, imò viri à quo ductus, & ad dicendum allectus ſum. Is RAPHAEL MONTORFANVS, priſci Candoris & Humanitatis exemplum, gentis urbiſque ſuæ reſplendens quædam gemma. Nam die quodam, cùm vix etiam culmina montium matutino Solis auſpicio ruberent, & in umbra adhuc tota vallis, velut in reliquiis noctis

noctis quieſceret, prenſum me venit, & è pridiano pacto promiſſa impletum, de Muſéo luſtrando. Prima hæc cogitatio fuerat, & lubebat diluculò ire, priuſquàm fugitivam crepuſculi temperiem Sol altior fregiſſet. Æſtas quippe erat, & valetudo utrique hoc iter ſuaſerat, quæ Mediolani, furente jam Procyone, vacillabat. Hic verò mollius cælum; præſertim lucis noctiſq; confinio. quin & aliquæ ſemper umbræ, à circumfuſo montium jugo in planitiem demiſſæ, diem mitigant. Quid ſilvas, fontes, rivos dicam? Quid urbem ipſam, *ad ſolas humani generis delicias inſtitutam*, amœnitatis velut aſylum? Ivimus igitur, & per forum ipſúmque templum periodo ambulationis confecta, ad portum venimus. Cymba parata erat; hanc conſcendimus, & leni remorum labore in Lacum evecti, vitreum illud gemmeúmque æquor cœpimus navigare. Bona Voluptas, quæ conſpirantium circumquaque rerum, & elementorum concordia! an potiùs æmulatio? Neges alibi lętiori vultu Naturam ride-

re.

re. Cum Caſſiodoro dicam, lib. XI. Epiſt. XIV. *Lacus ampliſſimæ vallis profunditate ſuſceptus, concharum formas decenter imitatur, & ſpumei litoris alborè pingitur; circa quem conveniunt in coronæ ſpeciem excelſorum Montium pulcherrimæ ſummitates: cujus oræ pratorum liminibus decenter ornatæ, quaſi quodam cingulo Palladiæ ſilvæ perpetuis viriditatibus ambiuntur. ſuper hæc frondoſæ vineæ latera montis aſcendunt. Apex autem, quaſi quibuſdam capillis caſtanearum denſitate criſpatus, ornante Natura, depingitur.* Litus inprimis oculos trahit, alibi in ſinus, tanquam ſpumantibus cedens undis, reductum; alibi in promontoria, audaci rupe aut ripa excurrens. Videas, quicquid humana induſtria addere Naturæ potuit: opida crebra, & ſecundùm ripam porrecta; villas frequentes; hortos Alcinoo invidendos; denique palatia robuſto non minùs opere, quàm lapide exſtructa. Sed Templa quoque facie & vetuſtate conſpicua, ſupercilium blandientis aquæ conſtipant. Quid decoram murorum turriúmque majeſtatem

jeſtatem impediat,ubi ipſum marmor vile? Ex iiſdem eruitur montibus,quibus inſtruitur; & oſtentant oræ,quicquid adhærentia juga incluſis viſceribus gignunt. Sed quid in Lacu etiam ſum, & amœna cogitatione abducor? Ivi, quò nec ſequi navicula potuit: vectus intereà, quò nec perveniſſe arbitrabar. In littore ecce lævo Muſéum eſt, ad radices montis Olympini; & Platanum illam Plinianam, quæ fuit, occupat. Properant nautæ,& ſpiſſato remigio ſtagnantem circa oras findunt aquam, appulſuri. Dum loquor, & me colligo, actam cymba premit, & ſe inſinuat. Haud mora: proſilimus. Sed cur tanquam præſentia narro, quæ peracta? Admiſſi intra limen, loci Genium venerati uterque ſumus. Erant in prima porticu & atrio elegantiæ non vulgares. Parietes fabuloſo vatum ingenio pictor oppleverat, mixtis hinc inde venuſtiſſimo carminis nexu ſententiis,elogiisq;,quæ digna inprimis Muſarum, Apollinisque Sacrario videbantur. Notavi autem ſparſim tota domo

domo venerandæ Antiquitatis non proletaria monumenta, quæ ingenti olim cura ipſe IOVIVS conquiſierat, ad ornatum loci. Itaque neglectis paullisper muſteis renati ævi deliciis, inſpicere ſigna, & perlegere marmora cœpi, ſenio utraque obſita, & tantùm non religioſa. Poſtquam non infelici ſtilo imagines tentavi, etiam ſcriptura placuit: & ſententiarum ordines pari conatu ſecutus ſum. Lectionis auxilium ferebat Dux meus, & fugientes alibi litteras felici ſolertia inveſtigabat. Verba, Puncta, Intervalla ſtudiosè ſuggerebat. Hinc ſermo περὶ ςίγμης, ſive *De Interpunctione*; atque adeò tota DISTINCTIONE natus; quem nunc repetere, & conſignare ſcripto aggredior, FACVLAM bonis Litteris accenſurus, quæ, deterſa involutæ ſententiæ caligine, Lectionis pariter Scriptionisq; viam diſtinguat.

CAPVT II.

Diſtinctionis uſus, & neceſſitas: velitans de his

de his ſermocinatio, & rei præſtructa.

FLVCTVABAT incerto adhuc curſu ſermonis auſpicium, & animi potiùs cauſſa, quàm doctrinæ loquebamur; cùm injecta mihi leniter manû, vultúque ad blanditiem compoſito, ſic MONTORFANVS infit: Perire Hercules tam bella occaſio non debet. DISTINCTIONES exorſus es; ſed fruſtrà, ſi tranſverſo verborum impetu præcipitas. refer greſſum, ut dirigas; & collecto robore, à carceribus hunc mihi circum decurre. PVT. Vrgeri moleſtum eſt. & fac velle: quo voluptatis fructu primarum Litterarum iſtæ ſpinæ contrectentur? Deliciæ placeant: &, ut laxem animum, huc veni; non ut cruciem. MONT. Non audio: locus, tempus, ſors ipſa bona ſuadent uti diſſeras. An etiam verba tua, ſed non tua, calco? Spinas vocet, quiſquis mundam ſtili veſtem luculento faſtu proterit. Mihi quidem ſine his Punctis, Lineis, Notis, confuſa & involuta oratio eſt. Adhibe; & in aſſpectum diviſa membro-

 tum

rum venuſtas exſurget. PVT. At crudæ adhuc Minervæ hic labor; & ad umbraticum potiùs pulverem ferulámque relegandus. MONT. Repeto voces meas, Non audio. Linguam calamúmque intervallis ſuis ſiſtere nemo poterit, ſine jugi doctrinæ auxilio, aut matura judicii ſeveritate. Diſcat prætextata ætas herciſcundæ orationis leges, virilis uſurpet. Quid me reſpicis? Agè, mutare aut ponere paulliſper robuſtam annorum auctoritatem paratus ſum, ut diſcam: ſcire cupidus, ſine quibus generoſa eruditionis omnis dignitas ſquallet. Oraculum cenſeo, quiſquis extulit, *Commentarii vice* DISTINCTIONEM *eſſe*. & nonne FACULAM LITTERARUM vocare hanc ipſam tute ſoles? PVT. Soleo: & quia ita vis, δᾳδοῦχος fio, & præluceo. Nam ſic urgeri, non jam moleſtum (ut verba mea corrigam,) ſed volupe eſt. MONT. Diſſere igitur. Et cur non in atrium iſtud proximum tranſimus? ſpatioſum eſt, & decoro feneſtratum ordine ſpirantes ab Arcto admittit auras, totámq; ſub-

ſubjecti, & errantis LARII amœnitatem. PVT. Haveo. MONT. Atque hîc non invenuſta te corona Auditores ſtipabunt. PVT. Auditores? qui obſecro? num heſterni illi, & convivæ iterum; quos lautiſſima DONATI noſtri, viri optimi, menſa junxerat, Candoris & Doctrinæ Myſtæ? MONT. Hem. CICERONEM vis dicere, tum CIGALINVM, & utrumque MAGHINVM tuum. PVT. Volo: & quomodò tam matûri illi, aut quo itinere huc delati? MONT. Fruſtrà es: ni muſcas amicos dicas, ſoli ſumus. nec ſoli: σὺν θεοῖς, ut Diogenis illud uſurpem, Auditorum cingêris ſilentio, quos nec invenies. PVT. Hem, jam Muſas tu vis dicere, tum Apollinem, & pictum illum, tot Virorum cœtum. MONT. Volo: & horum imagines dædala artificis manus animavit potiùs, quàm expreſſit. Extra jocum: me reſpice: theatrum tibi eſſe potero; ſi tu mihi, quod ſtudiorum ſuorum conſorti Epicurus. PVT. Omnibus modis obnoxium me deſiderio tuo reddis. Ingenii igitur nunc ſubeo âleam, & ordior; veſtigia

preſſurus, quæ ipſe nuper in PALATINA noſtra, ſed tumultuario labore; ſignavi. Primam enim Eloquentiæ ruditatem expellere DISTINCTIONE conatus ſum, cùm omnes orationis limites Iuventus ſperneret, & ſine pauſis circuitus verborum anhelaret; Vt corpus aliquod ſine membris deforme eſt: ſic oratio, non diviſa. Etiam *gradarium* Ciceronem fuiſſe, Romanæ Stoæ Arbiter teſtatur. Iure fuit. nam ſuſtineri primùm vocis Modulo, & Intervallo, ſermo debet: mox Deliberationis aliqua mora ſuſpendi: tandem Silentio deponi. Modulus autem adeſſe debet, ut pro ſententiæ hiatu flectatur pronunciatio: Intervallum, ut interquieſcat. Deliberationem, & Silentium addidi: illa Membra findit, hoc Periodos, & ſententiarum, ut ſic dicam, fines. Sed nos de Scriptione dicamus: cujus ut auſpicium ſcias, ſtilum, vel etiam calamum, conſidera. Mucrone uterque inſtructus eſt; nec ſcribere potes, niſi ut pungas. Hoc igitur locis ſuis faciendum, ne incerto gradu Lector

erret;

erret, aut hæreat, aut fugientem ubique ſenſum caſſo conatu perſequatur. Nam oratio in partes ſuas Secta, & Diſpuncta, ſine moleſtia ſe inſinuat: imò, niſi Notæ ipſæ fallant, ſine vitio quiſque leget, etiam quæ non intelliget. Illæ enim in hac via. fidi velut Hermæ ſunt : dirigunt, atque etiam manuducunt. Rectè Caſſiodorus, lib. I. Inſt. Divinar. lect. *Nam ſi corpus noſtrum indiget per membra cognoſci; cur lectio, cùm ſuis partibus videatur eſſe diſtincta, confuſa relinquatur?* Planè ut in pronunciatione Intervalla quædam ſunt, per quæ auditor ſequitur, & ſententiæ pondera expendit : ita in Scriptione Interpuncta, quæ Lector reſpirando premit, & inſiſtit. Iam verò dicentis Diſtinctio auribus digerenda ; ſcribentis, oculis : utraque, ut vim virtutémque ſermonis animo per partes ſuas repræſentet. Sed vocis pauſæ Tempore conſtant ; illæ calami, DISTINCTIONE. Aliàs, ſi perpetuo nexu cuncta ſcribantur, obſcura fiunt : veluti ſi continuo ſpiritu efferantur. Experire, dices. Excipit littera litteram,

ſyllaba ſyllabam, dictio dictionem : ſi confundis, ſi imperitè ſecernis ac ſeparas, in iiſdem titubante ſenſu tenebris laboras. Etenim ut in agris arandis jugerum diſcretiones neceſſariæ ſunt, & ſubſecantes lineæ, & lapides terminales : ita in Scriptione, quam *exarandi* verbo Antiqui donaverunt, *Sectiones, Partes, Notæ.*

CAPVT III.

Diſtinctio definita. Ejus munus, Secare, Partiri, Notare. Sectio & Partitio varia. De Commate, Colo, Periodo dictum.

DE his verò nunc ordine dicam. MONT. Me volente quidem: etsi nec ingrata præfatiuncula iſta fuit; quippe colore quodam ſe inſinuans, & luce, quam prælibo. Iam enim definiviſſe ipſam mihi DISTINCTIONEM videris, *Modum ſeu rationem eſſe, quâ, ad facilem legentis captum, ſermonem ſcriptum Secamus, Partimur, Notamus.* PVT. Omninò: nec aliter

SE-

SECTIONES PARTES, NOTAS accipies. & primæ quidem illæ faciunt Parteis, Notas admittunt. MONT. Perge igitur, ac robuſto jam ſatis fundamento explicationis tuæ molem inſtrue: verbo dicam: quam promittis FACVLAM, accende. PVT. Quid ni velim? tale hoc deſiderium tuum, ut pro igni ſit: & quid ni facili igitur fomite flammula adoptetur? Animus, aures, oculi tui adſint. SECTIONES, & PARTES primæ ſunt, iisq; non uno modo ſcriptura obnoxia. Finduntur enim SENTENTIÆ, VERBA, AFFECTVS. Sententiæ partim *Iuncturæ*, ſive *Comprehenſionis* cauſſâ, partim *Metri*. Verba, *Syllabarum*, atque *Litterarum* quodam divortio. Affectus, ut orationi vigor accedat. Sed primum ſermonem Sententiæ ſibi poſcunt, præmittendæ: ſequentur Verba: Affectus claudent. Ad *Iuncturam* igitur faciunt, decantatæ illæ magis, quàm intellectæ partes, *Comma*, *Colon*, *Periodus*; quæ ſciri & diſcerni in omni orationis corpore debent, ut ſine tormento ingenii verborum ordinem, ſenſuumq;

cognationem deprehendas. Quinctilianus lib.IX. cap.IV. *Connexa ſeries tres habet formas:* INCISA, quæ κόμματα *dicuntur*; MEMBRA, *quæ* κῶλα; *&* περίοδον, *quæ eſt* AMBITVS, *vel Circumdictum, vel Continuatio, vel Concluſio.* Vnde INCISVM definio, *Verbum, vel verborum ſeriem, ſenſu numeriſque imperfectam:* MEMBRVM, *ſemiperfectam:* AMBITVM, *perfectam.* quaſi dixeris, Incîſum partem eſſe Membri; Membrum, Periodi. At Rhetoris noſtri opinio eſt, loco dicto, Incîſum eſſe *ſenſum non expleto numero concluſum.* Et exemplum depromit è Cicerone: verborum quidem plurium, iſtud: *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas.* Vnius, iſtud: *Diximus, teſtes dare volumus.* Membrum verò eſſe *ſenſum numeris concluſum, ſed à toto corpore abruptum, & per ſe nihil efficientem.* Exemplum addit: *O callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia metuenda! quem quæſo noſtrum fefellit, id vos ita eſſe facturos?* Interjungit autem, aitque, *O callidos homines!* perfectum eſſe; at remotum à cæteris, vim non habere; ut

per

per ſe manum,pedem,& caput. Pariter &, *O rem excogitatam!* &,*O ingenia metuenda!* Tandem verò corpus eſſe, cùm extrema venit concluſio: *Quem quæſo noſtrum fefellit,id vos ita eſſe facturos?* Atque hæc omnia totidem verbis è Quinctiliano uſurpavit Diomedes, lib.II. ubi de Compoſitione. Etiam Periodum variè efferri: *Ambitum, Circuitum, Comprehenſionem, Continuationem, Circumſcriptionem.* Compendium rei ſi amas,Iſidorus complexus eſt,lib.II. Originum.cap.XVIII. *Componitur autem, inſtruiturq́; omnis oratio Verbis,Commate, Colo,& Periodo. Comma,particula eſt ſententiæ; Colon, membrum; Periodus, ambitus vel circuitus. Fit autem ex conjunctione verborum Comma, ex Commate Colon, ex Colis Periodus.* Atque ita principium quoddam ſententiæ, medium, atque finem diſtinguis. Exemplum in eodem Scriptore ſequitur; ſed jam priùs Diomedi adductum, è principio Milonianæ. Vſurpemus. *Etſi vereor,Iudices,* Comma eſt. *Ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere;* Colon eſt, & ſemi-

perfecto ſenſu orationem ſuſpendit, donec ad clauſulam decurrens impletur Periodus, limitémque intellectus admittit. Ita Cicero ibidem concludit: *Veterem morem judiciorum requirunt.* Vbi tamen aliter paullò Diomedes: *Priſtinum judiciorum morem minimè vident.* Sed nos totam Periodum luſtremus, ut ſcripta eſt, & per membra ſua extenſa. *Etſi vereor, Iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere; minimeq́; deceat, cùm T. Annius Milo magis de Reipublicæ ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus cauſſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe: tamen hæc novi judicij, nova forma terret oculos, qui quòcumque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident.* Ecce tibi Circuitum concluſum, id eſt orationem partibus numeriſq; abſolutam, & ſenſu perfectam, & intellectu facilem. Talis enim eſſe debet, etiam Quinctiliano ſuggerente: *Periodus ſenſum concludat; ſi aperta, ut intelligi queat; non immodica, ut memoria contineri.* Addo, non immodica, ut

decorè

decorè pronunciari; ne ſpiritus cum detrimento vocis torqueatur. Diomedes,& ex eo Iſidorus modum hunc præſcribunt: *Periodus autem longior eſſe non debet, quàm ut uno ſpiritu proferatur.* Imò ante hos Cicero, & ex eo Quinctilianus; ut diſtinctiùs etiam paullò poſt dicam. Periodum autem laxè hic accipio, *Complexionem quamcumque verborum è Commatibus, Coliſq; conſtructam.* Mont. Heus tu, in via Facvlam quate, & reluctanti adhuc lychno plenam flammam immitte. Sermo tuus caligine ſeptus, tenue creperúmque ſpargit lumen. Et obſecro, quid aliud Periodus, quàm huiuſmodi Complexio? Deinde, quomodò non è Commatibus, & Colis? Pvt. Parabam dicere. Nam aliud ſanè, neque neceſſariò ex iſtis. Atque id nunc expedio.

Capvt IV.

Vera à falſa Periodo ſeparata: reprehenſi, qui confundunt. Falſam, orationis Fuſæ eſſe; & in πνεῦμα, atque τάσιν extendi.

Non

NON profectò tam obviæ Periodi, quàm nominantur: & quod mireris, non cujuſvis ingenii, ſive ſtili. Nectunt nonnulli verba aliquot, aut phraſes, etiam diſtinctam neſcio quibus membris ſententiam abſolvunt: ſed cùm ingenium torſerint, & orationem fregerint, quia arte & exercitatione deſtituti ſunt, ſine viribus loquuntur. Horum tam infelix conatus eſt, quàm laborioſa temeritas. id enim agunt, quod non didicerunt. Etiam Scriptoris invadunt nomen, qui ne Latini quidem ſunt; & cùm proprietatem puri ignorent ſermonis, cœco impetu ad Metaphoræ audaciam confugiunt: Docti ſcilicet, ſi quæ moroſo compingant ſtilo nemo intelligat; & Suadæ oracula haberi debeant, in quibus magno Auctor ipſe ſenſum labore quærit, nec invenit.

---Quæriſne unde hæc ſartago loquendi Venerit in linguas?

Nimirum, etiam in eruditione audere, pulchrum eſt. Sed ſi verum amamus, non ſe capientis animi tu-

mor;

mor, in verborum hanc vanitatem ebullit: caſu non arte pruritus ille ingenii fertur: Comma, aut Colon infelicitas facit, cùm dicenda non occurrunt; &, quod rideas, oratio citiùs aut liber, quàm Periodus impletur. Iſti tales, cùm Longi eſſe refugiunt, ne Breves quidem ſunt: in eo toti, ut ſententiam omnem inflent, & hiatu loquantur. Digni, Mediusfidius, qui & ipſi Periodi fiant, cùm tam vanè affectent. MONT. Quî id quæſo? PVT. Et compungantur. Bonam illis mentem precor: aut ſi emendari non poſſunt, ut & odiſſe litteras incipiant, quibus ad ambitionem abutuntur. MONTORFANVS. Hiulcum genus! PVTEAN. Stigmate, ut dixi, dignum. Sed nos ad lineam. Oratio omnis, ut Ariſtoteles diſtinguit, lib. III. Rhetor. cap. IX. vel εἰρομένη, καὶ τῷ συνδέσμῳ μία: vel κατεστραμμένη. Eſt autem Εἰρομένη (alii ἐπισυνείρομενον λέξιν malunt appellare) quæ *Fuſa, & nexu una, Naturæ quodam ductu, per varia Commata, & Cola extenſa, ſine Converſione.*

ſione. Explico: *Fuſa*, quia ἀόριςος. ut enim in hoc Lacu, cùm fervet, unda undam ſequitur, & impellit tandem in litus: ita in ejuſmodi locutione verborum ſeriès conglobantur, nec ſiſtunt, niſi cum rebus ipſis. Ergò *Naturæ quodam ductu*, &, ut quiſque animi linguæq; frenum laxat, nectuntur partes, non reflectuntur. Atque id interpretare, *ſine Converſione*: de qua mox plura. Fusè & cum nexu *Dialogi* ſolent, ſæpè & *Hiſtoriæ* ſcribi, & ſi quæ *Affinia*. E Dialogis, primum Platonis de Republica vide, aſſignante Demetrio: Κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραιᾶ, uſque ad illud, Α τενῦν πρῶτον ἄγοντες. Ex Hiſtoriis, talem Herodoti eſſe, Ariſtoteles ipſe pronunciat. Nec fruſtra Quinctilianus, lib. IX. cap. IV. *Omnia Hiſtoriæ membra connexa eſſe* (σύνδεσμον vides;) *quoniam lubrica eſt, ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehenſis gradum firmant, continent, & continentur.* Addidi, Affinia. & quæ iſta? Epiſtolæ pleræque: tum Præcepta; ſi tamen docentis potiùs ſtilo, quàm inſurgentis expreſſa. nam & armari

Ora-

Oratorio interdum robore διδασκαλία ſolet. Ergò & Veterum alibi λέξις, præſertim humilior, ſine vibrãtis ſententiæ gyro profuſa eſt; & ipſa hodie Eloquentia ferè εἰρομένη : ſi tamen Eloquentia dicenda, quæ fractis ſtrepentibúſque duntaxat membris fertur, & ſine flexione decurrit. *Superjecta namque* (Demetrium exprimã) *inter ſe ſunt membra, alterum ſuper alterum, ut in orationibus diſſolutis : atque ubi periodum abſolvimus, vix in fine percepimus, in ambitum verba decurriſſe.* Ita dico, *in ambitum*, velut in orbem. nam niſi ad principium oratio redit, & ſe erigit, elumbis eſt, & ſine pondere, ſine robore præcipitatur. Debet tamen in Fuſa oratione, & curſus ille finibus quibuſdam ſuis coërceri, & nexûs abrumpi; ne vaga procurrant membra, & ſequaci ſerie extendantur. Etenim continuo deferri fluxu, nec metam ſcire, niſi quam Epiſtola, aut Oratio fecerit, διὰ τὸ ἄπειρον, id eſt *propter infinitatem*, abſurdum eſt. Et quis ſine tœdio nauſeáque legat? τὸ γὰρ τέλος (ut Inambulantis Scholæ Princeps de re præ-

præſenti loquitur) *πάντες βȣ́λονται καθορᾶν. Fine enim omnes volunt intueri.* Ergò & Intervalla hic certa, & Partes, tanquam manipulos conſtituimus: & in hiſce, *σῶμα, πνεῦμα, τάσιν* : *Corpus, Spiritum, Extenſionem*. Corpus, (*καταχρηστικῶς* Periodus eſt) (& ſic quoque appellatur:) pars orationis Fuſæ, ſed quatuor, aut paucioribus membris concluſa. Quatuor Horatius complexus eſt, lib. I. Ode IV:

Solvitur acris hiems grata vice veris & Favoni;
Trahúntque ſiccas machinæ carinas;
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Pauciora Salluſtius, Bello Catilinario: *Vrbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere, atque habuere initio Trojani; qui Æneâ duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur; cúmque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.*

Spiritus verò eſt, cùm ultra *περικωλίαν* nexus dictionis productus, unâ vocis contentione abſolvitur. Apud Oratores

tores paſſim exempla ſunt: Poëtam lubet citare, ſed qui non minùs Eloquentiæ litavit, Petronium:

Artis ſeveræ ſiquis amat effectus,
Mentemq; magnis applicat, priùs-more
Frugalitatis lege palleat exactâ;
Nec curet alto regiam trucem vultu;
Cliensq; cœnas impotentium captet;
Nec perditis addictus, obruat vino
Mentis calorem; néve plauſor in ſcenâ
Sedeat redemptus, Hiſtrioniæ addictus.

Extenſio deniq;, & hos limites ſpernens, libero curſu ultra Spiritus anguſtias procurrit: unde & plura orationis membra connectit, quàm ut unâ prolatione complectaris. Notabile in Ciceronis Miloniana exemplũ, ubi clamat reus, & glorioſè mentitur: *Occîdi, occîdi, non Spurium Melium, qui annonâ levandâ jacturisq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi; non T. Gracchum, qui collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogavit, quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloriâ: ſed eum (auderet enim dicere, cùm Patriam periculo ſuo liberavit,) cujus ne-*

farium adulterum in pulvinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ feminæ comprehenderunt; eum, cujus Senatus ſollennes religiones expiandas ſæpè cenſuit; eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus juratus ſe quæſtionibus habitis dixit comperiſſe; eum, qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis exterminavit; eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuſcumi voluit, partitus eſt. Satiſne Extendi? Iam aliquoties anhelum inſtauravi Spiritum, & vix trientem etiam ſpatii abſolvi: plura, & longo ordine ſequuntur Cola, quæ legere equidem quàm audire te nunc malo; ne & mihi vox, & tibi aures pari laſſitudine fatiſcant.

CAPVT V.

De oratione Verſâ: hanc propriè Periodum eſſe. Partes ejus examinatæ. Quæ item oratio περιοδική.

SATIS ſic fusè de oratione Fusâ. Κατεστραμμένη, Ariſtoteli dicitur ἡ ἐν περι-

περιόδοις: quæ in Periodis cernitur. id eſt, quæ veras Periodos conſtituit, & *ſententiam* (ut Martiani Capellæ verba ſequar, lib. v.) *juſtâ quâdam circumſcriptione definit atque determinat.* Et quæ hæc Circumſcriptio ? in orbem (& jam inſinuavi ;) ut eò redeat vis ſermonis, unde cœpit, & principium finémque ex ſeſe, non autem aliunde invectum habeat. Sic Philoſophus intelligendus: Λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. *Periodum orationem voco, quæ ipſa per ſe principium habet* (Hermogenes πρότασιν vocat) *tum magnitudinem, quæ uno facilè intuitu comprehendi poſſit.* Ergò per ſe; ut in ſuo velut naſcatur ſenſu, & denaſcatur. Quam etiam hîc τελευτὴν vides, alii ἀπόδοσιν, Demetrius Καμπὴν καὶ συστροφὴν, *flexionem & converſionem* explicat. Eſt autem huic eidem Periodus, *Complexio Membrorum & Inciſorum volubilium, quæ ad ſententiam propoſitam perfectè accommodata ſunt.* Volubilia igitur Membra, & Inciſa puta, quæ in orbem ducuntur, & cum robore at-

que ingenioſa redditione orationem concludunt. Exemplum à Cicerone petamus, qui peculiariter orationem pro Cæcinâ, & κατασκευαστικῶς exorſus eſt: *Si quantum in agro, locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret; non minùs in cauſſa cederet A. Cæcina Sext. AEbutij impudentiæ, quàm tum in vi faciendâ audaciæ: verùm & illud conſiderati hominis eſſe putavit, quâ de re jure decertari oporteret, armis non contendere; & hoc conſtantis, quicum vi & armis certare noluiſſet, eum jure judicioq; ſuperare.* Sed elegantiam iſtam, exempli cauſſâ, etiam de meo tibi adorno. MONT. Potes; & vel ſic compendio docueris, ſi quæ præcipis, etiam facis. PVT. Debeo: ſed conatum meum tu expende, in Oratione ad Senatum. MONT. An Auſpicali illâ? audire lubet. PVT. Illâ: recito. *Quid magnificentius, quid glorioſius ſperare, imò optare hoc munere potui? cujus ſi magnitudinem ſpecto, fateri cogor penè immerenti collatum eſſe; ſi promptitudinem eorum qui contulerunt, ſine moleſtia ullâ obtentum. Quâ quidem ratio-*

ratione beneficentia Senatus undequaque perfecta & abſoluta videatur, nec merito meo imminuta, nec petitione extorta. Merentem enim munerari, præmium, haud beneficium eſt: quemadmodum & beneficij gratiam petitio labefactat. Ego certè neque petivi hunc honorem, verecundiâ retardatus; neque merui, ætate deſtitutus: tu tamen Ampliſſime Ordo, tanquam petenti confers, nequid negaſſe ei videare, quem meruiſſe exiſtimas; tanquam merenti exſolvis, ut debuiſſe te illi fateare, qui non petierat. Habes exemplum, de quo plura dicerem, niſi meum eſſet. Sed complexio iſta certo quoque membrorum numero definitur: *Non brevior*(cum Cicerone exprimam, lib. III. de Oratore,) *quàm aures exſpectent; aut longior quàm vires atque anima patiatur.* Eſt enim vel Δίκωλος, *Bimembris*; vel τρίκωλος, *Trimembris*; vel τετράκωλος, *Quadrimembris*: quos ſi limites excedit, non Periodus, ſed περιοδικὴ oratio erit. Dicolos, unius Membri Protaſin habet, Apodoſin alterius: Tricolos, vel Protaſin duorum Membrorum, Apodoſin unius; vel

protaſin unius, apodoſin duorum. Tetracolos, vel protaſin unius Membri, apodoſin trium; vel protaſin triũ, apodoſin unius; vel protaſin duorum, apodoſin totidem. Signatum meum locum ſi examinas, partes has, etſi non ordine, invenies. Primò: *Merentem enim munerari, præmium, haud beneficium eſt: quemadmodum & beneficij gratiam petitio labefactat.* Dicolos eſt, & in priori Membro, *Merentem*, &c. protaſis: in poſteriori: *quemadmodum*, &c. apodoſis. Secundò. *Quid magnificentius, quid glorioſius ſperare, imò optare hoc munere potui? cujus ſi magnitudinem ſpecto, fateri cogor penè immerenti collatum eſſe: ſi promptitudinem eorum qui contulerunt, ſine moleſtia ulla obtentum.* Tricolos eſt; ſed protaſis, unius Membri, id eſt primi; reliquorum, apodoſis. Tertiò: *Ego verò*, & reliqua, tetracolos eſt; protaſis, duorum membrorum; apodoſis totidem.

Cap.

CAPVT VI.

Circulus Oratorius à Circuitu ſeparatus. Sine Commatibus Coliſq; Periodos aliquas eſſe; & in hæc poſſe produci. Genus dictionis κομματικόν.

NON omnem verborum complexionem Periodum eſſe, ſatis jam in aperto: addo, ſed velut in tranſitu, etiam Cyclum à Periodo, ſive Circulum à Circuitu differre: quem inter ſchemata Hermogenes cenſet, & verborum duntaxat pulchritudinem ſequi recurrentium. Conſiſtit enim in principio ſolo ac fine; ut, quibus vocibus ordiaris ſententiam, iiſdem concludas. Sic Perſius, Sat. III.

Hoc eſt, quòd palles; cur quis non prandeat, hoc eſt.

Sed nunc alteram tibi nubem depulſum eo, & ſine Commatibus Coliſq; Periodum eſſe poſſe, oſtendo: quaſi dicam, corpus aliquod ſine membris, arborem ſine ramis. MONT. An igitur & orationis quędam monſtra ſunt? PVT. Ac venuſta quidem, imò valida. collectum enim robur eſt, paucisque in cumulum contractis verbis acu-

leus torquetur. Vt in globum echinus ſe contrahit,& undequaque pungit: ſic & Periodus,hac de cauſſa ἀφελὴς, ſive μωνόκωλον dicta. Hujuſmodi ſunt ſententiæ, & brevia magnorum virorum dicta, ſive Laconiſmi: *Dionyſius Corinthi: Noſce teipſum: Honeſtè vivere optimum*: quæ unâ prolatione ſingula abſolvuntur, & corpus (uti dixi) ſine membris, arborem ſine ramis conſtituunt: niſi tamen membra ramóſque hic ipſa verba accipias; tanquam in maſſam,ſive globum coacta. Hac enim brevitate qui ſententiam exorſus fuit,ſimul abſolvit; ac priuſquam incîdere,aut partiri orationem cœpit, concluſit: imò verò (ſi hoc magis placet) ſine verborum auxilio & augmento incidit, & partitus eſt; quia non extendit. Vnde,quia primus in omni compoſitione gradus Inciſum eſt, poſſis & id genus brevia dicta cum Cicerone *Commata* appellare. Ita quidem Demetrius: *Inciſum eſt quod membro minus eſt:* & exempla adfert,quę partim expreſſimus. *Dionyſius Corinthi. Noſce teipſum.*

Morem

Morem gere Deo. Atque hoc illud Hermogenis genus κομματικὸν: quod non rectè ad ſcriptionis antiquæ modulos, ſive diſtinctionem ςίχων referas. Breves & acciſæ ſententiæ ſunt, quibus oratio acuitur. In his tamen (quid ni dicam?) plus ingenii quàm eloquii eſt. Pauciſſimis enim verbis conſtant; ſingulis, binis, ternis. unde ſi dilatantur, pompam explicant, energiam amittunt. Idem Demetrius paradigmate rem illuſtrat, & ejus lubet verba ſequi. Lacedæmonii Philippo ſcribebant, DIONYSIVS CORINTHI: quæ oratio ſic breviter prolata, vim & acrimoniam habet; producta, verbis creſcit, ſenſu elangueſcit. Produci autem hoc modo poſſit: Ne imperio Philippe fidas, minisq; ferocias, Dionyſius monet : is animos tuos quondam gerens, inſignem tyrãnum egit; at nunc è tanta Fortuna prolapſus, privatam Corinthi vitam agit, & cum miſeria ſua luctatur. Pluſcula hîc ſunt; ſed neque pungunt, neque objurgant; narrant potiùs: docentis magis, quàm terrentis oratio eſt, & bilem

omnem robúrque diſſolvit. Breves igitur ſententias haſce ſi *Commata* dixeris; abſoluta exiſtima, quæ neque ad Colon, neque ad Periodum reſpiciunt, ut perficiantur: notanda haud aliter (ſed de hac re poſteà,) quàm Periodi ſolent. Senſu enim Circuitus ſunt, forma duntaxat Inciſa. Siquis autem proferre λέξεως illos limites volet, verum è Periodo Comma, atque etiam Colon efficiet, quam finiverat: ut Horatii illud,

Eradenda Cupidinis
Pravi ſunt elementa.

ſenſu concluſo Periodus eſt; adde quæ annexa, jam Comma fiet:

Eradenda Cupidinis
Pravi ſunt elementa, & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis.

Iterum, hæc gnoma:

Vis conſilî expers mole ruit ſuâ.

Periodus eſt: ſuſpende ſententiam, & Membrum inveneris:

Vis conſilî expers mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Di quoque provehunt
In majus.

Atque

Atque ita Periodum hic vides, nunc ſine Commate & Colo, nunc ex utroque; nunc Commate ſeorſim, nunc Colo componi: neque tamen volubilem eſſe, aut per partes ſuas ritè devolvi.

CAPVT VII.

In Metro etiam Comma, Colon, & Periodus; ſed Metrica. De utroque illo curioſiùs dictum. Suidas explicatus.

SENTENTIAM adhuc fidimus; ſed in *Juncturâ*. Sequitur *Metrum*, & Dimenſione ſua Sectionem admittit. Vt enim Periodus quædam Oratoria, ſive ſoluta eſt: ita & Poëtica, ſed carminis ratione definita. Partes ejus (& hic nomina ſequuntur) *Comma*, & *Colon*; & in verſu Heroico, ſive Hexametro conſtituuntur. PERIODVS igitur, *verſus eſt*, id eſt, *Compoſitio ſex conjugationibus* (συζυγίας Græci vocãt) *abſoluta*. Et rectè Periodus; quia eò Metrum redit unde cœperat. METRVM eſt,

curri-

curriculum ſyllabarum, certis & legitimis pedibus expeditum. Sed & una συζυγία Metrum; unde Græcanico more, Dimeter, Trimeter, & Tetrameter Iambicus, atque Trochaicus. Et pes unus Metrum eſt: unde verſus Hexameter, qui ſex Metra habet. Et ſyllaba una Metrum; quia ab hac menſura incipit. Addo ex Atilio Grammatico: *Ergò & Syllaba, à quâ Pes, & Pes à quo Syzygia, & Syzygia, à quâ Comma, & Comma à quo Colon, & Colon à quo Verſus naſcitur, Metra dicuntur.* Sed propriè nobis COLON, *pars metri, quæ finitis conſtat pedibus, tanquam membrum integris conjugationibus compoſitum:* ut,

Infe | ctum elui | tur ſcelus.
--- | -- υ υ | -- υ υ

ubi cum tertio pede verbum, quoque finitur, membrúmque conſiſtit. COMMA verò, *pars membri, & inciſſo*, ut ſic dicam, *pede deſinit,* Latinis *Inciſio, Cæſum, Sectio:* ut,

Infe | ctum elui | tur.
--- | -- υ υ | --

Pes fiſſus, & velut laborans, hic tertius: nondum enim expletus. atque

binæ

binæ iſtæ voces truncum velut membrum reddunt, & à corpore amputãt. Benè igitur Marius Victorinus, lib. 1. Artis Grammaticæ, definit Colon, *cùm integra fuerint* συζύγιαι: Comma, *cùm imperfecta*. Cola, *Modo*, & *Menſurâ* differunt. Modo, alia ἀρχικὰ, alia τελικὰ: illa initiis, hæc clauſulis verſuum conſtant. Poſſint & κοιναί addi, ſive *communia*, quæ metrico nexu utriſque illis congruunt. Menſura verò alia *Tetrametra*, alia *Trimetra*, alia *Dimetra*; cùm aut quatuor, aut tres, aut duos pedes habent. in Heroico videlicet: nam in Iambico & Trochaico aliter Metrum jam conſtituimus. Exempla rem exponent: unde ſumenda, niſi ex eo, qui ad manum mihi, & Latinam Heroici verſus majeſtatem ſic fregit, lyræq; ſuæ aptavit? Τετράμετρον ἀρχικὸν, lib. 1. Ode XXVIII.

Menſo | *rem cohi* | *bent Ar* | *chita.*
-- -- | -- ᴗ ᴗ | -- -- | -- --

Τετράμετρον τελικὸν, ibidem:

Et cal | *canda ſe* | *mel via* | *lethi.*
-- -- | -- ᴗ ᴗ | -- ᴗ ᴗ | -- --

Τρι-

τρίμετρον ἀρχικὸν, lib. III. Ode XXIV.

Quid le | ges ſine | moribus?

-- -- -- υ υ | -- υ υ

Τρίμετρον τελικὸν, lib. IV. Ode XIII.

Annos fata de derunt.

-- -- | -- υ υ -- --

Δίμετρον ἀρχικὸν Horatius non uſurpavit: ergò è Virgilio ſumamus:

Hic cur | ſus fuit.

-- -- | -- υ υ

Δίμετρον τελικὸν, Adonium eſt, lib. II. Ode XVI.

Spernere vulgus.

-- υ υ -- --

Iam verò *Commata*, ſeu uſitato magis nobis vocabulo, *Cæſuræ*, Tres ſunt; & totidem Cola jam dicta findunt: *Triemimeris, Penthemimeris, Hephthemimeris*, quas ſingulas alia κατὰ τροχαῖον, ut appellant, ſequitur. Triemimeris ſive Semiternaria, tres pedes dividit, id eſt ſeſquipedem continet: poſt unum enim pedẽ ſupereſt ſyllaba. Virg. li. II.

Vna ſa lus.

-- υ υ --

Penthemimeris, ſive Semiquinaria, quinque dividit pedes, id eſt duos, & ſemi-

ſemipedem habet: poſt duos enim pedes ſyllaba ſupereſt. lib. IV.

Nuſquam | *tuta fi* | *des.*
-- -- | -- υ υ | --

Hephthemimeris, ſive ſemiſeptenaria, ſeptem dividit pedes, id eſt tres & ſemipedem includit: poſt tres enim pedes ſyllaba ſupereſt. Idem lib. VI.

Quiſque ſu | *os pati* | *mur Ma* | *neis.*
-- υ υ | -- υ υ | -- -- | --

Vt hæ partes ſunt: ita Κατὰ τροχαῖον, in κατὰ δεύτερον, κατὰ τρίτον, κατὰ τέταρτον, dividitur. Prima ſemiternariæ, ſecunda ſemiquinariæ, tertia ſemiſeptenariæ comes. Eſt igitur, κατὰ δεύτερον, in qua finita parte orationis poſt unum pedem, loco ſyllabæ relictæ, Trochæus eſt, à quo & nomen. Dactylus enim qui ſequitur in fine truncus eſt, & brevi una hiat. Lib. I.

Inferrétque Deos Latio.

Hic, *Inſer* | *rétque*,
-- -- | -- υ ut vides, Cæſura Κατὰ δεύτερον τροχαῖον. Sed Κατὰ τρίτον eſt, in qua finita parte orationis, poſt duos pedes Trochæus. Lib. II.

Infan-

Infan | dum re | gina.
-- -- | -- -- | -- υ

Κατὰ τέταρτον, in qua poſt tres pedes Trochæus. Eodem lib.

Rurſus in | arma fe | ror, mor | témque;
-- υ υ | -- υ υ | -- -- | -- υ,

Hæc ſatis ſic clarè, & plenè: preſſiùs aliqui Comma & Colon Poëticum definiunt, & reſtringunt. Colon eſſe, *quod duas primas Conjugationes, ſive ſedes juſto ſyllabarum numero implet*; cujuſmodi δίμετρον ἀρχικὸν; de quo jam egimus.

Huc cur | ſus fuit.
-- -- | -- υ υ

Comma, *quod excedit, & poſt ternos pedes ſyllabam linquit, laborantem velut pedem.* talis Cæſura Penthemimeris:

Nuſquam | tuta fi | des.
-- -- | -- υ υ | --

Sic quidem Iſidorus lib. I. Orig. cap. XIX. *Apud Poëtas, ubi in verſu poſt duos pedes ſyllaba remanet, Comma eſt; quia ibi poſt ſcanſionem præciſio verbi facta eſt. Vbi verò poſt duos pedes de parte orationis nihil ſupereſt, Colon eſt. Totus autem verſus Periodus eſt.* MONT. Non poſſum quin

quin interrumpam. Etymologici hujus ſcriptoris verba ſi vera, Comma Colo majus eſt. Quî poteſt? Tenebras mihi loquitur: ſed tu iterum FACVLAM quate, & impeditam adulto lychno flammam vindica. PVT. Quatio, vindico, & unà fumum omnem diſpello. Comma, Iſidori verbis, Colo majus eſt; ſed non ſuo. ad ſequens enim quod fieri è tribus conjugationibus poterat, refertur. id autem quia truncum, & parte ſui inciſum, non jam Colon, ſed Comma eſt: ut,

Scilicet	*is ſupe*	*ris labor.*
-- v v	-- v v	-- v v

Colon vides, ſed noſtrum illud *ἀρχικὸν τρίμετρον*. Si ultimam tollis vocem, ſcinditur, & in tribus duntaxat verbis Comma conſiſtit.

Scilicet	*is ſupe*	*ris,*
-- v v	-- v v	--

Atque ita, quæ Metricæ Sectionis ſunt, curioſa induſtria complexus videor: etſi nolim ex hoc muſtaceo eruditionis laureolam quærere; aut tam ſeverus eſſe, ut vaniſſimos dicam, qui

ſpreto Grammaticæ Poëticæque contubernio, Eloquentiæ videri myſtæ volunt. Non ignobilem tamen olim penulam hanc fuiſſe, nobilis PALÆSTRA mea ſciat: etſi Nicanor aliquis Alexandrinus, qui, ut eſt apud Suidam, ſub Hadriano vixit, & περὶ στιγμῆς (fortaſſis aptiùs στιγμῶν) καὶ τῆς παρ' Ὁμήρῳ, καὶ τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ, *De interpunctione apud Homerum, & Callimachum*, ſcripſit; à quibuſdam Στιγματίας per cavillum dictus. περὶ στιγμῆς autem non tam de *Interpunctione*, quàm de *Cæſurâ*, ſive *Commate Poëtico* auſim interpretari; quia additur, τῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ Καλλιμάχῳ: *quæ apud Homerum, & Callimachum*. Nam, quod Suidas interjungit, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ, *Et quod ex hiſce ſententiæ diſcrimen*, ſibi habeat; interpretatio eſt, & à liberali nimiùm manu. Scio, aliter vir magnus nuper accepit, & hanc mentem Nicanori attribuit: ſed mihi diſſentire fas ſit, judicióque, ut ſic dicam, manumiſſo uti. Nam nec Euſtathius τῆς διαφορᾶς ἐν διανοίᾳ meminit, cùm tamen

Nica-

Nicanorem nominet, ad I. Iliados & περὶ στιγμῶν ſcripſiſſe. Verba ejus Ἐν οἷς Νικάνωρ ὁ Στιγματίας ἐπικληθεὶς: διότι ἐπολυλόγησε περὶ στιγμῶν. *Inter hos Nicanor, ille Compuncti nomen ſortitus, quòd de Interpunctionibus copioſè egerat.*

CAPVT VIII.

Verborum Sectio, quantum ad Syllabas Litteráſque. Mos Auguſti. Quid Circumductio. Regulæ Diviſionum.

AD verba nunc tranſeo, in quibus *Syllabarum*, ut dixi, atque *Litterarum*, ut conjugia, ſic divortia ſunt: ſed Grammatica quadam lege, ſi permittis, conſtituenda. MONT. Ego verò non permitto tantùm, ſed volo jubeóque. Nam ſcire, quod vinculum nigellæ illæ Cadmi filiæ patiantur, quod reſpuant, non exigua DISTINCTIONVM pars eſt. Sed hanc negligere nemo poteſt, niſi qui nitorem ipſum ſtili & eruditionis. PVT. Et tamen quotuſquiſque circa minuta iſta curioſus? MONT.

Tam libenter ignoramus, quod pueri diſcunt; & quaſi in elementis litteræ nuces ſint, redire eò nolumus, unde ætas receſſit. Sed iſti tales ſaltem videant quid ignorent: corrigere volent; in quo hallucinantur. Dic & doce. PUT. Hoc potiùs, ne verborum pompam quærere in Grammatico pulvere videar. Itaque de *Syllabis Litteriſq;* cogitandum eſt, quoties in fine lineæ dictio finditur, & pars ejus transfertur. Auguſtus olim, cujus hæc in ſcriptione cura erat, *necubi Lectorem obturbaret ac moraretur*, transferre partes non ſolebat; ſed ſubjicere, ac circumducere. Suetonius indicat cap. LXXXVII. *Notavi & Chirographo ejus illa præcipuè: non dividit verba, nec ab extrema parte verſuum abundantes litteras in alterum transfert; ſed ibidem ſtatim ſubjicit, circumducitq;*. Dividebat igitur, ſed non longo intervallo: cùm ſpatium deficeret, ſubnectebat. In carmine nonne & nos facimus? en exemplum:

Dignum laude virum Muſa vetat mo-
Cælo Muſa beat. *(ri.*

Addit

Addit Suetonius,*circumducitq́*.& quæ hæc Circumductio? an illa, quam expreſſi? illa (. Sed Princeps ille, L. Litteram Latinam uſurpabat : quæ & in nummis hoc uſu & ſenſu conſpicitur, &,ni ineptire velimus, pro ſigno inibi habenda. Illud noſtrum [quantillum abit? Sed de Diviſione dicamus. Hæc in Proſâ, ſed & quandoque in Metro. In Proſâ, quæ (ut noſter hodie ſcribendi modus) præfinitis paginarum limitibus ſtringitur & ſecatur. Vnde, quia totum linea ſenſum non capit, calamúſque ſuſpenditur, ſæpè in Colo laborat Periodus, in Commate Colon, in Verbo Comma, in Litteris Syllabiſq; Verbum. Salluſtii locum, de bello Iugurthino, ſic repræſento:

Quòd ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quantò ſtudio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculoſa petunt; neque regerentur magis quàm regerent caſus; ac eò magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloriâ æterni fierent.

In Metro etiam; ſed ratione Metri, cùm ὑπέρμετρον, ſive ὑπερκατάληκτον

eſt:& in fine vel aſſumitur Syllaba, vel relegatur: atque tum συναλοιφὴ locum utrobique habet. Aſſumitur, apud Horatium, lib. I. Ode II.

Labitur ripâ, Iove non probante, V-
xorius amnis.

Relegatur, apud Virg. lib. III.

Et ſpumas miſcent argenti, vivâque ſulphu-
ra, Idaáſque pices, & pingueis ungui-
ne ceras.

Sectio igitur in eas litteras facienda, quæ ſeparari poſſunt: quod fiet, ſi Vocali, aut una, aut plures Conſonantes, cum quibus ſonat, adhærebunt: ut, *Le - go, Com - ptus.* An diſtinctiùs? Vna Conſonans inter duas Vocales media ſequenti ſe jungit: *Di - co, Di - xi, A - go, Au - dio.* Etjam Plures, quotieſcunque in principio jungi eædem poſſunt: *No - ster, A - ptus, A - ſper, I - gnis.* Dicimus enim, *Sto, Ptolemæus, Spero, Gnarus.* Si non poſſunt, divelluntur: ut *Lam - pas.* Non poterunt autem, vel ſi ſorores geminæ ſunt: ut, *Pal - las, Ter - ror, An - nus*: vel ſi prior, aut utraque liquida:

quida: ut, *Par -- ca*, *Mar -- tius*, *Al -- bus*, &, *Cul -- men*, *Ter -- nus*, *Car -- men*. Excipio M. ante N. ut, *O -- mnis*. hæ enim in principio copulantur: *Mnemoſynm*. Sed dictiones compoſitæ in partes dividuntur, unde conflatæ: ut, *Ab -- eo*, *Ex -- eo*, *Præter -- eo*, *Neg -- otium*: etiam cùm plures Conſonantes ſunt: *Abs -- traho*, *Di -- phthongus*, *Aru -- ſpex*,

CAPVT IX.

De Affectibus, & potiſſimùm de Interrogatione dictum, ea quando, & quomodò uſurpanda.

ORDO nunc ad *Affectus* ducit: ii inter Schemata, coloréſque orationis internos; & tanquam emineãt, peculiaria quædam à communi ſcribentium uſu ſigna acceperunt. In re nota nolim verba conterere: quia hanc tamen ipſe mihi provinciam præfinivi, exſequar: præter *Sententias*, *Verbáque*, etiam quod Diſpertiam dabo, ut mox Notem. Eſt igitur Affe-

ctus *inflexio ſermonis, quâ vel Interrogamus, vel Vrgemus, & conceptum animi motum cum Emphaſi exprimimus.* Interrogamus ſimpliciter, cùm diſcendi tantùm gratiâ verba acuuntur, & reſponſum quærunt: ut apud Virgilium Lib. I.

Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?

Et lib. VIII.

Qui genus? unde domo? pacémne adfertis, an arma?

Paſſim in ſermone familiari? *Quid enim*, ut Fabius ait, lib. IX. cap. II. *tam commune, quàm interrogare, vel percunctari?* Vrgemus, cùm quæ dicuntur ſtimulant, & recta oratione acriora evadunt. Sic Cicero: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientiâ noſtrâ?* &, *Patere tua conſilia non ſentis?* Ignis & ardor in his verbis; atfrigus & torpor, aliter ſi efferas: *Diu abuteris, Catilina, patientiâ noſtrâ*: &, *Patent tua conſilia.* Similiter Medea apud Tragicum:

Servare potui: perdere an poſſim, rogas?

Quanto molliùs?

Servare potui: poſſum & æquè perdere.

Plura

Plura Quinctilianus, & plenam varietatis Figuram hancoſtendit. Vt parcè utamur, ſuadeo. niſi facimus, ridiculi ſumus, & in ſimpulo fluctus excitamus. Quid undas ſequi ſtudes, & inſurgere? quandoque & in mari æquor placeat; in oratione tranquillitas: fluere eloquentiæ mavult dignitas, quàm concuti; rerum pondera, quàm verborum & flexionis ludibria ſequi. Vt navis, quæ ſine ſaburrâ, ubique jactatur, & pelagi velut luſus eſt: ita inanis, & doctrinæ vacuus ſermo in pyſmata nimis facilè ſubſilit, & nugatur: gravis ille, & ſerius, decenti fertur motu, & afficit. Majeſtatem igitur aſſume quâ placeas: colorem miſce, ut ex intervallo rideas. peſſimum vitium, difficilis moroſitas: & dubites tamen, an magis peccet petulca levitas. Quædam ſic ſcribuntur, ut ſine ſtomacho non legas; quædam, ut non ſine riſu. Cavendum igitur, ne aut impari dictione violes involváſque heroas ſenſus, aut minutis interrogatiunculis imminuas. Sed de venoſis illis obſcuriſq;, alius erit dicen-

di locus : fractam hanc & compunctam, ut ſic appellem, eloquentiam, quia Affectus aſſumit, obiter hic expendo. Stoicorum fuiſſe, Cicero lib IV. De Finibus teſtatur: *Pungunt quaſi aculeis, Interrogatiunculis anguſtis, quibus etiam qui aſſentiuntur, nihil commutantur animo, & iidem abeunt qui venerant. res enim fortaſſe veræ, certè graves, non ita tractantur ut debent, ſed aliquantò minutiùs.* Peculiariter Catonis fuiſſe, idem ille, Prologo Paradoxorum : *Cato autem, perfectus meâ ſententiâ Stoïcus, & ea ſentit, quæ non ſanè probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum; ſed minutis Interrogationibus, & quaſi Punctis, quod propoſuit, efficit.* An tale quid etiam fortaſſis in Seneca, & in copioſa illa acriq; dictione Interrogatiunculæ laſciviunt? Non opinor: temperavit ille, etſi à Fabio reprehenſus, li.x. cap. I. dictúſque *Rerum pondera minutiſſimis ſententiis fregiſſe.* Sententiæ hic ſi puncta, non tamen Interrogatiunculæ ſunt. in Porticu, non in morbo; in hæreſi, non in macie Sapiens ille fuit:
ita

ita pro more familiæ ſuæ locutus, ut vitium declinárit. Sed quod ad ipſam ἐρώτησιν, elegantiam puta; & adhibendam, quoties ſimplici oratione melior eſt. Etenim cùm vita viribúſque, cùm motu & actu, ut ſic dicam, opus; vide an Interrogatio donet. Stagnans perpetuò, & ſine flexione Suada ignavum ſermonem habet, neque excitat: imò (Quinctiliani verbis exprimam, lib. IX. cap. II.) *jacet, & velut agitante corpus ſpiritu caret.* Iam verò, ut ad Definitionem meam revertar, Conceptum animi motum cum Emphaſi exprimimus *Admirando, Optando, Exclamando*, ſimilibúſque: quæ omnia, ejuſdem Rhetoris ſententia, *amplificandi rationem habent*; amplificandi ratio, *illam pluſquàm dixeri ſignificationem, id eſt* ἔμφασιν, *& ſuperla tionem veritatis, & trajectionem.* Atqu ita, *hi Affectus concitati ſunt Effrenatione Iracundiâ, Objurgatione, Optatione, Exſe cratione.* Sed de his ſatis jam multa ſi tamen Parentheſin adjicio, quę cer ſeri inter ſchemata, & micare in ſcr ptione ſolet, una te moleſtia libere

MONI

MONT. Quinam obſecro? PVT. Exigendi. MONT. Lepidè dicis; ſed ſi facis. PVT. Imò feci. adjeci enim: explicandam uberiùs, cùm Notare eandem incipiam.

CAPVT X.

Ad Notas ſermo tranſlatus. Ac primò de Poſituris: eæ, Media Diſtinctio, Subdiſtinctio, Plena. Grammaticorum de eiſdem diſſenſus.

SECTIONES, Partéſque abſolvi: *Notandæ* ſunt, ut ad Signa ſe componat Lector, & primo intuitu orationis momenta diſcernat. Ergò & Sententiæ, & Verba, & Affectus denuò expendendi. In ſententiis Iuncturæ inprimis induſtriam ſcribentis exigunt, ut à Commate Colon, ab hoc Periodus ſeparetur. Nam Metra ſuapte naturâ ſe produnt, & modulorum varietate. Ad Verba quod attinet, quoties dividuntur (proſam & carmen juxtà æſtimo,) à ſyllabâ ſyllaba mi-

ba migrat, & Obeliſco ſive lineolâ librata ſeparatur, ſic -: quidam geminam pingunt, ſic =. Nec aliud hic quo occuperis. Affectus ſeparatas ſuas Notas acceperunt, quas non invenuſtè adhibeas. In Iuncturis ergò *Interpunctione* opus, ut ad ſingulas partes, aut Suſtineri vox poſſit, aut Suſpendi, aut Deponi. Interpunctionem non uno vocabulo Grammatici exprimunt. Sunt enim *Poſituræ*, atque etiam peculiariter *Diſtinctiones* Latinè, θέσεις, ſive στιγμαὶ Græcè. Diomedes (nec alior origo eſt) nominat, lib. II. de Pronunciatione: *Lectioni* POSITVRAS *accedere, vel* DISTINCTIONES *oportet, quas Græci* θέσεις (velim hic addere, *vel* στιγμὰς) *vocant*; Iſidorus uſum edocturus, etymon magis explicat, lib. I. cap. XIX. *Poſitura eſt figura ad diſtinguendos ſenſus, per Cola, & Commata, & Periodos: quæ dum ordine ſuo apponitur, ſenſum nobis lectionis oſtendit. Dictæ autem Poſituræ, vel quia Punctis poſitis annotantur; vel quia ibi vox pro intervallo Diſtinctionis deponitur.* Duplicem rationem aſſignat, vel à ſignis
quæ

uæ figuntur, vel à pauſis quæ ſpiri-
m jam labantem renovant, vocém-
ue inſtaurant: etſi non propriè hic
a *deponitur* cùm in Colo, & Comma-
e hæreat tantùm, ad Periodi metam
rogreſſura. Rectè igitur: *Poſitura eſt
gura ad diſtinguendos ſenſus, per Cola, &
Commata, & Periodos.* Caſſiodorus ait,
lib. I. Inſt. Divin. lect. *à majoribus in-
ventas* (non igitur ſuo ævo) *ut ſpiritus
longa dictione fatigatus, vires ſuas per
ſpatia diſcreta reſumeret.* Diomedes qui-
dem ſic intelligendus, lib. de Pronun-
ciatione, jam ſignato: *Poſituræ inter le-
gendum dant copiam ſpiritus reficiendi, ne
continuatione deficiat.* Sed idem Caſſio-
dorus venuſtè uſum hunc depingit:
*Iſtæ quidem Poſituræ ſeu Puncta, quaſi quæ-
dam viæ ſunt ſenſuum, & lumina dictio-
num; quæ ſic Lectores dociles faciunt, tan-
quam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuan-
tur.* Reliquum eſt, ut diſcrimen videa-
mus: in quo Grammatici variant. An-
tiquiores *Plenam Diſtinctionem* ponũt,
Subdiſtinctionem, & *Mediam*, ſive *Mo-
ram.* Græcè πλέιαν ςιγμὴν, ὑποςιγμὴν,
καὶ μέσην. Plena ſimpliciter quoque
non-

nonnunquam Diſtinctio (quaſi *Disjunctio*, Iſidori verbis, *quia integram ſeparat ſententiam*) ad Periodum refertur: Subdiſtinctio ad Colon; Media ad Comma. Sic Donatus; & ex illo Caſſiodorus tradit: ſic alii. Excerpere verba Diomedis lubet, qui explicatione ſua rem illuſtrat. DISTINCTIO, *eſt ſilentij nota conſenſu* (corrigo obiter *cum ſenſu*) *terminata, ubi eſt liberum ceſſare prolixiùs, ita ut neuter ſui indigeat.* Quæ ultima verba à Sphynge contorta, negotium Oedipo faceſſant. Ego *neutrum* illum, ceu ignotum, imò nullum habeo. An ad Silentium ſenſúmque referas? nugæ. Addit exemplum:

Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoſte

Mortales.

SVBDISTINCTIO *eſt ſilentij nota legitimi, quâ pronunciationis terminus, ſenſu manente, ita ſuſpenditur, ut ſtatim id quod ſequitur, ſuccedere debeat.* FACVLAM admoveo. *Silentium legitimum*, haud dubiè Coli, & duntaxat à pleno diſtat. Manet ſenſus, ſed Suſpenditur. Id verò

rò *quod ſequitur*, Periodi ſumma eſt. Poſtremò, quæ in Scriptionis ordine prima, MEDIA, ſive MORA, *eſt levis in continuatione ſenſuum interpoſita diſcretio, legitimæ Diſtinctionis Subdiſtinctionisq́ medium obtinens locum: ita ut nec perfecta in totum, nec omiſſa videatur; ſed ſignificatione immorandi alterius deſideret principium ſenſus; & hoc ſolummodò ſervat officium, ut legentis ſenſum breviſſimâ reſpiratione refoveat, & nutriat. Sic enim pronunciando reticere quis debet, ut ſpiritus ipſe, quia defectione quadam mutatur, deinde reſumi poſſit.* Quæ hic *breviſſima reſpiratio*, niſi ea, qua Comma ſuſtinetur? Exemplum ne deſit, è Virgilio proponitur:

Vt belli ſignū Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu,
Vtque acres concuſſit equos, útque intulit arma:
Extemplò turbati animi, ſimul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, ſævitq́ juventus
Effera.

Omit-

Omittere ſine damno Diſtinctionis non poſſum, quæ idem Grammaticus addit : *Multæ enim clauſulæ ſunt Mediæ hujus lectionis. Primùm, ne confundantur quæ* δίκωλα *&* τρίκωλα *ponuntur, & talia. Deinde ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo movetur affectu, vel indignatione, vel miſeratione collata, vel certè cum quadam excitatione ſermonis; quæ* ἐμφατικῶς *à Poëtis congeruntur. Siquis igitur ſine media ſpiritus ſuſpenſione pronunciaverit* (exemplum etiam hic habes:)

Aut hoc incluſi ligno occultātur Achivi,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri;

Hic inquam cōfundi rationem compoſitionis tradit, in generali nomine ligni, machinæ, equi. Item,

----Lectúmque jugalem,
Quo perij, ſuperimponas,

minus ait apertum eſſe. *Subdiſtinguendum enim eſt pro voluntate dicentis. Hoc autem voluit intelligi Dido, non eſſe lectum jugalem, quo perierit. Immorandum*

eſt ergò, & reſpirandum poſt Iugalem, & ſic inferendum cum ὑποκρίσεως affectu; Quo perij. At verò Iſidorus invertit hæc partium nomina, & Subdiſtinctionem ad Comma refert, Mediam ad Colon. Verba ejus lib. I. cap. XIX. *Prima Poſitura Subdiſtinctio dicitur; eadem & Comma. Media diſtinctio, ſequens eſt; ipſa & Colon. Vltima diſtinctio, quæ totam ſententiam claudit, ipſa & Periodus.* Vocat ecce *Mediam*, quæ loco Media, etſi aliam ipſe cauſſam aſſignat. Sed nos plures illos ſequamur.

CAPVT XI.

Diſtinctio, priuſquam Poſituræ eſſent, aut nulla, aut poſt ſingulas voces. Lectio veteribus difficilis.

AN & plura dico? MONT. Niſi urgeri malis. PVT. At jam omnia videor. MONT. Inſinuaſſe, non dixiſſe. Enimverò in media hæreo via, ac jam euntem error excipiat, ſi quam accendiſti FACEM, extinguas. Duci

porrò

porrò debeo, non deſtitui: & lumine opus; ubi ſigna & veſtigia quærenda. Nam Poſituras illas tuas audio adhuc magis, quàm cerno: Notas mihi loqueris, nondum figis. PVT. Neſcio verò è noſtra debeam, an è conſuetudine paullò vetuſtiore: nam ab hac recedere nuper cœpimus, in litteris poſtquàm renaſcentibus curioſæ deliciæ placuerunt. MONT. Ex utraque: etſi ſcire inprimis geſtiam, quid, vigente adhuc Latinitate, obtinuit. Nam *Poſitura*, ut novitium vocabulum, ita res quoque videatur. PVT. Sic cenſeo; ac ſanè fruſtra inquiri, non tantùm quomodò, ſed an omninò veteres illi Interpunxerint, quod quidem ad partes ſententiæ Diſtinguendas facit. Verba enim ſingula Romani diſpatare pungente ſtilo ſolent; partim ad ornatum, partim ne coaleſcerent. Sic capiendus Cicero oratione pro Murænâ, Iuriſperitos vellicans: *Dignitas in tam tenui ſcientiâ qua poteſt eſſe? res enim ſunt parvæ, propè in ſingulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupata.* Quid verbis

 opus?

opus? Inſcriptiones quas hic, & alibi videmus, rem loquuntur. Exemplum tamen habe:

BELLO. SAMNITIVM
CVM. AVSPICII. REPE
TENDI. CAVSA. ROMAM
REDISSET. ATQVE. INTE
RIM. Q. FABIVS. AMBVSTVS
MAXIMVS. MAGISTER
EQVITVM. INIVSSV
EIVS. PROELIO. CON
FLIXSISSET...

Etsi invenias quoque, è quibus ſtigmata omnia exulare quadratarius voluit, & continuo nexu voces exprimere. Repræſento:

IOVI STATORI
HERCVLI VICTO
RI M. VLP. NER
VA TRAIANVS
CÆSAR VICTO
DECEBALO DO
MITA DACIA
VOTVM SOLVIT

Sed hoc Græcanico more, ut Seneca ſatis inſinuat, Epiſtola XL. ubi de celeritate orationis: *In Græcis hanc licen-*

tiam

tiam tuleris: nos etiam cùm ſcribimus, Interpungere conſuevimus: id eſt, puncta velut ſufflamina addimus, ut curſus ille verborum frangatur. Nam *Romanus ſermo* (ut idem ſubdit) *magis ſe circumſpicit & æſtimat, & præbet æſtimandum.* Quid igitur? Partes Sententiæ ſive Membra, annon Diſpungebant? non: & in Cicerone ſicubi *interpunctas clauſulas*, aut tale quid leges; ad Sectiones, Partéſque refer, de quibus dixi: Notas enim non agnoſcit. Et in ipſo videamus, lib. III. de Oratore: *Interſpirationis, non defatigationis noſtræ; neque librariorum notis; ſed verborum & ſententiarum modo Interpunctas Clauſulas in orationibus eſſe voluerunt.* Ecce Librariorum Notæ, puncta poſt ſingula verba. Verborum & ſententiarum modus; Diviſio illa ſive Partitio in Commata, Cola, Periodos. Paullo pòſt: *Clauſulas atque Interpuncta verborum animæ interclusio atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt.* Difficilis igitur apud Antiquos lectio, quia Signis, ſive Poſituris deſtituta: quam idcirco partem primæ eruditionis Quinctilia-

nus facit lib. I. cap. VIII. *Supereſt Lectio, in quâ puer ut ſciat, ubi ſuſpendere ſpiritum debeat, quo loco verſum diſtinguere, ubi claudatur ſenſus, unde incipiat; quando attollenda, vel ſubmittenda ſit vox; quid quoque flexu, quid lentiùs, celeriùs, concitatiùs, leniùs dicendum, demonſtrari niſi in opere ipſo non poteſt. Vnum eſt igitur quod in hac parte præcipiam: Vt omnia iſta facere poſſit, intelligat.* Lepidè Difficultatem hanc confirmat, quod ab Agellio narratur, lib. XIII. cap. XXIX. Nam homo quidam ineptè glorioſus erat, qui ſtultâ arrogantiâ Satirarum M. Varronis enarrationem venditabat. Hunc Agellius cum libro acceſſit, & pauculos Varronis verſus legendos explicandóſque, in quibus vetus erat proverbium, *de Muſicâ abſconditâ* propoſuit. At ille quæſtione perculſus, *Lege*, inquit, *tu mihi potiùs, quæ non intelligis; ut & tibi ego enarrem.* Iterum Agellius: *quonam pacto legere ego poſſum, quæ non aſſequor? Indiſtincta namque fiet & confuſa quæ legero, & tuam quoque impedient intentionem.* Quid fit? lubet ejuſdem ſcriptoris verbis referre: *Tunc*

alia

aliis etiam qui ibi aderant compluribus idem comprobantibus, deſiderantibúſque, accepit à me librum veterem, fidei ſpectatæ, luculentè ſcriptum; accepit autem inconſtantiſſimo vultu & mæſtiſſimo. Sed quid deinde dicam? non audeo Hercle poſtulare, ut id credatur mihi. pueri in ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent; ita & ſententias intercîdebat, & verba corruptè pronunciabat. reddit igitur mihi librum, multis jam ridentibus; &, Vides, inquit, oculos meos ægros, aſſiduiſq; lucubrationibus propè jam perditos? Vix ipſos litterarum apices potui comprendere. cùm valebo ab oculis, reviſe ad me; & librum iſtum tibi totum legam. Benè ſit oculis boni Magiſtri! Sed profectò plures hodie ſic lippiant, niſi ſignis ſive Poſituris ducantur. MONT. Quando igitur eæ natæ, & quomodo notatæ? PVT. Alterum divinare poſſum, álterum ſcire. Caſſiodorus, ut monui, Majorum inventum facit. Et qui illi? an à temporibus Hadriani? & quia ſub illo Nicanor στιγματίας? Non arbitror: quia quæ ille περὶ στιγμῶν ἐπιλόγησε, ad Cæ-

ſuras duntaxat referuntur, & Poëticas obſervationes. Ergò incertæ, ſed ſequioris originis omnis hæc Notarum Poſitio, cùm inſigni novitate labantes fulcire litteras viri induſtrii anniſi: qui profectò benè de Poſteris mereri non poterant, niſi invenirent ſimul quod veteres ignorârunt.

CAPUT XII.

Quâ formâ, & ordine olim Diſtinctionum ſigna. In ordine Grammaticos variaſſe.

IPSAS Notas nunc efformo, & hoc ago quod ſcire me dixi; ut & divinare de origine alius poſſit. Nam poſtquam Diſtinguere viri docti cœperunt, ſolis & ſingulis Punctis, diverſo ſitu locatis, ſingulas partes ſignabant: Comma videlicet, Colon, Periodum. Comma, puncto in verſu, ad pectus, ut ita dicam, litteræ, ubi ſermo ſuſtinetur; & hæc media diſtinctio; Colon, puncto ad fundum litteræ, ubi ſermo ſuſpenditur, ; & hæc Subdiſtinctio; Perio-

Periodum, puncto ad caput litteræ, ſive ſupra verſum, ubi ſermo deponitur; & hæc Plena diſtinctio. A Diomede hæc petita, lib. II. ubi de Diſcretione. Verba promo, ſed ut emendavi, cùm prius mendis involuta, nullum recti ſenſus indicium darent: *Diſtinctio quidem est, appoſito puncto, nota finiti ſenſus, vel pendentis mora. quod locis ponitur tribus:* SVMMO, *cùm ſenſum terminat, & vocatur Finalis à nobis, à Græcis* τελεία: MEDIO, *cùm reſpirandi ſpatium legenti dat, & dicitur Media, Græcè* μέση. IMO, *cùm lectionis interruptum tenorem, adhuc aliud illatura ſuſpendit, & vocatur à Græcis* ὑποστιγμή, *à noſtris Subdiſtinctio.* Atque iſta ſic intelligenda, ut *ſenſus terminum* ad Periodum referas; *reſpirandi ſpatium*, ad Comma; *Lectionis interruptum tenorem*, ad Colon. Nec moveare, Partium ordinem hic confundi: Punctorum, Scriptor ille reſpexit, quæ *ſummo, medio, imo* loco ponuntur, & per gradus velut deſcendunt. Ceterùm; ſi à Commate, per Colon, ad Periodum imus; Medium Punctum, primum eſt; Imum, ſecundum; Sum-

mum tertium: ſicuti Media diſtinctio, Subdiſtinctio, Plena. Caſſiodori verba adferre, abs re non fuerit, lib. 1. de Divinis Lectionibus: *Iſta quidem Poſitura ſeu Puncta, quaſi quædam via ſunt ſenſuum, & lumina dictionum.* Et paullo pòſt: *Prima eſt, Media; ſecunda, Subdiſtinctio; tertia, Plena.* Ad Donatum deinde hic Scriptor Lectorem remittit, *brevi* iſtîc *compendio* (ſic loquitur) *inſtruendum.* Ipſum videamus, Editione prima: *Tres ſunt Poſituræ vel Diſtinctiones, quas θέσεις Græci vocant: Diſtinctio, Subdiſtinctio* (& hic ordo à fine eſt,) *Media diſtinctio. Diſtinctio eſt, ubi finitur plena ſententia: hujus punctum ad ſummam litteram ponimus. Subdiſtinctio eſt, ubi non multum ſupereſt de ſententia, quod tunc neceſſariò ſeparatum, mox inferendum ſit: hujus punctum ad imam litteram ponimus. Media eſt, ubi ferè tantum de ſententia ſupereſt, quantum jam diximus; cùm tamen reſpirandum ſit: hujus punctum ad mediam litteram ponimus.* Tota ecce ſententia Periodus dicitur, Summúmque Punctum habet: cujus partes ſunt Cola, & Commata.

Sed

Sed ad Colon Subdiſtinctio, ſive Imum Punctum; ad Comma, & reſpirationem, Media & Medium refertur. Donati locum Sergius explicat. *Dicta Diſtinctio eſt, vel Poſitura, quòd Poſitum Punctum Diſtinguit noſtram orationem: & cùm Diſtinctio ſpecies ſit Poſituræ; tamen abuſivè pro ipſa Poſitura, hoc eſt pro ipſo genere Diſtinctionem habemus. Nam cùm ſit codex emendatus Diſtinctione, Subdiſtinctione, & Media diſtinctione; dicitur tamen codex eſſe Diſtinctus. Igitur Diſtinctio eſt Punctum appoſitum ad caput litteræ plena ſententiæ. Subdiſtinctio, Punctum appoſitum ad imam partem ſemiplenæ orationis. Media diſtinctio, Punctum appoſitum mediæ ſententiæ, ſuſpenſæ propter reſpirationem.* Hìc *ſemiplena oratio*, Colon eſt; *Media ſententia*, Comma, & reſpirationem habet. Aliter verò Iſidorus: & Nomina ipſa, pro poſitione punctorum, invertit. Subdiſtinctionem enim vocat, cùm Punctum ſub verſu notatur; & ſic Comma concludi. Mediam, cùm in medio verſu; & ſic Colon ſuſpendi. Periodum tertia Poſitura ſignari. *Vbi in initio pronuntiatio-*

ciationis necdum plena pars ſenſus eſt, & tamen reſpirare oportet, fit Comma, id eſt particula ſenſus; punctuſq; ad imam litteram ponitur; & vocatur Subdiſtinctio; ab eo, quòd punctum ſubtus, id eſt ad imam litteram accipit. Vbi autem in ſequentibus jam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliquid ſupereſt de ſententiæ plenitudine, fit Colon; mediamq; litteram puncto notamus, & Mediam Diſtinctionem vocamus; quia punctum ad mediam litteram ponimus. Vbi verò jam per gradus pronunciando plenæ ſententiæ clauſulam facimus, fit Periodus; punctúmque ad caput litteræ ponimus, & vocatur Diſtinctio, id eſt disjunctio; quia integram ſeparat ſententiam. In qua locatione punctum vides tergemino attolli gradu, & creſcentem velut orationem ſequi. Naſcitur enim à Subdiſtinctione, ſurgit à Media, conſiſtit in Plena. Diverſum etiam Marius Victorinus docet, lib. I. Artis Grammaticæ, ubi de Orthographia: *Quando diſtinguitis, cùm erit perfecta oratio, & ſenſus concluditur, inter noviſſimam verbi litteram, & primam inſequentis, in ſuperiore parte verſus Punctum ponite*

ponite aliud quàm librarius inter duo verba poſuit: quoties verò ante Diſtinctum mora fuerit neceſſaria, ſimiliter inter duas litteras ἀπόστροφον averſam, id eſt ſicilicum ponite ; ſi verò fuerit Hyperbaton, & longior ſenſus; alterum in imâ parte verſus, inter duas ſimiliter ut ſuprà litteras, punctum clarum ponite: & ſi priùs quàm Diſtinctum concluditur, mora iterum fuerit neceſſaria, ἀπόστροφον averſam, id eſt ſicilicum ſimiliter in imâ parte verſus ponite. A fine orditur, & Notat ecce primò Periodum, puncto ſummo: deinde Comma ante Periodum, ſicilico; & hæc *mora neceſſaria*, ſive Media Diſtinctio: tertiò Colon; puncto imo: denique Comma ante Colon, ſicilico imo; quæ pariter *Mora*. Atque ita quatuor hîc Diſtinctiones habes: Commatis, Coli, iterum Commatis, & Periodi. Quem autem in primo Commate locum ſicilicus ſortitur; eundem punctus in Colo: ſic quem in ſecundo Commate ſicilicus, eundem punctus in Periodo. Aliter an interpretari locum hunc Victorini poſſis, equidem dubito. Sicilicum explicare Iſido-

rus

rus videtur, lib. I. Orig. cap. XXVI. *Vbi litteræ conſonantes geminabantur, ſicilicum ſuperponebant: ut, ſel'a, ſer'a, as'eres; pro ſella, ſerra, aſſeres. Veteres enim non duplicabant litteras, ſed ſuprà ſicilicos apponebant: quâ notâ admonebatur Lector, geminandam eſſe litteram.* Vnde noſtri illi apices, quibus M. & N. ſignamus; quoties vocalem ſequuntur: ut, *ãbitio, ambitio*; *ãnus, annus*. Et ſic in reliquis: etſi poſt I. elidi vix ſolent. Malũt enim Typographi, *imber*, quàm *ĩber*; & *inter*, quàm *ĩter*. Addit Iſidorus: *Sicilicus, quia in Siciliâ inventus eſt*. Rectiùs tamen à *ſiciliendo*, id eſt ſecando (ut ipſa *Sicilia*, quaſi avulſa) dicatur, quòd ſemunciam dividat.

CAPVT XIII.

Noſtra hodie Nota an Poſitura? Pro Commate, Colo, Periodo variari. Colon, item Periodus ſubdiviſa.

SED vix ad noſtrum iſta uſum, qui in Punctis quoque reperire potuimus,

mus, quod mutaretur. Nimirum in re minima ingenioſi,& circa nævulos occupati, ſæpe lineamenta orationis & decôrem poſtponimus. Hinc Notare membra ac Diſpungere ſuperſtitioſa cuſpide,plerique audent,cùm Partiri rudes : ſat magni ſcriptores, munus ſi librarii uſurpent. Mont. Fieri ſolet : quia tamen imperfecta omnis Sectio Diviſióque, niſi Signa ſubſequantur, hæc quoque adhibenda. Pvt. Suadeo: ſed ſi ut ſigna duntaxat habeamus, tam novari facilia, quàm aliquando non uſurpata. Noſtrum igitur ævum novavit:nec malè, ſi facilitas quærenda, & in oratione, ut ſcire, ſic ſignare partes pulchrum eſt. Facimus verò quod Grammatici olim, nec tamen facimus. Mont. Et capio ego quæ dicis, nec capio. Pvt. Quid ita? Mont. Dubio & ancipiti verborum ſchemate ſenſum involvis. Pvt. Explico: Notas mutavimus, & fecimus Diſtinguendo, ne Poſituræ eſſent. Etiam hæres? à loco & poſitione nomen, hoc erat; unúmque Punctum, variatim locatum

tum, Mediam diſtinctionem, Subdiſtinctionem, Diſtinctionem efficiebat. Quid nos? loco & poſitione miſſis, à figurâ diſcrimen petiimus, & mutatis ſignis, non motis, Interpungere placuit. Ordine dicamus: *Comma* quidem virgula recta, aut leviter incurvata, hoc / vel iſto modo, idque interdum poſt ſingula verba, undante velut lectione; interdum poſt conjuncta. Poſt ſingula, illud Cæſaris: *Veni, vidi, vici.* Item illud Salluſtii: *Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent.* Poſt conjuncta, Tragicus ſignandus, Medeâ:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terraſq; ſuas poſt terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioq; ſecans æquora curſu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortiſq; vias
Nimium gracili limine ducto.

Secundò Colon eſt, & in hoc variamus. Nam cùm membra quædam minùs abſoluta, alia pleniora viderentur, placuit in Colo partes conſtituere,

fuere,& novâ Diſtinctione diſcrimen hoc ſignare. Itaque *Semicolon* natum eſt,& ſeorſim quoque notatum. Poſſis, *Minus*, & *Majus* Colon appellare. Minus eſt, quod plenius Commate, ſed omninò Colon non explet, dubia velut mora ſuſpenſum. Locum in Disjunctis,Oppoſitis,tum Partitione varia habet,iisq; omnibus,quæ Commatis & Coli media ſunt. Notam ſortitur, virgulam, ſive dexteram ſemicirculi partem; cui punctum incumbat; Salluſtius: *Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habere; amicitias, inimicitiáſque non ex re; ſed ex commodo æſtimare; magisq́ vultum, quàm ingenium bonum habere.* Majus Colon, ſive ἁπλῶς Colon eſt,quod perfectum membrum continet, & abſolutam Periodi partem: quemadmodum ſuprà explicui. Signatur gemino puncto : ſive Diſtinctione, & Subdiſtinctione : quaſi membrum quidem ſit, ſed Periodi aliquid habeat: ut in Semicolo alterum in virgulam punctum flexum eſt, quo affi-

ne comma oſtendatur, Exemplum è Ciceronis Paradoxo I. repræſento. *Nunquam mehercule ego neque pecunias iſtorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas quibus maximè obſtricti ſunt voluptates, in bonis rebus eſſe numerandas duxi: quippe cùm viderem homines rebus his circumfluentes, ea tamen deſiderare maximè, quibus abundarent.* Periodus reliqua eſt, ſignanda pariter, ut finiam. Ergò & hanc partimur, in *Majorem*, & *Minorem*. Major eſt, quæ ſententiam penitus perfectam habet, nec ſequentia proſpicit. Puncto notatur, & Majuſcula excipitur, Horatius lib. II. Ode XVI.

Lætus in præſens animus, quod ultrà eſt
Oderit curare: & amara læto
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.

Minor autem, quæ perfecta quidem, ſed novum ex ſe ſenſum gignit à quo trahitur. *Semiperiodum* non ineptè voces, ad ſimilitudinem Semicoli; cùm è Colo participet: ut Semicolon è Commate. Notatur puncto, & Minuſcula excipitur. Salluſtius; *Noſtra omnis*

omnis vis in animo & corpore ſita eſt. animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. alterum nobis cum Dis, alterum cum belluis commune eſt. Horatius lib. III. Ode XVI.

Quanto quiſque plura ſibi negaverit,
A Dis plura feret. nil cupientium
Nudus caſtra peto, & transfuga divitum
Partes linquere geſtio.

Sunt verò, qui hîc Subdiſtinctione malint, & tanquam membra ſeparent, gemino Puncto uti. ne ſequare: Periodi ſunt, & talem igitur Notam jure adoptant. Non nego fuiſſe olim, quæ à Periodi ditione ad Colon traducta ſunt: ſed non ea tamen ejuſmodi, ut omnem Semiperiodi Diſtinctionem diluant, limites evertant. Ergò in aliquibus innovare placuit, & ubi veteres Diſtinguebant, Subdiſtinguere. An & dico? ante Similitudines, voces Redditivas, & Tranſitus. Ita Diomedes: *Diſtinguere autem oportet ante ſimilitudines, quas Græci* παραβολὰς *vocant; & ante voces redditivas, quas illi* ἀνταποδόσεις, *& ſiquando à perſonâ ad perſonam tranſitus fuerit factus.*

Nos hodie tanquam Cola notamus. MONT. Satis hæc jam capio, & in Latinis obtinent Litteris ! quid in Græcis ? PVT. Opportunè ſuggeris. nam illi ab hoc uſu aliquantum abeunt, & ὑποστιγμὴν puncto ad ſummam litteram exprimunt; στιγμὴν ad imam, contraria quàm olim apud Latinos Poſitura: μέσην Στιγμὴν pari nobiſcum virgula cædunt, finduntq;.

CAPVT XIV.

Occaſione Diſtinctionis Græcæ, eæ quoque Litteræ commendantur. Affectus denique diſpuncti.

ACCVRATIORES igitur in Latinis ſumus, quod ad Notandi hũc uſum: & nunc quoque, tanquam è lege linguæ & majeſtate, Gradarii. Cùm nulla olim Athenis Puncta eſſent, nulla non verba apud Romanos pungebantur: quia hodie Palliati ſtigmata habent, Togati auxerunt. Sed quid mirum, Græcas ferè Diſtin-

ctio-

ſtione deſtitui litteras, quas quàm pauciſſimi tractant? Non amare parum eſt, etiam odiſſe audent, qui non aſſequuntur. Atque utinam hi ſaltem Latini eſſent! Eruditionem diſcunt, ut ignorent tamen; & cùm hoſpites Athenis ſint, etiam peregrinari in Latio coguntur. O miſelli! Exſpecto quàm mox ſine litteris docti ſint, qui ſine Græcanicis cœperunt: & qui Pallio carent, ne Togam quoque non inveniant. MONI. Nihil potuit ad meum magis guſtum: Oſores hujus linguæ odi, ipſam amo, cui eruditionem, omnémque elegantiam Lâtini debent: & ſine qua ſæpe ne ſuam quidem intelligant, ſæpiùs perperam ſcribant. PVT. Rem loqueris. Romana Orthographia, ſine ſubſidio Græcarum litterarum fluctuat: & quot voces è mediâ Hellade in urbem adſcitæ ſunt, & jure Quiritium donatæ! Etiam Romæ Græcia eſt. Sicuti qui uno pede gradi poſtulant, & unâ manu vitæ obire munia: ita qui ſorores haſce linguas ſeparant, & loqui, aut ſcribere Latinè ſe cum lau-

de putant, ſine ſubſidio ullo Grajo, Iuventus audiat, & pro Diſſertatiunculâ meâ nuperâ ſapere incipiat; imò pro operâ quam impendo. Equidem ne Latinas quidem litteras docere mihi videar, niſi Græcas conjungam. Itaque & Diſtinctionem debui: etſi tamen Græcam malim ad Latinum quoque uſum revocari. In lingua ipſa quid Poſituræ mutant? FACVLÆ ſunt: at ignis flammaeque eadem ubique imago, & idem munus, ardere, lucere. Adde, quòd Latini accuratiores: & fas ab iis finium jura accipere, qui Terrarum orbem devicerunt. MONT. Tecum ſentio. Sed nunc agè, metam cogita, & pulveris etiam ſiquid reliqui, decurre. PVT. An ergò reliqui? collegi, quidquid hic Circus objecit; ad ipſos omninò carceres jam relatus, non invenio quod dicam. MONT.. At ego, quod ſuggeram: *Affectuum Notæ* ubi ſunt? PVT. Hem, tu quidem opportunè iterum: & pungere eos (affectus inquam) audeam, qui pungunt ipſi, & tranſversùm ſæpè Bonam Mentem trahunt,

trahunt. Nil admirari Sapiens ſolet: quàm Philologus abit ! Exclamare imbecillus: ſed quàm obvius, imò familiaris in re læta, triſti, nova hic Affectus ? Optare, & vovere cupidus: & omnis tamen quotidie ſermo ſic anhelat. Sciſcitari, quærere, interrogare, curioſus: & quis non ipſum quoque robuſtæ orationis corpus his identidem punctis mutilat ? Non rejicio tamen Philologiæ has ſive curas, ſive delicias; ſed tempero. Loco & tempore adhibendæ ſunt; ne, qui color, fucus fiat; & in vitium elegantia migret. Boni quique ſcriptores modicè faciunt, & ſequuntur quod in eloquentia primum eſt. Affectus igitur iſtos omnes, aliter Veteres, aliter nos Notamus. Illi Interrogationem (agmen merito hæc ducat) Diſtinctione, id eſt Puncto ad ſummam Litteram. Exclamationem, Execrationem, Admirationem, Optationem, & ſiquid reliquum eſt, Media diſtinctione, id eſt Puncto ad mediam Litteram. Diomedes indicat, lib. II. ubi de Diſcretione. ait enim Diſtinguen-

dum eſſe, *& ante Interrogativam, & poſt Interrogativam.* De ceteris Affectibus paullopòſt: *Multæ cauſſæ Mediæ hujus diſtinctionis ſunt. Primùm, ne confundantur, quæ διμωλα & τρίκωλα ponuntur. Deinde, ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo moveatur Affectu, vel Indignatione, vel Miſeratione collatâ, vel certè cum quâdam arctatione ſermonis; quæ ἐμφαλικῶς à Poëtis congeruntur.* Sed, ut dixi, nos aliter hodie: & primùm, Interrogationis ſignum, Punctum cum flammula habemus: an ad vehementiam ſermonis indicandam? hoc modo ? In exemplo vide. Virgilius;

Uſque adeòne mori miſerum eſt?

Horatius:

Damnoſa quid non imminuit dies?

Sic igitur quandoque ſingula verba, quandoq; conjuncta notantur, quandoque ſententiæ duntaxat finis. Ipſe Affectus ſuggeret. Neque etiam Manutium hîc audio, qui in producta ſententia evaneſcere vim Interrogationis cenſet, & ſpatio velut imminui, quæ in primis ſtatim verbis ſe prodebat:

bat: ideóque ne quidem ſigno utendum. Sed quid hoc aliud, quàm ſagittam mittere, quæ citra ſcopum cadat? telum vibrare, quod non pertingat? Fruſtra interrogando primam attollis Periodum, niſi & ultima ſuſtentetur? imò aſſurgere tum inprimis vox debet, cùm ponenda, & undante velut niſu, atque adeò hemiolii chromate acui. Vide: ſignum ipſum, annon hac ſimilitudine criſpatur? Adhibendum igitur, & vel tum maximè, cùm dubitare poſſis, an Interrogatio defecerit. Exemplum è Cicerone adjicio, v. Tuſc. *Quo tandem igitur gaudio affici neceſſe eſt ſapientis animum, cum his habitantem pernoctantémque curis; & cùm totius mundi motus converſionéſque perſpexerit, ſideráque viderit innumerabilia cælo inhærentia, cum ejus ipſius motu congruere, certis infixa ſedibus: ſeptem alia ſuos quæque tenere curſus, multùm inter ſe aut altitudine, aut humilitate diſtantia, quorum vagi motus, rata tamen & certa ſui curſus ſpatia definiant?* Iam verò quæ ἐμφατικῶς efferuntur, non longè ab hac nota abeũt.

Punctum eſt, ſtrictam lineolam, velut aculeum ſuſtinens; & appingo ! Ergò admirari, exclamare, optare, & ut verbo cuncta complectar, moveri ut videaris, ſic oſtende. Horatio alibi ab hac Diſtinctione vis accedat:

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula; nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citiùs ſolvet amor die!

Cicero inſignem Exclamatione ſententiam extulit, Paradoxo VI. *O Dij immortales! non intelligunt homines quàm magnum vectigal ſit parſimonia!*

CAPUT XV.

Quatuor modis fieri Parentheſin, & Notari. Synopſis operis, & concluſio.

DE Parentheſi ſi adjecero, impleviſſe Diſtinctiones videbor. Latini *Interpoſitionem*, vel *Intercluſionem* dicunt: in mediam enim orationem hoſpes, ut ita dicam, ſenſus admittitur, & hæret. Veteres plena Diſtinctione

ctione videntur ſignaſſe. Nos fiſſo ac divulſo circulo, qui includit, & tanquam gemino termino à reliquo orationis corpore ſejungit: ſic ( ) Neque tamen ſimplici modo Interpoſitio iſta fieri ſolet: quot partes orationis quas diſtinguimus, tot loca; atque ipſæ interdum partes ſinduntur, quas non diſtinguimus. Inter Commata namque ſedem ſibi vindicat, inter Cola, inter Periodos; imò ut magis ſe inſinuet, medium ſæpius Comma occupat, mediúmque Colon; & fit Diſtinctio, ubi non erat. Quadruplicem igitur Parentheſin facio: Simplicem, Commatis, Coli, Periodi. Simplex eſt, quæ verbis non interruptis inſeritur; & notare communi more velim. In exemplum Virgilium produco:

Hæc loca vi quondam, & vaſtâ convulſa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt.

Vt vides, ipſa hîc quoque verba ſenſu una, ſed ſecante Parentheſi diſſiliunt.

Com-

Commatis altera, quæ inter duo Inciſa. Signum idem: ſed Media diſtinctio ne pereat poſt Parentheſin, ſemicirculo includenda. Hîc enim & vocis Mora, & Commatis pronunciatio flecti debet, ut ſequentia non, tanquam à Parentheſi, ſed ab Inciſo diſtinguantur. Salluſtium ſic interpungo, Oratione 1. de Republica ordinanda: *Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maximè erectus eſt, negotij magnitudine: & quia tibi terra & maria ſimul omnia componenda ſunt (quippe res parvas tantum ingeniũ attingere nequit,) magnæ curæ magna merces eſt.* Tertia Coli, quæ inter duo Membra. Signum hic quoque non muto, ſed augeo; & ubi in priori Media fuit Diſtinctio, hic Subdiſtinctionem pari de cauſſa adjungo. Exemplum doceat, à Virgilio iterum ſumptum:

Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam:)
Sed non & veniſſe volent.

Siquis etiam utrobique excuneatam Poſituram malit, & ſemicirculo adnectere),): facito: litem ei ob pro-

motum

motum limitem non intendam. Vltima Periodi, quæ inter duos Circuitus : & tanquam Periodus ipſa fiat, poſitis lunulis ϛιγμὴν πλέιαν adſumit. In Cicerone oſtendo; 1. Paradoxo. *Quid Africanus Major? quid Minor? Quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alij? Nam domeſticis exemplis abundamus.* Rem,opinor, capis. MONT. Et capior. nam, præter novitatem (gratia ingenio tuo ſit,) non parvum lumen orationi accedit. Turbari Inſitione ſententiam, obſcurari Diſtinctionem neceſſe, niſi hac FACVLA utamur. Accendiſti, benè eſt: & perennem (ita voveo) uſus faciet. Sed quid ſi immiſſa oratio vim ſecum Interrogandi, ſive Affectum aliquem adferat (& quàm frequenter ſolet!) nonne & tale ſignum adhærebit? PVT. Omninò: niſi ſatis putas, Parentheſin ſciri, diſcrimine omni neglecto. In peregrino & advena ſenſu vix virtutem ullam, aut δύναμιν ſolum antiſigma diſtinguit. comites igitur habeat Notas, quas expreſſi: tu, ipſam hanc FACVLAM, in omni,

quam

quam inſtitues, Lectione, atque Scriptione. Te ſepono, nequid præſcribere infra ætatem videar: habeant Filii tui, PAVLVS MARIVS, & IOANNES BAPTISTA, optimæ indolis & ingenii adoleſcentes, quos ad Litteras Virtutémque (præfiſcinè dixerim) genuiſſe mihi videris. An aliud exigas? Ego ſurgo & eo. MONT. Nefas, ſi renitar. Audivi quæ bona, & quorum major etiam in uſu fructus eſt. Satis igitur iſta, ut uſurpem. PVT. Imò ſatis, niſi excedere me limites meos velis, quos præſcripſi. *Sectiones, Partes, Notas* promiſeram: abſolvi. Breviter: *Secui* Partes, & *Notavi*.

SECVI

- **Secvr**
  - *Sententias,*
    - *Iunctura cauſsâ* & *Metri. Vtrobiq; Comma, Colon, Periodum.*
  - *Verba,*
    - *Litterarum divortio,* & *Syllabarum.*
  - *Affectus,*
    - *Interrogandi, Optandi, Exclamandi, ſimiléſque.*
- **Notavi**
  - *E more Veteri,* & *Noſtro.*

Mont. Plenè omnia: at ego Mantiſſam aliquam exſpectabam, de Diſtinctione Librorum, quam aliam olim fuiſſe, aliam nunc eſſe Viri docti indicarunt. Pvt. Nec fruſtrà. Veteres in στίχυς, ſive *Verſus* ſcriptionem omnem

omnem, tanquam in manipulos certos partiebantur.: & ab hoc numero citari ſoliti ; imò ab hoc numero univerſus cujuſque labor definiebatur. Prius, Aſconius facit, in Ciceronis locis aſſignandis. Poſterius, Diogenes in Ariſtotelis, & Chryſippi monumentis cenſendis: item Plinius in Zoroaſtris. Nos aliter (niſi tamen in Sacris Litteris hic uſus ſupereſt,) & Opus aliquod in Tomos, ſive Volumina: hæc in Libros; Libros in Capita, & τμήματα, ſive Sectiones, ac deinceps in Paginas Lineáſque, aut etiam in Paragraphos ſeparamus. De quibus quid ſtatuere debeas, & an Veteres uſurparint, in Navicula dicam. Novum vigorem vitalis illa LARII aura & amœnitas adſpirabūt. MONT. Lepidè differs : & intervallum ego eſſe ſino, ut digeſtis paullulùm exquiſitiſſimis ferculis, DISTINCTIONVM tragemata quædam inſtaurato vigore excipiam. Tu nunc reſpira viciſſim, & cape delicias, qui dediſti. PVT. Imò capere debui, uti darem : horâ, & ſimul loco frui. Nunc dum loquor, fer-

ſervidis Sol quadrigis evectus, gratiſſimum illud ver diei diſcuſſit. Mehercle penetrat, quò nec radios miſit, & in ipſa jam umbra æſtus eſt. Luſtremus igitur quicquid Plinii hic olim, nuper Iovii memoriam habet, & de Cymba, de Vrbe cogitemus.
MONT. At diem hunc ego MVSEO deſtinavi: & jam prandium juſſi inſtrui, ut, ſi nomen placet, in Apollinis epulemus. PVT. Prādium ais? MONT. Experiere, an Liberi Cererisq; ſodalitium Muſæ admittant: & an æquare ſuaviſſimos ſermones tuos Telluris noſtræ Copia poſſit. PVT. Volens lubénſque: & in hoc certamine vinci, non ſine voluptate erit. Tanti autem facio, loqui potuiſſe, ubi ſcribere, imò habitare votum ſit; ut celebrare Vrbis veſtræ delicias geſtiam, quæ non parvam, à Muſéo famam acceperunt. MONT. Et à te accipient: ſic ſcribere, & habitare detur. Vt magis etiam velis, diem impende: luſtra (voces tibi duas reddo) quicquid Plinii hic olim, nuper Iovii memoriam habet. PVT. Hoc ipſum putem hic pran-
V dere.

dere. Duc, & ſequor. Perire Hercules, ut tua tibi verba reddam, tam bella occaſio non debet.

ERYCI PVTEANI AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA V.

DE INTERPVNCTIONE, Faculæ Breviarium.

Ad Nobiliſſimum Iuvenem SEBASTIANVM SALAZARIVM.

T*V verò è Iuventute iſtâ, Nobiliſſime* SALAZARI, *ad ſumma venies, ſi à ſtirpe & indole non deflectes.*

Εἰ δή τοι σοῦ πατρὸς ἐνέστακται μένος ἠΰ. *Magnus ille, & pariter beatus, qui te talem genuit, ut poſſis eſſe magnus. Sed Patrem*

trem non laudo; in quo omnia excelſa, Animi, Corporis, & Fortunæ bona: te incito; ut per rectam hanc ſemitam, quam calcare cœpiſti, pergas. Semitam inquam litterarum, ad ſerena Sapientiæ templa ſtratam. Auxilia ſi non ſpernis, promptus avidúſque adſum, ut feram. Promptum me publicum munus facit: avidum, obſervantia & cultus in domum veſtram, à quâ ipſum munus nactus ſum. Cùm igitur prodeſſe publicis ſtudiis debeam; tuis tamen inprimis & debeo, & volo; ut oſtendam unde poteſtas publica facta. Debiti, ac voluntatis hujus pignus ecce do, quod vides, DE DISTINCTIONIBVS SYNTAGMATION: exile & minutum ſcriptum, ſed ideò pignus: utile tamen, ſi exile non putabis. Vna enim INTERPVNCTIO, ſcriptoris laus eſt, ſcriptionis interpres; lectoris fax, lectionis regula; ad ſummam, ſtili & eruditionis teſſera: quam qui ſpernit, ignarus bonæ litteraturæ; qui negligit, imperitus habeatur. Plures quidem, ſi animadvertis, Interpungunt: pauci rectè. notare enim uſu quiſque aliquo modo diſcit; Rationem non diſcit. Hanc igitur hîc habes, & annexum Modum, ſive Normam.

uſurpa: invenies in re levi non leve momentum.

Capvt I.

De origine, neceſſitate, & partibus Diſtinctionum: Ratione, & Normâ.

A Brvtis Natura hominem Ratione, & Oratione ſecrevit. hæc illius nuncia ſive miniſtra, voce promit, & ſtilo enititur, quicquid mens ipſa concipit. Orationis enim ſcaturigo ab uno fonte animo, gemina manat; in aërem, & in ceram. iſtic, cum ipſo ſuſurro ſive ſono dilabitur ac perit, hîc colligitur & durat. Vt autem dicenti recta Pronunciatio: ſic legenti Distinctio uſurpanda eſt. illa auribus, hæc oculis capienda: utraque, ut vim virtutémque ſermonis animo ſiſtat & patefaciat. Vox quidem & pauſas ſuas habet, ſed Temporis: & calamus ſive ſtilus, ſed Interpvnctionis. Aliàs, ſi perpetua connexione cuncta ſcribuntur, obſcu-

obſcura fiant: ut ſi continuo ſpiritu efferantur. Diomedes Grammaticus ad rem: *Lectioni* POSITVRAS *accedere, vel* DISTINCTIONES *oportet, quas Græci* θέσεις *vocant: quæ inter legendum dant copiam ſpiritus reficiendi, ne continuatione deficiat.* Ergò in Scriptione, DIVISIONES, earúmque NOTÆ neceſſariæ ſunt. Oratio enim non dividitnr tantùm; ſed etiam ſignis quibuſdam diſtinguitur. quæ duę doctrinæ hujus partes ſunt, ut *Rationem Dividendi* ſcias, & *Normam Interpungendi.*

CAPVT II.

Diviſio, in Comma, Colon, Periodum: ſingula definita, & explicata.

DIVIDITVR autem Oratio vel in *Verba, Syllabas, Litteras*, Grammatica quadam Lege: vel in *Periodos, Cola, Commata*, è Rhetorum præceptis. *Comma*, ut Iſidorus explicat, *particula eſt* (tu Inciſum voca) *ſententiæ: Colon;*

membrum: Periodus, ambitus ſive circuitus. Exemplum è Cicerone, eidem ſcriptori citatum: *Etſi vereor Iudices,* Comma eſt. ſequitur aliud Comma: *ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere*; & factum eſt Colon, quod etſi intellectum ſenſui præſtat; pendet tamen oratio, donec Periodus, ſive extremæ ſententiæ clauſula exprimatur. Pergo igitur, & protollo lectionem: *miniméque deceat, cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt.* Ecce tibi Periodum concluſam, id eſt orationem numeris abſolutam, & ſenſu perfectam, & intellectu facilem. Talis enim eſſe debet. Quinctilianus: *Periodus ſenſum concludat; ſit aperta, ut intelligi queat; non immodica, ut memoria contineri.* Addo, non immodica, ut decorè pronunciari; ne ſpiritus cùm detrimento vocis torqueatur. Mo-

neris

neris ab Iſidoro: *Periodus autem longior eſſe non debet, quàm ut uno ſpiritu profeferatur.* De Periodo quidem ſic cenſe: ſed Cola, & Commata orationes imperfectas, &, ut ita dicam, laborantes eſſe. Partes enim illius ſunt, id eſt orationis perfectæ, & ex partibus perfectæ. Vt autem ab origine rem repetam, & in verba pauca includam. E Litteris Syllaba fit, è Syllabis Verbum, è Verbis Comma, è Commatibus Colon, è Colis Periodus: etſi tamen non perpetuò, in Medio præſertim, & Infimo charactere dicendi. Nam uti eadem dictio interdum littera, ſyllaba, & verbum eſt: exempli cauſſa in hac ipſa Præpoſitione E: ſic eadem oratio, Comma, Colon, ac Periodus eſt. Horatius:

Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.

CAPVT III.

Interpunctionis partes deinceps expreſſæ: Diſtinctio, Subdiſtinctio, Media Diſtinctio.

DE *Ratione* ſatis ſuperque: ad *Normam*, ſive *Interpunctionem* tranſeo. eæ Notæ ſive Stigmata ſunt, quibus orationis illæ Partes afficiuntur; à Grammaticis *Diſtinctiones*, ſive *Poſituræ* dictæ. Iſidorus ſcribit: POSITVRA *eſt figura ad diſtinguendos ſenſus per Cola, & Commata, & Periodos: quæ dum ordine ſuo apponitur, ſenſum nobis Lectionis oſtendit. Dictæ autem Poſituræ, vel quia Punctis poſitis annotantur; vel quia ibi vox pro intervallo diſtinctionis deponitur. Has Græci θέσεις vocant, Latini Poſituras.* Sunt autem tres: *Media diſtinctio*, & ad Comma refertur; *Subdiſtinctio*, & ad Colon, *Vltima diſtinctio*, ſive *Diſtinctio* (nam ſpecies iſta generis quoque nomen ſibi vindicat,) & ad Periodum. Ordine dicam. Media diſtinctio, quæ etiam Mora, Græcè μέση στιγμὴ, Diomedi definitur, *Levis in continuatione ſenſuum interpoſita diſcretio; legitimæ Diſtinctionis, Subdiſtinctionisq; medium obtinens locum; ita ut nec perfecta in totum, nec omiſſa videatur; ſed ſignificationem immorandi alterius deſideret principium ſenſus; & hoc ſo-*

lummo-

ſummodò ſervat officium, ut breviſſimâ reſpiratione refoveat, & nutriat. Subdiſtinctio Græcè ὑποστιγμή, eidem eſt, *Silentij nota legitimi, quâ pronunciationis terminus, ſenſu manente, ita ſuſpenditur; ut ſtatim id quod ſequitur ſuccedere debeat.* Diſtinctio denique, Græcè τελεία, *Silentij nota conſenſu*(mendum eſt: corrigo, *cum ſenſu*) *terminata.* Sed hunc ordinem invertit Iſidorus, & ad Comma Subdiſtinctionem refert, ad Colon Mediam diſtinctionem, ad Periodum Vltimam.

CAPVT. IV.

Modus notandi quis apud Antiquos. Diomedis, & alter Iſidori locus correctus.

NOTANDI verò ritus alius, & à noſtro olim diverſus. Poſtquam enim notare Docti cœperunt, ſolis & ſingulis punctis, variè locatis, ſingulas partes ſignabant: Comma, puncto in medio verſu; Colon, puncto ſub verſu

ſu; Periodum, puncto ſupra verſum. Locus Diomedis de ſtigmatis hiſce clarum idipſum faciat, ni ſtigmatias ipſe: certè in exemplaribus quæ vidi. Lectio ita concepta eſt: *Diſtinctio quidem eſt appoſitio puncti, non finiti ſenſus, vel pendentis mora, quæ locis ponitur tribus. Summo conſenſum terminat, & vocatur finalis à nobis , à Cræcis τελεία, media cùm reſpirandi ſpatium legenti dat, & dicitur media Græcè μέση cum lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatura ſuſpendit, & vocatur à Græcis ὑποστιγμὴ, à nobis ſubdiſtinctio.* An guttam boni ſenſus videas? Confuſio, mehercules, & tenebræ ſunt; ſine diſtinctione Diſtinctio. Itaque reſcribo, & illuſtro, niſi me conjectura fallat: *Diſtinctio quidem eſt appoſitio puncti; non finiti ſenſus, vel pendentis mora, quæ locis ponitur tribus:* SVMMO, *cùm ſenſum terminat, & vocatur Finalis à nobis, à Græcis τελεία:* MEDIO, *cùm reſpirandi ſpatium legenti dat* (hujuſmodi Comma eſt,) *& dicitur Media, Græcè μέση:* IMO, *cùm lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatura ſuſpendit* (Colon intellige,)

ge,) *& vocatur à Græcis* ὑποστιγμὴ *, à nobis Subdiſtinctio.* Feci ex *conſenſum*, *cùm ſenſum*, divulſis dictionibus, quæ malè coïverant: è *mèdia, medio*, ut ſubintelligas *loco :* vocem *imo* in periodo ſepultam ac intermortuam excitavi, verbis ipſius Diomedis. Is paullopòſt ampliùs notas illas notans, ait, Subdiſtinctionis *punctum ſub verſu poſitum eſſe* : ſed quid hoc aliud, quàm *imum* ? Suggeſtorem etiam Donatum dono, qui pauca, ſed proba : *Diſtinctio eſt, ubi finitur plena ſententia : hujus punctum ad ſummam litteram ponimus. Subdiſtinctio eſt, ubi non multum ſupereſt de ſententiâ, quod tamen neceſſariò mox inferendum ſit: hujus punctum ad* IMAM *litteram ponimus. Media eſt, ubi ferè tantum de ſententiâ ſupereſt, quantum jam diximus; cùm tamen reſpirandum : hujus punctum ad mediam litteram ponimus.* Largus alienis verbis ſum ; & tamen proferre Iſidorum quoque lubet, non ut doctrinam hanc ſtabiliam : diſcrepat enim: ſed ut ſimili eum & agnato mendo, quod in Diomede obrep-

ſerat.

ſerat, liberem. De iiſdem Poſituris ſcribens, *Vbi*, inquit, *in initio pronunciationis necdum plena pars ſenſus eſt, & tamen reſpirare oportet, fit Comma, id eſt particula ſenſus; punctúſque ad unam*(reſcribe *imam*)*litteram ponitur, & vocatur Subdiſtinctio; ab eo, quòd punctum ſubtùs, id eſt ad unam*(denuò reſcribe *imam*) *litteram accipit.* Diſcrimen ecce à nomine eſt, & poſitione puncti. Alioquin Subdiſtinctio dicitur, quia proximè ad Vltimam diſtinctionem accedit. Reliqua videamus. *Vbi autem in ſequentibus jam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliquid ſupereſt de ſententiæ plenitudine, fit Colon, mediámque*(alii imam) *litteram puncto notamus, & Mediam Diſtinctionem*(imò Subdiſtinctionem)*vocamus; quia punctum ad mediam litteram ponimus. Vbi verò jam per gradus pronunciando plenam ſententiæ clauſulam facimus, fit Periodus; punctúmque ad caput litteræ ponimus, & vocatur Diſtinctio, id eſt disjunctio; quia integram ſeparat ſententiam.*

CAPVT V.

Quæ notandi forma hodie obtinuit, in Commate, & Colo. Hoc diviſum in Maius, & Minus.

INTERPVNCTIO iſta ſic olim fuit, ſed fuit: mutata verò aut neglecta, cùm in characteres Latinos Barbaries impetum fecit. Quid mirum? cum veſte fimbria perit. Benè tamen, quòd non ipſum Diſtinctionis corpus, membráque Orationis convulſa & fracta: quæ in aliud ævum reſervata, aliam Notarum formam induerunt; ſive quia prior evanuerat, ſive vitio innovandi. Tædium enim à longiori uſu:

Poſteriórque ferè melior res,

Vt rectè Lucretius. Quæ igitur hoc tempore notandi figuræ, ordine pango, & pungo. *Media diſtinctio*, quæ *Commatis* eſt, dexterâ ſemicirculi parte, ceu virgulâ, ſéparatur & cæditur: hoc modo, idque interdum poſt ſingula

-erba,

verba, undante quaſi lectione; interdum poſt conjuncta, quæ neceſſariò conſtruuntur. *Subdiſtinctionem Colon* habet, & bifariam exprimitur, ut ſpecies ejus diſparamus: *Majus* & *Minus*. Hoc virgulâ & puncto: ſic; in Sejunctis, Oppoſitis, iiſque omnibus quæ Commatis & Coli media, ut ſic dicā, videantur. Iſtud, *Majus* inquam, gemino puncto: ſic: in Similitudinibus, Partitionibus, tum locis aſſignandis, & quæ ſive ratio, ſive uſus ad plenum membrum produxit. Senecam Tragicum ſic interpunctum videas:

Vt alta ventos ſemper excipiunt juga,
Rupémque ſaxis vaſta dirimentem freta;
Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa Fortunæ objacent.

Exempla plura quorſùm accumulo? E Cicerone miſtam Majoris Minorisq; do imaginem: *Eſt enim hæc, Iudices, non ſcripta; ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti; ſed facti:*

non

non inſtituti; ſed imbuti ſumus.

CAPVT VI.

De notâ Periodi. Ratio Majuſculæ, & Minuſculæ. Nonnulla quæ ab Antiquis Diſtinctione, à nobis aliter ſignari.

PERIODVS punctum duntaxat habet, notam illam priſcam; etſi non è more penitùs priſco. Olim enim ad caput litteræ, ſummo loco: hodie ſine ullo ejuſmodi adſpectu, quem exiles ſerpentéſque characteres noſtri excludunt. Nam ſi extra lineam deprimas punctum, aut extollas, volantibus apicibus commiſcetur & fugit. Romani verò, qui grandes illas & quadratas litteras ſine apicibus formabant, differentiam triplicis puncti ſolo loco, ſive (ut proprio vocabulo utar) *Poſiturâ* commodè faciebant. Nos verò dupliciter hodie Diſtinctionem iſtam figuramus: *cum Majuſcula*, & *ſine ea.* Reliquæ enim ora-

orationis partes Minuſculâ ferè du-cuntur. *Cum Majuſculâ* ; quando ſen-tentia penitùs perfecta eſt, nec ſe-quentia proſpicit: *ſine eâ* : quando per-fecta quidem, ſed novum ex ſe ſen-ſum gignit, cui incumbat. atque hu-juſmodi Periodum, inter Colon & Periodum medium quendam locum obtinere dixerim; quem inter Com-ma & Colon, Minus Colon. Pro ex-emplo Salluſtii verba ſunto : *Omnis homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animalibus, ſummâ ope niti decet, ne vi-tam ſilentio tranſigant, veluti pecora; quæ Natura prona, atque ventri obedientia fin-xit. Sed noſtra omnis vis in animo, & cor-pore ſita eſt. animi imperio, corporis ſervi-tio magis utimur. alterum nobis cum Dis, alterum cum belluis commune eſt.* Per-peram autem in hiſce Mediâ diſtin-ctione utare; imò contra Antiquo-rum uſum, qui manifeſtò Diſtingue-bant. In hiſce inquam : nonnulla enim excipio, atque adeò excepi; quæ à plenâ Diſtinctione ad Mediam uſus traduxit. Itaque, quod Diomedes præcipit, *Diſtinguere autem oportet ante*

Simi-

Similitudines, quas Græci παραβολὰς *vocant*; *& ante voces Redditivas, quas illi* ἀνταποδόσεις; *& ſi quando à perſonâ ad perſonam tranſitus fuerit factus* : id verò minimè Diſtinguimus; ſed, quod ſubjicit: *& ante* AVTEM *Conjunctionem, ſiquidem non ex abundanti ponitur*; *& ante Caſum Vocativum*; *& ante* SED, *& ante* QVONIAM, *& ante* TVNC, *ceſſante Redditiva*, *ſed præpoſitis ſuperioribus.* quæ ſi cautio deſit, etiam obligatio plenè diſtinguendi.

CAPVT XII.

De Notis Interrogationis, Emphaſis, & Parentheſis: eas penitùs novas eſſe.

POST Periodum an reſpiro & quieſco? imò verò lorum capio, & paratam hanc inſcendo trigam, *Interrogationis*, *Emphaſis*, *Parentheſis*; ut pauxillulum hoc pulveris, quod reliquum eſt emetiar, & curriculò transferar ad metam. Nova cura, novam

moleſtiam dedit: parco dicere. Veteres enim Interrogationem Diſtinctione; reliquos Affectus Mediâ diſtinctione ſoliti exprimere. Ait enim Diomedes, Diſtinguendum eſſe, *& ante Interrogativam, & poſt Interrogativam.* Idem de Mediâ Diſtinctione: *Cauſſæ hujus Diſtinctionis ſunt: Primùm, ne confundantur, quæ δίκωλα & τρίκωλα ponuntur: Deinde, ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo moveatur affectu, vel indignatione, vel miſeratione collata, vel certè cum quadam arctatione ſermonis; quæ ἐμφατικῶς à Poëtis congeruntur.* Sed antiqua ampliùs non me tenent: nova, aut novata recipiunt, & ipſa (hic rerum curſus eſt) à Poſteris antiquanda. Notare igitur *Interrogationem* puncto & flammula placuit, ad vehementiam ſermonis indicandam: ſic? & nonnunquam ad ſingula pænè verba; nonnunquam ad ſententiæ duntaxat finem. Priſci ſcriptores hoc ſignum à nobis accipiunt. Horatius:

Damnoſa quid non imminuit dies?

Cicero: *Vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidenti-*

dentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? ejicietur? Emphaſis nota, ſub qua Exclamandi, Admirandi, Optandi, ſimiléſque formulas comprehendo, punctum eſt, ſtrictam lineolam, velut aculeum ſuſtinens: hoc modo*! O tempora! ô mores! Parentheſis* fiſſo & divulſo circulo includitur, & à reliquo orationis corpore ſeparatur: ſic ( ) In Cicerone exemplum repræſento: *Vtinam Di immortales feciſſent (pace tuâ Patria dixerim. metuo enim ne ſceleratè dicam in te, quod pro Milone piè) ut P. Clodius non modò viveret; ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem!* Hæc Interpoſitio, ſi locum inter duo Inciſa occupat; Mediam diſtinctionem tollet. Si verò inter duo Membra, Subdiſtinctionem non tollet, ſed protollet ad ſemicirculum finalē. hîc enim & vocis mora poni, & Coli pronunciatio flecti debet; ut ſequentia, nō tanquam à Parentheſi, ſed à Membro diſtinguantur. Si deniq; inter duas Periodos; ipſa, poſitis lunulis, Periodus fiet, Diſtinctionemq; adſumet.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA VI.

DE ERYCIO NOMINE.

Ad Perilluſtrem V.

OCTAVIANVM GHILINVM.

NOMINI tuo ſacrum eſſe meum cupio, OCTAVIANE GHILINE, auguſto anguſtum: & ſic Virtutis tuæ, Doctrinæ, Humanitatis tergeminæ aræ vota appendere Amoris, Obſequii, Cultus. Appendere? imò exſolvere, Amorem Humanitati, Obſequium Doctrinæ, Cultum Virtuti. Singula quid labo-

laborioſo verborum emblemate depingo? In ore civium tuorum magnis titulis glorioſus es: in libris ſcriptiſque immortalis. Inſigne præmium, & à Deo ipſo deſtinatum. Nam ut à felici & perenni fonte lympha ſcaturiens, grato ſe murmure, flexúque ſinuoſo jungit flumini, & prono curſu fertur in mare: ita opera, quæ à fœcundo & heroico animo fluunt, miſcentur Famæ, &, nequicquam reflantibus Invidiæ ventis, properant ad æternitatem. Tu verò quàm luculenter triplici iſto radio reſplendes, Virtutis, Doctrinæ, Humanitatis! ut mihi jam quidem videare in exemplum potiùs pulcherrimæ Triadis, quàm encomium vocandus. Plures te pleno liberóque affectu laudant: utinam imitentur! Lætior profectò tranquilliórque vetus illa Muſa, firmior ſaniórque Iuſtitia, felicior Reſpublica ſit. nunc morbo ævi & culpa, hæc laborat, illa languet, iſta perit. Etiam ingemiſco? nefas: corrigi & laborantis, & languentis, & pereuntis fatum poteſt, cùm te video; ſic pro-

clivem Virtutis ſtudio in Rempublicam, Doctrinæ in Iuſtitiam, Humanitatis in Muſam. Agnoſcunt hoc ipſum Statielli tui, publica veriſſimi elogii voce: *Meliorem aut amœniorem mentis auram vix ulli mortalium à Natura infuſam.* Ita, ita, infuſam à Natura; ſed puro & incorrupto rore per longas ſtemmatis flexuras à Majoribus derivatam. Clari illi pacis belliquc artibus, domi foriſq; cari: quam gloriam, gratiámque ſparſo Liberalitatis ſeminio propagarunt. In privatis aut ſingulis ſatiari divinus ille affectus non poterat: in opida, & populos ſe effudit; Rempublicam, & Religionem ingenti ſumptu erexit ornavitq;. Sed quid? pulchrum meherclè, è veteri & domeſtica memoria referre iſta, quæ publicis etiamnunc oculis & admirationi ſubjecta ſunt: pulchriùs, facere, quæ ad imitationem propoſita ſunt: pulcherrimum, referre ſimul & facere, quæ duplici laude propria ſunt. Tu utrumque Prudentiſſime Vir, qui fugientes alibi Majorum titulos inquiris & inſpicis; ut novo

Vir-

Virtutis colore in priſcam majeſtatem reſtituas. Sic felix magno Pietatis affectu, effectu glorioſus es. Sed felicitatem ſi intueor, tua eſt, animi tui limitibus circumſcripta & clauſa, Fortunæ flore quodam lecta & contenta : ſi verò gloriam, partim tua, partim Majorum eſt; imò hoc ſimul titulo magis tua. Nunc igitur utere fruere felicitate ſimul & gloria, digniſſimus utraque:

Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec ſpes
Improba; ſed medius per honeſta & dulcia limes.

Nomini verò meo de tuo Nomine, ſive felicitatis, ſive gloriæ umbram aliquam concede. Scripſi prope lectulum, ſeptus etiam fuligine & reliquiis morbi.

Caput I.

Nominis Elogia, & Munia. ab utriſque cauſſa ſcriptionis inſinuata.

Inter arbitraria ac fortuita mortalium, Nomen eſt: proprium ſin-

 gulis,

gulis, commune omnibus, quod appellationis cauſſa tamquam vocale noſtri ſignum à Parentibus quiſque accipimus, aut trahimus; & ipſi Liberis damus, aut linquimus, ſolenni Gentium omnium jure.

Οὐ μὲν γὰρ πάμπαν ἀνώνυμος ἐστ' ἀνθρώπων.

Sic nati nudique Parentum vota ordimur Nomine, delicias fovemus: provecti in commercium, & Famam imus; benè, aut malè audimus; æs contrahimus, aut ſolvimus; ſalutem damus, & accipimus. Plura quidem in vita: poſtquam viximus? etiam cineres comitamur Nomine; & ſic vitam ipſam audemus,

—& Famam ſperare ſepulchro.

Itaque qualis vita, tale Nomen cujuſque; & poſt vitam etiam tale; cùm videlicet memoria Virtutum, ſive Scelerum poſthuma manet; in præmium, ſive pœnam. Nam malæ vitæ maculas Nomen excipit, ac diffundit; bonæ decora atque ornamenta explicat, & propagat. Fugias, an captes Famam, veſtigia linquis; & Nomen, velut

velut umbram tui trahis. Solis radii in vitrum illapſi, à vitro colorem vitri ſpargunt: ſic Nominis diffuſi quidam radii ſunt, quos colore candido, ſive atro tingas; ut tu ipſe mente candidus, ſive ater. Virtutem amas? præmium Nomen dabit, & Nomine ipſo,

Si chartæ ſileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris.

Vitiis, & ſilentio indulges?

---pœna gaudebis amara
Nominis inviſi.

Imago animi, vultus; vitæ, Nomen eſt. & quemadmodum vultu, ita Nomine inter ſe mortales diſtant; utroque formoſi, aut fœdi; grati, aut ingrati. Sed velut in bilance animus gloriæ ſtudioſus vacillat, videri à multis, an audiri ac nominari malit. Alius colore, cerâ, ære, lapide, abſentium, ac poſterorum oculos ambit: alius nudo bonóque Nomine ora & aures. Videri pulchrum eſt, pulchrum etiam

---digito monſtrari & dicier hic eſt:

glorioſum verò nominari ac dici, etiam cùm non vidêris. quo magis miror, pleroſque mortalium avidiores

imaginis ſive ſtatuæ, quàm Nominis ſive Famæ eſſe; cùm alienus aliquis imaginis, tuipſe Nominis auctor ſis & artifex: etiam

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries & fuga temporum.

Tranſi ad extremas Antiquitatis lineas; & memoriam magnorum virorum luſtra; tantam virtutem ſola Nomina ſuſtinent. Poſt Alexandrum, quis æri, colori, cœlamini fidat? ecce vetuſtate & Lyſippi æra, & Apellis colores, & Pyrgotelis cœlamina cōſumpta ſunt; quibus formam ſuam ſuperbiſſimus Regum Æternitati conſecrarat. Nunc verò novit Alexandrum, qui audit. Par omninò neceſſitas factum quoque Romanum excepit, & extinxit; illos

---ſtanteis in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroſq; minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoq; carentem:

Quorum tamen Nomina vivunt, imò

vivent,

vivent, quamdiu memoria melioris ævi. Etenim quod Deo Numen, id homini quodammodò Nomen. ſine Numine Deus non eſt; ſine Nomine homo non eſt: ut non immeritò Plinius lib.v. cap.VIII. *Atlantes degeneres humani* vocet *ritus. Nam neque Nominum ullorum inter eos appellatio eſt.* Itaque Deum quẽdam dicas hominem, ſi perennioris auræ particulam Nómine ſortitus eſt. O huc adſpirent ignavæ praviſq; cupidinibus depreſſæ mentes; aut hoc ſaltem ſcriptum meum, ſive inſtitutum ſiniſtro judicio neventilent. Ego profectò, ut bonam Mentem, ſic bonam quoque Famam; & hinc Nomen amo, atque etiam colo; quo bonam Mentem bonæ Famæ inſeram. Publicum quidem jam Nomen eſt, nec ſub Nomine mores erubeſcunt; imò publici mores ſunt, & ſupra invidiam calumniáſque Nomen tollunt. Quid inquiris improbe? ego ipſe vitam moréſque tibi produco: quid ſugillas? ipſe Nomen tibi populóque ſcribo & interpretor, abſit Invidia,

—ma-

—magnum & memorabile Nomen:
quo me quidem
—κάλεον μήτηρ τε πατήρ τε:
& quod inſolens aut peregrinum multis, quia præter vulgarem Orthographiæ normam. Nunc etiam PVTEANVM multi, ERYCIVM pauci norunt: & PVTEANI etiam multi præter me, ERYCII nulli. Eſſe multos, & eſſe nullos patior, imò glorior; ut inter claros multóſque ego quoque numerer, ſed proprio, & vernaculo Virtutis Doctrinæque ſtudio atque Nomine.

CAPVT II.

Quid Nomen, & Quotuplex apud Romanos, reliquáſque Gentes. ERYCIVS, *Nomen, an Prænomen, Romano jure breviter diſputatum. Non eodem tempore Nomina atque Prænomina imponi ſolita.*

NOMEN breviter definio, *Signum ſive Notam cujuſque, propriam & ſingularem,*

gularem cuique, appellationis cauſſa, ab animo, corpore, aut Fortuna ſumptam. In hanc ſententiam pro parte Cicero li. I. De Inventione: *Nomen eſt quod unicuique perſonæ datur, quo ſuo quæque proprio & certo vocabulo appellatur.* Et Feſtus: *Nomen dictum quaſi novimen, quòd notitiam faciat.* Addidi *Ab Animo, Corpore, aut Fortuna:* atque ita triplex potiſſimùm ratio ſive origo. Ad Animum, Virtutes refero, Mores, Orationem, Artes, Studia, Res geſtas. Ad Corpus, Colorem, Formam, Habitũ, Similitudinem. Ad Fortunam, quicquid extra Animum atque Corpus. Nomen olim apud omnes ferè Gentes ſimplex: ſed apud Romanos mox, conſuetudine Albanorum & Sabinorum, neſcio qua luxuria, ſe diffudit, cùm creſcere populus, & familiæ cœperunt: ſive majeſtatis ſtudio, ſive etiam facilitatis; & multiplicari expeditiùs Nomina potuerint, quàm innovari. Nam, ut Varro ſcribit, lib. VIII. De Lingua Latina, *cùm eſſent duo Terentij, aut plures, diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant forſitan ab eo*

ab eo qui manè natus diceretur, ut is Manius eſſet; qui luci, Lucius; qui poſt patris mortē, Poſthumus. Cæterùm ut eſt apud Appianū, *Romanis antiquitùs ſingula Nomina erant, ut cæteris mortalibus. Poſtea bina facta, nec longo pòſt tempore terna: quo magis ex nota aliqua corporis, aut virtute animi agnoſcerentur.* An verò terna? imò quaterna: *Prænomen* (Plutarchus modò *Primum*, modò *Proprium* appellat: Dionyſius *Commune*,) *Nomen*, quod Gentilitium erat, *Cognomen, Agnomen.* Sic Iulius Paris in Epitome de Nominibus: *Quod per proprietatem dicitur hòc diſtat, quia eo gens cognoſcitur; ideóque dicitur Gentilitium. cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, Prænomen; quod pòſt fertur, Cognomen; quod ad ultimum adjicitur, Agnomen eſt.* In noto & illuſtri exemplo rem ordinémque noſce: PVBLIVS CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS. Et tamen ultimum illud Agnomen, rariùs. Prænomen ſæpiùs per delicias uſurpatum; niſi me Iuvenalis fallit:

——Gaudent Prænomine molles Auriculæ.

Præno-

Prænomen,nomen,cognomen ſimul Seneca nominat,lib.IV. de Beneficiis: *Officium ſiquod à Seneca accepiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, ſed nomen. Quoniam ſive prænomen ejus, ſive nomen dixiſſes, ſive cognomen, idem tamen ille eſſet.* Nos verò Belgæ ſimplicia olim, more Gentium; ſed elegantiſſima Nomina habuimus, donec, ſive ambitio, ſive imitatio Romana ritum Patrium violavit. Nam poſtquàm longa armorum laſſitudine in mores & jura Romanorum ceſſimus, etiam Nominibus ſuperbire honeſtum fuit. ac poſtea, ut Sacra, ita Nomina quoque ſumpſimus, ſive miſcuimus, Chriſtiana. Hodie bina ferè ſunt: alterum *Luſtricum*, quo Sacra; alterum *Gentilitium*, quo Stemmata profitemur. De me ago, à me exemplum promam. Luſtricum Erycius, Gentilitium Puteanus eſt. Hoc vetuſtum nobis, & à *Puteo*, incertum qua occaſione, derivatum: etſi ab antiquo Bamelrodii quoque dicti ſimus. Certè apud Venlonenſes, à prima urbis origine, inter pri-

primos (liceat certè) hoc nomine Majores meos floruiſſe veteres memoriæ teſtantur. Et nunc Parens meus IOAN. PVTEANVS optimus honeſtiſſimúſq; vir, publicè inter urbis, privatim inter familiæ primos: felix pariter cum Majoribus, ſi à diuturna bellorum calamitate quietas aliquando fortunas villuláſque poſſideat. Voveo, & ut ipſe in locum ſtatúmque Majorum tranquillum veniam, filióſque ducam. Luſtricum verò, proprium, ſive novum mihi: non enim primum dicam: ideóque dicendum uberiùs; & quia Romanè ſcribo, Romano nunc quoque torno ac cothurno comparandum, Nominis, an Prænominis jure cenſeri debeat. Prænomen dixeris, quia primum, quia proprium ac ſingulare eſt, quia Gentilitio præcedit: ſolum autem Gentilitium priſca appellatione Nomen. In contrariam verò ſententiam te Noſtræ pariter & Antiquæ conſuetudinis ſuffragium vocet. Noſtræ; quia nemo unquam in Prænomen meum inquirat, ſed in Nomen, aut Cognomen. Antiquæ; quia quæ

Luſtri-

Luſtrica. olim Nomina erant: Erycius verò Luſtricum; ergò Nomen. Ita dico, Luſtrica, olim Nomina. Hæc enim Romani die Luſtrico, ſive Nominalium, pueris imponebant: Prænomina autem non niſi poſt pubertatis annos. Sic, De Nominibus quidem Feſtum intelligo: *Luſtrici dies infantium appellantur: puellarum octavus, puerorum nonus; quia his* LVSTRANTVR, *atque* NOMINA IMPONVNTVR. Item Macrobium lib. I. Saturnalium, cap. XVI. *Eſt etiam Nundina Dea, à nono die naſcentium nuncupata, qui Luſtricus dicitur. Eſt autem Luſtricus dies, quo infantes* LVSTRANTVR, *&* NOMEN ACCIPIVNT; *ſed is in maribus nonus, octavus eſt in fœminis.* De Prænominibus verò Paridem in Epitome: *Pueris non priusquam togam virilem ſumerent; puellis non antequam nuberent,* PRÆNOMINA IMPONI *moris fuiſſe, Q. Scævola auctor eſt.* Et cauſſa haud dubiè diſcreti ſic temporis fuit. In Nominibus fortaſſis; ut in familiæ ſuæ ſacra novus homo mox à Natali die adoptaretur. In Prænominibus;

ut novum genus vitæ novo nomine ornaretur. Clarum igitur, ſi Romanum ritum ſequamur, in utramvis iri ſententiam poſſe; támque NOMINIS, quàm PRÆNOMINIS IVRE ERYCIVM CENSERI. Ego verò in vacillantis cauſſæ amabili controverſia, pro jure Nominis ſto & ſentio; morémque vernaculum exemplo Romano tueor. Hi enim ipſi ſeriem iſtam nominum confuderunt, adnotante Paride: *Animadverto in Conſulum faſtis, perplexum uſum Prænominũ & Cognominum.* Et: *Quinetiam quædam Cognomina in Nomen verſa ſunt.* Paullopòſt: *Quæ olim Prænomina fuerunt, nunc Cognomina ſunt.* Itaque, Prænomine ad Antiquitatem relegato, Luſtricum meum, Nomen ſcribo; & hoc jure ERYCIVS ſum: Gentilitium verò, Cognomen; & hoc honore PVTEANVS.

CAPVT III.

ERYCI *Etymologiam, & Orthographiam partim Cimbricam, partim Græcam,*

cam, ſive Latinam eſſe. De Cimbrica accuratè dictum. Arminij memoria. Noſtra nonnulla Nomina correcta.

Sed nunc meipſe propiùs inſpicio, vim inquam Nominis ac naturam. Hæc partim Cimbrica, partim Græca, ſive Latina: ut ipſum fuiſſe Nomen oſtendam, nobis, Græcis, imò Latinis frequenti in uſu. Cimbricam ordior: qua pulcherrima illa noſtratium Nomina Compoſita, & Significativa ſunt: & è Simplicibus, ſive Monoſyllabis (ſimplicia autem omnia noſtra Monoſyllaba) conſtant. Sed priuſquàm ad Erycı explicationem deſcēdo, lubet, pulcherrimæ linguæ & inſtituti cauſſa, propinqua nonnulla Nominum exempla prælibare. Lubet inquam; ſed ut linguæ meæ antiquitatem venerer, Germanica Dialecto. *Gotſen*, nunc Latina ſcriptione *Goſſuinus*, quaſi *Godts ſohn*, id eſt, Dei filius; ex *Godt*, id eſt, Deo, & *Sohn*, id eſt, Filio. Florus lib. iv. cap. xii. hoc Nomine Dacorum Regem *Cotiſonem* appellavit: *Daci montibus inhærent.* Coti-

SONIS *Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, diſcurrere ſolebant, & vicina populari.* Et Horatius lib. III. Carminum, Ode VIII.

Occidit Daci COTISONIS *agmen.*

Cotiſoni autem, ut eſt apud Suetonium, Auguſtus cogitaverat deſpondere Iuliam: vel quemadmodum ei objiciebat Antonius, jam deſponderat. *Gertraudt*, ſive *Gertrudis*, quaſi belli fides, ex *Ger*, id eſt bello, & *trauw*, id eſt fide. *Ger* verò hanc ſignificationem habuit: unde & Galli ſuũ *Guerre*, & Itali *Guerra*. Sanè *Geren* & *Kriegen*, nihil aliud quàm acquirere: acquirimus autem bellando. Vnde quia Germanos ab acquirendo dictos eſſe etiam Latini annotârunt, non poſſum niſi bellum *Ger* interpretari. Milites quidem etiam hodie *Krieger*, & *Kriegsmänner* appellãtur. Sic *Gerardt*, quem Gerardum ſcribimus, è *Ger* & *arth*, id eſt natura, componitur, quaſi indole bellax, ſive bellicoſus: niſi tamen malimus ex *Gier*, id eſt avido, & *arth*, Deſideriúmque explicemus. Sic quidem doctus ille Roterodamus nomen ſuum

ſuum formavit. Etenim priùs patrio more *Gerardus Gerardi* F. poſteà è *Gerardo*, Latina appellatione *Deſiderius*; è *Gerardi* filio *Eraſmus*, Græca fuit appellatus. Quod enim Latinè *Deſidero*, ſive *Cupio*, id Græcè Εράω. *Cunradt*, nunc *Conradus*, Græcè *Thraſibulus*; ex *Kün*, id eſt, audaci, & *Rath*, id eſt, conſilio. *Friderich*, nunc *Fridericus* (hic Cæſari in Commentariis, ut quidam neſcio qua ſollertia interpretantur, *Eporedorix*;) ex *Fride*, id eſt, pace, & *Reich*, id eſt, divite; unde & Itali *Ricco*, *Ricchezza*, & Galli *Riches*, *Richeſſes* dicunt. Hoc Nomen Illuſtriſſimus Cardinalis Borromæus publico Virtutis, Doctrinę, & Dignitatis, radio illuſtrat; quem popularis error, ſive conſuetudo, à Fide *Federicum* ſcribit. *Dieterich*, per contractionem *Dirch*, nunc *Diodorus*, atq; *Theodorus*, ex *Dier*, id eſt pecore, & *Reich*, quaſi Dives pecoris. *Heinrich*, nunc *Henricus*, Cæſari, Interpretum conſenſu, *Ambiorix*, ex *Heim*, id eſt, domo, ſive prædio, & *Reich*. Atque ad hunc denique modum Erich, Belgicè verò (Belga enim hìc ero)

ERYCK, per contractionem ERCK, nunc Latinè ERRICVS aliis, ut & ego RELIQVIAS, PALLADEMQVE meam inſcripſeram: ERICVS aliis, ERYCIVS mihi, ex *Eer*, id eſt, honore, & *Ryck*, quaſi honoris dives. Apud Cæſarem *Orgetorigem* Interpretes *Ereich*, ſive *Erentreich*, ſed laboranti conjectura explicant. Fuit autem, ipſius Cæſaris verbis *apud Helvetios longè nobiliſſimus & ditiſſimus Orgetorix. Is, qui regni cupiditate inductus, conjurationem Nobilitatis fecit, & Civitati perſuaſit, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent.* Patiar tamen magni Scriptoris & Imperatoris cauſſa, *Orgetorigem*, *Erich*; imò & *Eporedorigem*, *Friderich*, & *Ambiorigem*, *Heinrich* eſſe: an ideò dici atque ſcribi? Vſus noſter vetat. Quem ego, in meo quidem Nomine, publicè nunc corrigere auſim, tollere non auſim. Tollam autem, ſi *Orgetoriginis*; corrigam; ſi ERYCI appellationem uſurpem. Itaque corrigo, & uſurpo, & ERICVM in ERYCIVM produco. Si enim à Germanis ad Belgas traduci hoc nomen potuit, cur non & Bel-

Belgico more ſcribi? ſi uſu Romanum, cur non & Terminatio atque inflexio talis? Orthographia verò noſtra in ſecunda ſyllaba ſine Littera Pythagorica non conſtat. Qui Belga non es, Belgicas aures pronunciatione conſule. *Rick* effers? reſpuent: *Ryck?* admittent. Non nego tamen, extra Vernaculæ ditionis fines I ſimplex poſſe tolerari. Sed Terminatio ivs, ipſo jure Romana eſt; & Inflexio reliquos ſic deinceps caſus extendit. Lege nunc Ericivm, & Belgam, Romanúmq; ſimul eſſe intelliges. Quomodò Belgam? fronte & animo. quomodo Romanum? jure & honore: quippe in Civium Patriciorúmque numerum, unà cum univerſa Poſteritate, ſollemni Senatuſconſulto, Anno ∞. iↃciii. adſcriptum. Atque Nomen ipſum, quid aliud, quàm Honoris Omen? Amplector: & Virtutem ipſam, per quam priſca Religio aditum ad limen Honoris aperuit. Nam cui Honor in voto, Virtus in animo ſit neceſſum eſt: & benè facere, quàm benè audire prius eſt. At

 heus

heus tu inquies, ne extra oleas. Litteram y in E R Y C Belgicam eſſe ſatis liquet; & in E R Y C I O retinendam: ſed Terminationem I V S potiùs quàm V S Romanam eſſe, nondum liquet. Ego verò faxo liqueat; utque tuipſe jure Quiritium P. R. De E R Y C O E R Y C I O Q V E pronuncies. Romani Propria olim noſtra, quæ in Secundam Declinationem adoptabāt, promiſc è in I V S & in V S ſolebant terminare. Vide Antiqua monumenta & libros, invenies. Sed ne ſine exemplo loquar, unum, atque inſigne, in paginam produco. *Armin*, ſive *Eermin*, illuſtre olim apud noſtros Nomen, (ne quis longè, aut impropriè ad Mercurium, ſive ἑρμῆν referat,) ex *Ar*, ſive *Eer*: confundi enim hæ interdum Vocales ſolebant: & *Minne*, id eſt Amore, aut certè Amante; quaſi Honoris amor, ſive amans. Latini igitur quomodò expreſſêre? num *Arminum?* nequaquam: *Arminium* conſtanter. Florus lib. IV. cap. XII. *Vt primùm* (Germani) *togas & ſaviora armis jura viderunt, duce* A R M I N I O *arma corripiunt.*

Et

Et Tacitus ſæpiuſculè lib. 1. & 11. Annalium. Fuit Arminius iſte vir ſtrenuus, victoriis clarus, Cheruſcorum Princeps, qui cum Suevis, & Sugambris (hinc originem trahimus) bellum contra Romanos crudeli ſacramento ſumpſerant, *adeò certâ victoriæ ſpe* (verba Flori ſunt) *ut prædam in anteceſſum pactione dividerent. Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sugambri captivos elegerant.* Arminius ipſe tanta poſteà clade Quinctilium Varum fudit; *ut* (cum eodem Floro dicam) *Imperium, quod in littore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret.* Itaque cùm Erycius Arminiusq; Compoſitione & Significatione adfinia ſint; cur imparia aut diſſimilia Terminatione? Ac ſanè ſi Latinius aut venuſtius triſyllabum fuiſſet, non *Arminii*, ſed *Armini* appellationem Cheruſcus ille admiſiſſet: quippe, qui & Nominis curioſus (ut magni ſolent animi Famæq; viri,) & Latini ſermonis uſu peritus: quemadmodum Tacitus lib. 11. Annalium teſtatur: *Cernebatur contrà minitabundus Arminius, prœliúmque denuncians.*

nam pleraque Latino ſermone interjaciebat, ut qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet. Et cur non ego pariter IVS Latinum Nominis ſcribundi ſumam; cùm in Romanis, non quidem Caſtris, ſed Libris verſer? At enim nequid contra morem ſeculi aut uſum. Quem morem? quem uſum? Quin hoc potiùs facio; & ut proprium magis Nomen habeam, nemini hodiè, quibuſdam olim uſurpatum. Adde, grandiora Nomina, etiam priſcorum perſuaſione, majeſtatis pluſculum præferre. Sic igitur etiam vulgata illa, *Fredericum, Diodorum, Henricum,* ſi juris mei ſint, in *Frederycium, Dierycium, Henrycium* commutem.

CAPVT IV.

ERYCI Originatio Græca, ſive Latina. Videri ab Eryce deduci; unde Mons, Vrbs, & Venus Erycina. hanc Siculam, atque etiam Romanam fuiſſe. A Diis pleraque Nomina tracta. Eryx, Deus.

ATQVE

Atqve hæc natura & origo Cimbrica. Græcam, ſive Latinam ſubnecto. Fuit enim *Erycius* apud utramque hanc Gentem. Sed origo remota, non niſi face & viatico indaganda. Trahit errantis calami impetum, an diſtrahit? ille Veneris & Butæ filius, ille inquam

----acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo:

Vera tamen mater Lycaſte fuit, ob formam nomine Veneris donata. Apollodorus Patrem Neptunum facit lib. II. De Orig. Deor. Ἔρυξ ὃ ἦν. ποσειδῶνος παῖς. Ab Eryce igitur Mons, & à monte Vrbs ipſa *Eryx*, & Templum Veneris *Erycinæ*. Atque Veneri mons iſte ſacer. Solinus de Syracuſis ſcribens: *Eminet montibus Aetna, & Eryce. Vulcano Aetna ſacer eſt, Eryx Veneri.* Sed de Monte, Vrbe, Templo fusè Polybius lib. I. Strabo lib. VI. aliique. Cicero tamen Montem, ab *Eryce* inibi ſepulto, *Erycum* nominat, in Verrina II. *Non enim Quæſtor petit (ut eſt conſuetudo) is qui Erycum montem obtinebat.*

bat. Iterùm in eadem: *Hoc de homine, ac de hujus bonis, etiam in Eryco monte monumentum tuorum flagitiorum, crudelitatisq́; poſuiſti.* Sed quid ſi reponas, *Erycium*, & *Erycio*? aut certè *Erycinum*, & *Erycino*? ut apud Virgilium:

Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Apud eumdem Litus etiam *Erycinum* eſt:

Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes?

Et populi apud Plinium, lib. 3. cap. 8. leguntur *Erycnii*, Siciliæ ſtipendiarii, qui haud dubiè ERYCII, aut Erycini ſcribendi. Adjungo Veneris ipſius Epitheton, quod ab *Eryce* filio mater traxit, & dicta *Erycina*. Cicero in Verrina II. *Heredem ſtatuas juſſum eſſe in foro ponere; niſi poſuiſſet, Veneri Erycinæ eſſe multatum.* Et mox: *Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinæ.* Sæpiúſque in iiſdem Verrinis. Seneca in Hippolyto:

Natum per omnes ſcilicet terras vagum

Eryci-

Erycina mittit.

Ovidius lib.3. Amorum, Elegia x.

Quid geminas Erycina meos ſine fine dolores?

Horatius lib.1. Ode 2.

Sive tu mavis Erycina ridens,
Quam Iocus circumvolat, & Cupido.

Niſi tamen in Poetarum hiſce locis Romana quædam *Erycina* potiùs intelligenda, cujus Templum ad portam Collinam fuiſſe. Strabo ſcribit, lib.vi. ubi & ſimulacrum, & porticum nominat. Imò ipſum illud ſimulacrum Siculum è colle *Erycino* Romam tranſlatum, & Meretricibus peculiariter cultum, Nomen portæ Collinæ dedit. Sic Ovidius lib.iv. Faſtorum, qui cultum Hiſtoriámq; *Erycinæ* Romanæ graphicè repræſentat.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.
Poſcite thure dato formam, populíq; favorem;
Poſcite blanditias, dignáque verba loco.
Cúmque ſua Dominæ date grata Siſymbria Myrto,

Tex-

Textáque compoſita juncea vincla Roſa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: à Siculo Nomina Colle tenet.
Vtq; Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit Eryx:
Carmine vivacis Venus eſt tranſlata Sibyllæ,
Inq; ſuæ ſtirpis maluit urbe coli.

Vt igitur ab *Eryce*, Mons, Vrbs, & ipſa Venus: ita fortaſſe ERYCIVS, aut ab aliquo horum. A Diis certè non pauca olim Nomina ſumpta, & excellentiora: nec infrequenter noſtra illa Terminatione in IVS. Ab Apolline *Apollonius*, à Phœbo *Phœbadius*, à Pallade *Palladius*, à Minerva *Minervius*, ab Hercule *Heraclius*, à Sole, ſive ἡλίῳ *Helius*. *Eryx* verò, aut Deus, aut tanquam Deus cultus. Apud Vergilium:

--Vbi nunc nobis DEVS *ille magiſter,*
Nequidquam memoratus Eryx?

Apud eumdem Æneas, è Sicilia ſolvens,

Tres Eryci vitulos, & tempeſtatibus agnam
Cædere deinde jubet, ſolviq; ex ordine funem.

Plura

Plura de *Eryce* Pauſanias in Laconicis, Lucanus, ne Poëtam omittam, lib. iv. & alii.

Capvt V.

Alia ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος Derivatio. Deliciæ quædam Nominum ab eodem Deo. Erotij memoria. Erucius, & Ἐρύκιος: item ratio utriuſque. Eruccius, & Eruccia. Erucæ natura.

Qvid ſi tamen amabile magis Nomen faciamus, & vicino gradu ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος, id eſt, *Amore*, derivemus? Sinat Venus, nec repugnet Amor; qui delicias ſuas Nominibus quoque infuderunt. Viros reſpicio? Græcè quidem manifeſtum eſt, & *Eros* ipſe ſæpiùs nominatur. Latinè verò, *Venerius*, *Venuſtus*, *Pulcher*, *Gratus*, *Gratianus*, *Carus*, *Amatus*, *Amandus*, *Amantius*, & plures, partim magni, partim Conſulares fuêre. Feminas? *Veneriam* aliàs, & Latinè alias: *Amandam*, *Amabilem*, *Blandam* in eleganti mar-

mere

more, heſternâ die, cum Perilluſtri Ludovico Lopes Gallo, Toparcha Vormiſellæ, Belgarum & Amicorum meorum delicio, notavi.

P. VETTIVS
GALLVS
VI. VIR. IVN
PONTIF
SIBI. ET
AMANDÆ
AMABILI
BLANDÆ
LIBERT
T P I

Sed ne intra Latium muliebria hæc exempla reſtringam, *Philematium* diminutivè à ſuavio Plautus, ſive finxit, ſive, quod reor, è Græco uſu in Scenam Latinam introduxit. Et φίλημα ipſum, ſive *Suavium* in Nomina & Amores Latinos Lucretius, lib. IV.

Simula, Σιλήνη *ac Satyr'ſt*; *labioſa*, φίλημα.

Stephanium idem Plautus à corona, id eſt, capitis, imò totius corporis ornamento, ſive malis, veſte muliebri. Ajunt enim Græci Στεφάνην eſſe περικεφα-

φαλιάς εἶδος, καὶ κόσμον γυναικεῖον. *Spira genus,& mundum muliebrem*, ſive *ornamentum*. Et congruenter Vergilius in Ceiri:

> *Frigidulam injecta circumdat veſte puellam,*
> *Quæ prius in tenui ſteterat ſuccincta Corona.*

Niſi tamen hîc malis crocota. Sic igitur & à Venere Stephanium propriè eſſe, Heſiodus innuit, qui eandem, Ευςέφανον Κυθέρειαν nominat. Atque totum illum mundum è Gynæceo, Venereum eſſe, delicatiores oculi ſciunt. In Plauto ſum, &, ut vides, inter mulieres; ſed caſtè. ego meam habeo, meámque amo, quam bona caſtáque Iuno feliciſſimo connubio bonam caſtámque mihi è *Turrianis* Inſubribus junxit. Nunc quis vetat eodem ſocco *Erotium*(In Lapidibus etiam *Erotis* eſt) inducere, ab Amore ipſo dictam? Sono, & ſcriptione vicinus ſum: ac pænè ſine litura *Erycium* in *Erotium* mutes. Sed habeat res ſuas *Erotium* : prandeat, potet, cubet cum Menæchmo ſuo, Amore ſuo; non invideo. corrum-

pi nomen meum Amoris cauſſa non ſino. Et tamen *Erotius* olim fuit (quemadmodum & *Eros*) quem Inſcriptiones Antiquæ, à Clariſſimo Iano Grutero ad vitam & æternitatem revocatæ loquuntur. Atque *Erotius* Sacerdos fuit, & olim apud Lactoracenſes Tauropolium fieri curavit. Excerpo clauſulã: CVRANTIB. M. EROTIO ET. FESTO. CANINIO. SACERD. Et alius apud eoſdem in eadem pænè verba de eodem *Erotio* lapis. Sed habeat res ſuas quoque *Erotius*: ego *Erycius* ſum: & patiar tamen à Latinis *Erucium* me dici. Ita, à Latinis, qui,ut ſuum Nomen facerent, Græcam Vocalem in vernaculam tranſmutarunt. Sic *Purrhum*, & *Fruges* ſemper Ennius: etſi Poſteriores, adnotante ipſo Cicerone, *Pyrrhum*, & *Phryges*. Apud Nonium in Inibi, *Pacuvius Iliona: Profectò aut inibi eſt, aut jam potiuntur Frugum*, id eſt, *Phrygum*. Ipſe *Eryx* eadem Vocali *Erux* Latinè conſpicitur in nummo C. Conſidiani Noniani, quem Antuerpiæ apud Clariſſimum *Abrahamum Ortelium* ante octennium vidi.

Atque

Atque Græci deinde, littera Latina decepti, ex *Erucio* Ἐρούκιον fecêre. Ita namque ſolent, V longam, tam Vocalem, quàm Conſonantem, in ου diphthongum transformare. Vocalem, verbi cauſſa, cùm *Tullium* Τούλλιον: Conſonantem, cùm *Valerium* Οὐαλέριον ſcribunt. Iterùm Latini C. noſtrum in viro, atque etiam femina duplicarunt; & *Eruccium*, *Erucciámque*, ſcripſerunt: niſi Inſcriptio mendoſa, quæ Romæ.

ERVCCIÆ. GRAPTENI
ET. PATRONO. EIVS
M. ERVCCIO. LVCRONI
ET. FILIORVM. EIVS
PLÆTORIVS. MAXIMVS
POSVIT
CONIVGI. SVÆ
D. B. M.

Quòd ſi Græci V longa non decepti, *Erucius* Latinum Nomen eſt, in medio Latio natum. ſed qua origine aut ſtirpe? An ab *Eruca*? Erycina quidem, ſive ſalax hæc herba, Venereúmque neſcio quid habet. Columella lib. x.

Iámque Eruca ſalax fœcundo provenit horto.

Plinius lib. xix. cap. 8. *Eruca præcipuè frigorum contemptrix, diverſa eſt quàm Lactuca naturæ, conciliatrix Veneris.* Et ſæpiùs. Iſidorus in Gloſſario: *Eruca quaſi Vrica, quòd ignitæ ſit virtutis, & in cibum ſæpè ſumpta, Veneris incendium movet. Hujus ſpecies duæ; quarum altera uſualis; altera agreſtis, acrioris virtutis: utraque tamen Veneris commovens uſum.* Ipſe Priapus, in Catalectis:

Nam quamvis videar ſatis paratus,
Erucarum opus eſt decem maniplis.

Atque eidem Deo herba hæc ſacra, & propter eum ſerebatur. Columella ſignato libro:

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos Eruca maritos.

Capvt VI.

Appellativè Ericium inveniri. Cæſar correctus, aut explicatus. Ericius, Ἐχῖνος. *Erice, frutex.*

Ervcivm erui: quid ſi *Ericium* quoque? Latinè, atque etiam

Græcè

Græcè fiet, Animi, Nominis, Eruditionis cauſſa. Latini inter inſtrumenta bellica *Ericium* habent. Cæſar meminit lib. 3. de Bello Civili: *Erat objectus portis Ericius.* Et mox: *Sed tamen noſtri virtute vicerunt; exciſoq; Ericio, primò in majora caſtra, pòſt etiam in caſtellum, quod erat incluſum majoribus caſtris, irruperunt.* Emendare poſſim: *Erat objectum portis Hercium*: &, *Exciſoque Hercio.* Ἕρκιον enim apud Græcos *ſeptum*: ut velut catarrhacta aliqua intelligatur objecta. Fuit & *Herceus Iupiter*, qui, ut Feſtus ſcribit, *intra conſeptum domus cujuſque colebatur: quem etiam Penetralem appellabant.* Sed magis eſt ut retineam vulgatam lectionem; & per *Ericium* inſtrumentum aliquod, ſive machinam intelligam, ab *Erigendo* dictam, & *Ericii* animalis figura quadam pinnatam atque criſpam; qua portarum aditus munirentur. Ecce qui oppugnant, *Arietes* ſuos admovent, & nominant: ſic qui propugnant, *Ericios* fortaſsè erigere atque objicere ſoleant. Eſt autem *Ericius*, Echinus terreſtris. Gloſſæ veteres:

Ericius, Ἐχῖνος. Explicatiùs Iſidorus: *Ericius, animal ſpinis coopertum, quod exinde dicitur nominatum, eo quòd Erigit ſe quando ſpinis ſuis clauditur, quibus undique protectus eſt contra inſidias. Nam ſtatim ut aliquid ſenſerit, primùm ſe ſubrigit; atque in globum converſus, in ſua ſe arma recolligit.* Facio ipſe, & Invidiæ petulantia irritatus, in Modeſtiam meam, ſecuriſſima arma, me recolligo: an cum Horatio dicam? *mea Virtute me involvo*, & Erigo. Sed in contumelioſos nimiùm Arietes, qui palàm & Nomen, & Modeſtiam meam oppugnant & quatiunt, jure Litterarum Latinè *Ericius*, ſive *Erectus*, & Anticatapulta ſum. Græcè verò honeſtum hunc quoque terrorem meum ſignifico & commonſtro, atque maligna liventium vota machináſque Ἐρίκω, id eſt, *ſeco*, ſive *ſcindo*. Poſſit tamen ad Ἐρίκην Origo hæc referri. *Ericen* autem, ſcribente Plinio, lib. XXIV. cap. IX. *Græci vocant fruticem non multùm à Myrice differentem; colore Roriſmarini, & penè folio. hoc adverſari ſerpentibus tradunt.* Et lib. 13. cap. XX. ejuſdem antidoti

tidoti meminit: *In Aſia & Græcia naſcuntur frutices Epipactis, quam alii Elleborinen vocant, parvis foliis, quæ pota contra venena proſunt: ſicut Erices contra ſerpentes.* Et alibi ab *Erice* idem Plinius *Mel Ericæum* nominat. Iam verò quemadmodum ſcriptura: ita etiam virtute Mons *Eryx*, & Frutex *Erice* affines. Nam & *Erycem* Polybius ſcribit *maritimis auris amœnè expoſitum, & mortiferarum ferarum omninò expertem.* Siue igitur à machina *Ericio*, atque animali, ſive à frutice *Erice* Proprium derives, magiſtram Antiquitatem habes. Nam à machinis, animalibus, fruticibus plures olim dicti.

Capvt VII.

Apud varias Gentes Erycios fuiſſe. Eryc Rex Gothorum, Suionúmque. Alius ex iisdem in Chriſtianos faſtos relatus. Ἐρύκιος Poëta. Erycius Orator. Erycius Valens. Erycianus Libertus. Item Erycius Clarus Præfectus Vrbis, & bis Conſul. hujus memoria breviter collecta.

Sed nunc de Nomine ipſo ſatis: qui Nomine fuerint, per Antiquitatis ſpatia inveſtigo. Fuerunt autem è noſtris, Græcis, Latinis. Turbam ne exſpectes, unum alterúmque è ſingulis producam in Honoris & Memoriæ ſcenam, ut ſaltem fuiſſe oſtendam. E noſtris (noſtros autem voco, qui Lingua noſtra uſi) *Eryc* Rex Gothorum, Suionúmque fuit, juſtus & clemens, circa annum (fides Hiſtoricis ſit) à Diluvio CCCLVII. ad Regnum evectus. Hic Magogi ex filio Gogo, ſive Gothoro nepos, vel, ut alii, abnepos. Magogus autem teſte Ioſepho lib. I. cap. XI. Noachi ex filio Iapheto nepos, Scythicæ Gentis pater & conditor. Fuit & *Eryck* longo ibidem intervallo Rex, quem Chriſtiani Faſti in numerum Divorum receperunt. Et hodie in eadem Gente, imò noſtra, velut ab antiqua origine frequens hoc Nomen. E Græcis Poëta Ἐρύκιος, cujus Epigrammata aliquot exſtant, per Anthologiam ſparſa. E Latinis denique Syllæ temporibus, C. *Erycius* Orator fuit; adverſus quem Cicero

Sext.

Sext. Roſcium Amerinum defendit. Ait enim ipſe: *Criminis confictionem accuſator Erycius ſuſcepit.* Et paullo poſt: *Quibus tandem te* C. *Eryci, argumentis accuſatorem cenſes uti oportere?* Sæpiúſque eumdem nominat. Et tempore Veſpaſiani, M. *Erucius Valens*, cujus memoria in tabula tribus Succuſſanæ. Item ab *Erucio* Libertum *Erucianum* invenio. In veteri inſcriptione, Romæ.

DOMITIÆ
AVGVRINÆ
C ERVCIANVS THESEVS
ET VOLVSIA SEVERA
ET ANTHEMVSIVS AVG LIB

Fuit verò clarus Litteris, Virtutibus, Honoribus Vir, *Sext. Erycius Clarus*, cujus ſparſam memoriam, aut incognitam breviter hîc colligo, viri, atque Nominis cauſſa. Quando natus, non ſatis diſtinguo: mortuus quidem ſub Severo Imperatore. qui, ut Spartianus ſcribit, *Erycium occidit, ſine cauſſæ dictione.* Occidit inquam *Erycium*, quo Conſule ipſe natus. Verba ejuſdem Spartiani ſunt: *Ipſe*, Severus, *natus eſt*

Erycio Claro I I. *&* *Severo Coſs.* Claudio ſcilicet Severo, quem, Capitolino referente, *velut Peripateticæ ſtudioſum Marcus Antoninus Philoſophus audivit.* In veteri Pæaniſtarum Inſcriptione, quæ Romæ, horum Conſulum memoria durat, quam excerpo:

ϹƐΞΤω ƐΡΟΥΚΙω ΚΛΑΡω
Β. ΓΝƐω ΚΛΑΥΔΙω
ϹƐΒΗΡω ΚωϹ.

Bis igitur Conſul fuit *Erycius*: ſed manu, & mente ſtrenuus; ut Nomine, ſic Militia *Clarus*. Nam bello Parthico cum Trajano interfuit, onus expeditionis Legatus ſuſtinuit. Xiphilinus in Epitome de Trajano: Εάλω ἡ καὶ ἡ σελέυκια πρός τε Ερυκίου Κλάρου, καὶ πρὸς Ιουλίου Αλεξάνδρου ὑποστρατηγῶν, καὶ ἐκαύθη. *Seleucia ab Erycio Claro, & Iulio Alexandro Legatis capta & incenſa.* Eundem *Erycium* Vrbs Præfectum habuit, ſed dignum iſto munere, ob Virtutem & Doctrinam. A. Gellius lib. 13. cap. XVI. *Erycius Clarus, qui Præfectus Vrbi, & bis Conſul fuit, vir morum litterarum-*

rarúmque veterum ſtudioſiſſimus, ad Sulpitium Apollinarem ſcripſit, hominem memoriæ noſtræ doctiſſimum, quærere ſeſe & petere, ut ſibi reſcriberet; quænam eſſet eorum verborum ſententia. Scilicet: *Inter os & offam multum intervenire poſſe.* quæ cùm in Oratione M. Catonis Cenſorii *De Aedilibus vitio creatis* vir accuratiſſimus legiſſet; nec ſatis proverbii ſenſum caperet, doceri ab Apollinari voluit; & doctus eſt. quis? Vir Conſularis, & Præfectus Vrbis. Videamus: *Tum Apollinaris nobis præſentibus (nam id temporis ego adoleſcens Romæ ſectabar eum, diſcendi gratia) reſcripſit Claro, ut viro erudito, breviſſimè, Vetus eſſe proverbium, Inter os & offam, idem ſignificans quod Græcus ille παροιμιώδης verſus:*

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου.

Iterùm A. Gellius lib. VI. cap. VI. *Audivi Apollinarem Sulpitium, quem inprimis ſectabar, cùm de Iure Augurum quæreretur, & mentio Præpetum avium facta eſſet, L. Claro, Præfecto Vrbis dicere, Præpetes ſibi videri, quas Homerus τανυπτέρυγας appellaverit.* Reſcribi autem hic debere *Erycio*

nitendum eſt mihi, ut talem eum judicent omnes, qualem eſſe Princeps mihi credidit. quæ cauſſa ſi ſtudium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probiſſimum, eruditiſſimum, omni denique laude digniſſimum, & quidem cum tota domo. Nam Pater ejus Erycius Clarus, vir ſanctus, antiquus, diſertus, atque in agendis cauſſis exercitatus, quas ſumma fide, pari conſtantia, nec verecundia minori defendit. Habet Avunculum C. Septitium, quo nihil verius, nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, & tamen æqualiter amant: omnibus nunc ego in uno referre gratiam poſſum. Itaque prendo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationéſque circumeo: quantúmque vel auctoritate, vel gratia valeam, precibus experior. Te quoque obſecro, ut aliquam oneris mei partem ſuſcipere tanti putes. Reddam vicem, ſi repoſces: reddam, & ſi non repoſces. Diligeris, coleris, frequentaris: oſtende modò velle te, nec deerunt qui quod tu velis cupiant. Vale: & tu quoque mi Lector, cui hæc quæcumque ſcripſi, non tam laudata, quàm excuſata eſſe cupio. Nam de nomine uno, & propepomodum

dum ignoto, quid potiſſimùm dici potuit? Vivendo id potiùs, quàm dicendo illuſtrari debet; moribus quàm ſcriptis. Deus faciat, honeſtæ mentis deſiderium augeat, & doctrinæ, quæ ad honeſtam mentem, verámq; tranquillitatem ducat. Sic quidem virtutis fiducia vetus illud exprimemus:

---Et nos aliquod Noménque Decúſque Geſſimus.

ERY-

ERYCI PUTEANI

AMOENITATUM HUMANARUM

DIATRIBA VII. DE LACONISMO.

Ad Illuſtriſ. & Excellentiſ. DUCEM ARSCHOTANUM.

DIGNUM *imperio Principem non* VIRTUS *aut* FORTUNA *tantùm, ſed* SAPIENTIA *&* FACUNDIA *à populo ſecernunt, magnæ & divinæ dotes. Sapientiæ interpres Facundia eſt: ſed illa fida, ſtricta, & vibrantium velut ſententiarum aculeis inſtructa; quam Spartani olim, Lycurgi inſtituto, coluerunt; & tuam eſſe, prædicare ego audeo; mirari, ſiquis conditionis tuæ igna-*

ignarus. In Brevitate auctoritas quædã & majeſtas eſt : utraq; hæc in Principe, cujus verba velut dogmata ſunt, cũ imperio gravida, cum libertate auguſta, cũ humanitate amœna. Tua hujuſmodi: nec mirum; cùm & Virtutem, & Fortunam, & Sapientiam ſequantur. Habe igitur, non alienũ à magnitudine tua hanc iſtam DE LACONISMO *Diatribam meam; etſi parvam, aut potiùs exilẽ. Sic enim eſſe debuit, ne ab argumento ſcriptio abiret, pondere non mole æſtimanda. Non librum, ſed libellum vides; & quem vel pugno concludas, ac circumferas. Sic & ſceptrum ſolet; illud trabali nuſquam onere, ſed auro cubitali inclytum & à Iove dium. Ego qualis oratio debeat eſſe Principis hic præſcripſi: tuam,* O PRINCEPS, *uſurpavi. Ampliùs fuſiúſque qui laudare* LACONISMVM *velit, violet; qui defendere, traducat. Verborum ſyrmata abeſſe ab hac veſte fas ſit, undas ab hoc rivo. Alibi ſi grandior aut copioſior eſſe potui; hîc ne quidem debui. De brevitate optimus ſermo qui breviſſimus. Quinetiam in magno corpore non plus ingenij, ſed molis : ſic in libro iſto, opere, oratione. Vt addam quoque, non cautibus ſaxiſq; ſed*

ſed lapillis & margaritis pretium à natura, ſive opinione, aſſignatum: medicam & ſalutarem opem, non arboribus, & Silvani, ut ſic dicam, familiæ; ſed herbis, minutaq; progerminantis telluris proli. Ad hunc planè modum Laconismvs *eſt; nec magnitudine tua dignus, niſi ipſe careat. Illam verò haud vulgi more, ſcriptione iſta veneror. Principem eſſe, magnum alii cenſeant: ego, avitam gloriam pari animo ac virtute fulcire: ego, tuo exemplo Bonum, Humanum, Doctum eſſe, & honeſtis artibus favere. Vt igitur deberi tibi hoc munuſculum exiſtimes, imò ut benigna admittas manu, rogo: fortaſſis victurum, ſi admittes.*

IN Porticu Scholæ Palatinæ, dimiſſo auditorio, ſpatiabar, & venit ad me ſermonis cauſſa, Io. Ambrosivs Biffivs, ille meus; imò ille ego, in quo animi ingeniiq́ue mei imaginē repperi, veris lineis, veris umbris. Ivi in amplexū: &, Quid iſtud? inquā, Biffi, dividui ſumus? Vt Sol iſte turbato cælo: ſic tu mihi, conſpicuus

per intervalla. Cum pueris dicam, veteri plauſu, ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε. *Exorere ô care Sol.* BIFFIVS leni voce, Ne mirare, inquit, PVTEANE. curæ, velut nubes ſunt: ſi non involvunt, certè adumbrant. Animus tamen in alto, & ſereno ſemper; & per velum tenebrantis auræ liquidi deſiderii ad te lumen perenne mittit. Nunc verò, quia in ſudo paulliſper res meæ, & induciæ vacillantis Fortunæ ſunt, vultum ipſum quî celem aut ſubtraham? Præſens præſentem habes: fruere. Ego blandior, Ambulemus, inquàm: & duc quò voles, etiam quò noles, ſequar. Quid ſi ad Arcem, & ruinas Iovianas; ut in Sole & aprico diſſeramus? Gratus amœnúſque ille tepor, hac anni, imò hac diei hora. At BIFFIVS capite quaſſans, Eum fugio, inquit, qui me fugit, jámque

---- *creſcenteis decedens duplicat umbras.*

Placet ambulatio, ſed matutina, cùm Phœbi purpuram Muſæ colligunt, & *punicantibus*, cum Apulejo dicam, *phaleris Aurora roſeum quatit lacertum.* Nunc

ſedea-

ſedeamus potiùs,& in hac umbra: erro: in hac luce diſſeramus, Themidis atque Suadæ. Quid mœnia, rura, rivos cogitas? tuum hoc regnum eſt, tua Schola, quam Libro, atque etiam Inſcriptione illuſtraſti. Hæc in Vrbis, ille in Orbis totius oculis eſt: & ſic tu ipſe, præfiſcinè dixerim, clara ingenii & induſtriæ face. Ego concuſſa manu, Mitte, inquam, Amoris iſtæ voces, aut potiùs illecebræ ſunt, ad quas meæ certè aures clauſæ. Quid enim? in oculis ego? ita; ſed torvis quorundam ac retortis. Biffivs velut caſtigans, Quorundam? ait: imò & meis, niſi ſermonem iſtum, & priùs animum corrigis, querulum ac mollem. Vltimum virtutis votum eſt, melioribus placere: velle omnibus? hoc verò eſt, mare pigrum, & ventos inanimes colligare. In tanta urbe & populo, *hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint, quàm imitari; & quorum ſimilitudinem deſperent, eorum affectent ſimultatem: ſcilicet, ut qui ſuo nomine obſcuri ſunt, aliorum innoteſcant.* Quid tamen eſt? ut apes cùm pun-

gunt,ſtimulum linquunt & emoriuntur: ſic iſti, qui te rodunt, mox tabeſcent livore ſuo & ſilebunt. Tu quoque ſile ac contemne, & ſpretis neſcio quibus bullis & bulgis hominum, ſub fuco & creta latentium, in magnorum doctorúmque Amicitia acquieſce. Dixerat, & ego excipiens, Acris iſta, & præter morem increpatiò eſt, inquam. Obſecrò, tam mite pectus quis exacuit? Illè verò, Rogas? inquit: tu ipſe PVTEANE, tu, tu, ut noctuam imiter, qui ſic moveris levi aura, & reflectis identidem ad plebejum aliquem ſibilum aut ſuſurrum. Quin potius ad mediæ Comœdiæ ſcriptorem Philemonem:

Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
Ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.

Suavius nihil, nec Muſis aptius,
Conviciantem quàm poteſſe perpeti.

Siquis doctior doctrinæ cauſſa appellaverit, reſpondeto: ingenium, non affectum exerceto. In Muſarum palęſtra vincaris, an vincas, ſi optio detur, juxtà putes. hîc honoris pluſculum, illic fructus eſt. Diſcit qui vincitur, docet

docet qui vincit: alter ſine faſtu Magiſtri, alter ſine rubore Diſcipuli partes ſuſtentans. O vani, qui umbra doctrinæ tumidi, extra errorem omnem ſe ponunt, Cenſores omnium; & lingua aut ſtilo ubique prœliantur! Sibi magni, non ad fructum, ſed oſtentationem ſapiunt; & cùm rem non poſſunt, auctorem ipſum perſequuntur. Noſti Pacuvianum illud: *Canis*

Quando eſt percuſſa lapide, non tam illum appetit
Qui ſe icit, quàm illum ipſum lapidem quo icta eſt petit:

Sic iſti. Cave, fuge, quantum potes: nec minùs modeſtia, quàm doctrina Bonam Famam para, Amicos ſerva. Erectus his vocibus, & jam in reſponſum effuſus, Paro, ſervo, mi Biffi, inquio. Sed bonos, ſed veros, & quorum ſine perſona mens eſt. etiam dico? Rem ipſam in exemplum promo. Illo hærente & mirante quorsùm evaderem, Henricum Farnesium noſti? inquam. Quid ni? inquit Biffius, carum tibi, & Muſis nomen. Huic, inquio, tanquam ad præſcripti

tui normam, PRO LACONISMO RESPONDI. Impugnavit enim ENCOMIVM meum, ſubtiliter, pro ingenio; ſuaviter, pro affectu: ut novo ſeminio propagaſſe veteris Amicitiæ radices videatur. Equidem in uno homine Amicum & Antagoniſtam (ſi tamen cadere hoc nomen in Amicum poteſt) repperi: & uterque factus, ita temperavi ἀπολογήματος acrimoniam, ſive potiùs γλυκυπικρίαν, ne læderem qui amaret, neu fugerem qui oppugnaret. Sed repentina, & paucarum horarum iſta ſcriptio eſt: nec ſcio an ſic temerè proferenda. BIFFIVS contracta fronte, An apud me recuſes? inquit. Profer, profer, & quod occaſio donat otium, cupienti impende. Si loquamur, ſermo quoque repentinus ſit. Ingenium tuum nunc malo, quàm induſtriam ſcire. Divinæ mentis igniculi in nobis ſunt, & amœniùs ſua ſponte ſurgunt. A facili utero pulchrior infans proſilit: & ab ingenio ſcriptio, cùm ſine tædio aut cruciatu parturis. Sæpè labor invitam Naturam trahit, & mutilat. fugit

venu-

venuſtas, cùm quæritur. Ridere ſuopte Genio Gratiæ volunt, in omni non ſermone tantùm, ſed actione. Atque audin'? imperium augeo, & ab ipſo nunc volo Encomio ordiaris. Sine fructu, atque adeò ſine laude mihi defendas Laconismum, niſi priùs laudes. Feciſti publicè: hoc age, ut interfuiſſe videar. Dixerat, ſimúlque manum injicit, & prenſum me ducit ad veſtibulum ipſum Scholæ. Ego renitens, Quid, inquam, iterùm ad ſuggeſtum? κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις. *Poſt feſtum veniſti.* At enim, inquit ille, Et hæc Suadæ ſacra ſunt, hîc peragenda. Dum ingredimur, ecce confuſam neſcio quam turbam videmus hominum plebejorum, qui ſubſellia jam compleverant. putares ad audiendum conveniſſe. Et converſus ad me Biffius, Quis iſte, inquit, ordo? Ego non ſine riſu, Ordinem vocas? inquam: Confuſa & Amuſa plebs eſt:

Caupones, patagiarii, induſiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrobathrarii,

Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii, ſutores, diabathrarii,
Solearii adſtant, adſtant ſemizonarii.

Imò, ſi tribus cenſemus, ipſum pænè forum atque adeò comitium in Schola eſt. Etiam dico? Trecenti ſunt, qui quotidiana hîc conventicula, imò jurgia habent, & tanquam Scholaſtici, novo genere furiarum inquietantur ac clamant. Ride, aut indignare potiùs: ſordes, nugas, lites inferunt; verbis velitatio, pugnis pugna conſtat: ſcilicet, Scholam Gymnaſium faciunt, in quo exerceantur. Inter hos ſermones regreſſi in Porticum, Quæſo, inquam, quia hodie in Schola non licet, LACONISMVS ſeponatur: cras autem, ſi libet, & Scholam mihi vindicabo, & Sermonem. At BIFFIVS, *Tardum eſt*, inquit, *differre quod placet.* Nunc potiùs in limine hoc Scholæ libamentum iſtud libri libemus. Ego renuente vultu, Siccine, inquam, in porticu & propatulo? Ita, ita, ſubjungit BIFFIVS; vel imitatione moris priſci. An, tu neſcis, etiam in Porticibus olim Scholaſticorum, ſive Rhe-

Rhetorum ſcenam explicari ſolitam, & planè Stoico cenſeri ſupercilio, velut in ſecunda Schola? Petronium huc cito : *Et dum in hoc dictorum æſtu motus incedo, ingens Scholaſticorum turba in Porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione neſcio cujus, qui Agamemnonis ſuaſoriam exceperat. Dum ergò juvenes ſententias rident, ordinémque totius dictionis infamant, opportunè ſubduxi me.* Sed mitto hæc, te non omitto. Podium hoc marmoreum vides, columnis ſuis ſeptum, ac ſuſpenſum? Etiam *Pulpitum* Vitruvius vocat; annon recitationi aptum? Sic habe, & ſequere. Ego admiratus amabiles verborum argutias, & cupientis affectu expugnatus, tranſivi in podium; & juxta columnam dexteram projecturæ innixus, cùm per forum oculos circumtuliſſem, O nunc, inquam, Io. Bapt. Vertuam, illud Æſculapii delicium,

——παντοδαπῶν ἀλεκτῆρα νόσων,
Omnigenorum propulſatorem morborum,

illum Amicum meum, illum Auditorem meum, habeam, quem paulloante di-

tè dimiſi! Imò, ait BIFFIVS, ô nunc ego RAPH. MONTORFANVM, illum & meum & tuum, à quo paulloantè dimiſſus! Nunc autem ego tibi uterque ille ero. Hoc age, & laconiſſa. Quia vis, inquam, præbe aures. Sed ENCOMIVM ex ipſo, ut ita dicam, Memoriæ horreo promam.

IN rerum univerſitate nihil conſtanti mortalibus ſententia acceptum eſt. mens humana opinione deluſa, flectit ubiq; ad pejora judicium; & novandi cupida, ne in optimis quidem poteſt conſiſtere. Sortem, Fortunam, Vitam cujuſque taceo; Artes ipſæ eodem errore inquietantur: inter Artes Eloquentia, quæ in plures ſæpiùs mutata formas, aliis preſſa & circumcîſa, aliis copioſa & redundãs, aliis alia culta. Etenim quot gentes, imò quot homines, tot pænè ſpecies dicendi; quaſi ad naturam cuiuſque. Ac certè, ut in vultu, ſic in ſermone animus eſt; in vultu videas hominem, audias in ſermone; ac tum demùm rectè

rectè videre videare, cùm audis. Socratis laudata vox eſt : *Loquere, ut te videam.* Quid enim ? lætus & effuſus es ? etiam ſermo : ſerius & ſeverus ? pariter ſermo. Vt quiſque animum: ſic ſermonem habet. & *in oratione*, cum Quinctiliano dicam , *ſi ſpecies intueri velis, totidem penè reperias ingeniorũ, quot corporum formas.* Singulas quis diſtinguat ? Satis, ſuo quemque populum dicendi Genio cenſere. Nam etſi in ſingulis mortalium diverſus aliquis character: communio tamen multorum , ut iiſdem legibus moribúſque, ita & Eloquentia conſtat. At longa quoque hæc via, Aſiam, Græciámque veterem peragrare. In Eloquentia populos malo, quàm in populis Eloquentiam notare. Prima origine, velut ab ipſa Natura , brevis & ſuccinctus orationis habitus, Atticorum nomine celebratur: mox, quæſito verborum apparatu , apud Aſianos intumuit, & in ſpeciem vires ſparſit, velut arbor ramos. Dicendi Magiſtrum audiámus, lib. XII. cap. X. *Antiqua quidem illa diviſio inter Aſianos, atque Atticos*

ticos fuit; cùm hi preſſi & integri; contrà inflati illi & inanes haberentur. Etiam diſtinctiùs? *Attici limati quidem & emuncti, nihil inane aut redundans ferebant: Aſiana gens tumidior alioqui & jactantior vaniore dicendi gloria inflata eſt.* Inter duas iſtas formas mediæ plures natæ & notæ: qua luxurie Aſianum vitium Athenienſes, Atticam Virtutem Lacedæmonii induerunt. Vitium certè, πολυλογίαν; Virtutem, βραχυλογίαν puto & interpretor, quarum alteram Plato in Athenienſibus, alteram in Lacedæmoniis agnovit. Abſit Vitium, laudare Virtutem aggredior: ipſum inquam bono Suadæ auſpicio, ORATORIUM LACONISMUM. Et nonne LACONICE? Argumentum ſuadet, Auditorium urget: obſequar, & quam quiſque in omni materie poſcit, dabo Brevitatem. De Moribus, de Republica, de Natura rerum dicat alius; niſi brevis, odioſus eſt. At meum, hoc ipſum, quod in omni argumento placet, argumentum eſt. Dicam breviter, quia vultis; imò copioſè, ſi vultis. Integrum

grum oris adhuc obſequium eſt: ſive πολυλογεῖν libuerit, magna verborum congerie in molem ſurget Oratio: ſive βραχυλογεῖν, moderata ſe frugalitate contrahet. Etſi enim concepta dicendi quædam lineæ ſunt, inducere tamen formam potero, qua quiſque capietur. Quid moror? Laconica capietur. Itaque dum laudo Brevitatem, compendio verborum utar, ut Breviter laudare videar. Magna oratio magno tædio conſtat. Brevem benignámque date operam aurium, & experiar an in Laconismo Eloquentia eſſe poſſit. Multa paucis dicere, ſed cum ſale & venuſtate, Laconicum eſt. βραχυλογίαν alii; ſed πλύνοιαν, quam Cretenſibus Plato tribuit, rectiùs appellarim. Lacedæmonii namque, ut auctor Plutarchus Lycurgò, *Imbuebant pueros, ut oratione uterentur, quæ acrimoniam haberet mixtam venuſtate, & uberem ſenſum paucis verbis complecteretur*. Breves igitur erant, ſed viriles & arguti: eloquentes erant, ſed quemadmodum à moribus fucum abeſſe & corruptelam,

lam, ſic à ſermone voluerunt, animo potiùs quàm lingua diſerti. Et verè diſerti, ſi Eloquentiam, non Loquentiam æſtimemus. Ipſa verborum parſimonia facunda & fœcunda eſt, cùm res melioris ſententiæ ſemine producta, rore irrigata. *Quid enim eſt tam furioſum*, ut Cicero ipſe ſcripſit, lib. 1. De Oratore, *quàm verborum vel optimorum & ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia, nec ſcientia* ? Imperitiam dicentis inanis illa copia arguit: & longa periodo circumducta vox errat, ut ſermonis improprietatem affectata periphraſis ſuppleat. Quòd ſi recto orationis tramite cogitata proſequamur, brevis & compendioſa Locutio ſit, recta & robuſta Elocutio, utraque plana & perfecta. Tumor verò ille, & exultans verborum audacia, elumbis, enervis, inepta eſt. Nam, ut Antiqui exiſtimant, cùm Græci ſermonis uſus in proximas Aſiæ civitates influeret, Facundiæ exemplum ignaros traxit. Sic Græca laude capti Aſiani, rudi adhuc lingua Eloquentiam affectarunt. Quid ſit?

Ea

Ea quæ propriè ſignare non poterãt, circuitu cœperunt enunciare. in quo defectu, velut virtute, poſteà perſeverarunt. Hæc origo, imò hæc natura profuſæ dictionis : quam ſiquis ſtilo aut voce jactat; is ipſam imperitiam, papavere & ſeſamo ſparſam. Quanto meliùs, brevi verborum ambitu proferre animi ſenſum! proprietatem & ſimul nitorem ſequi. Proprius ſermo, cùm nitorem habet, perfectus eſt; & ab omni Antiquitate circa ſignificationem munditiæ laudantur. At verò Tullius in Bruto ſcribit, *Lacedæmoniũ nullum fuiſſe Oratorem* : ego, *Oratorem aliquem fuiſſe Laconicum*. Sprevit dicendi laſciviam Spartana ſeveritas, ſed frugalitatem Spartanam, cùm iam Athenienſes in tumorem ſurrexiſſent, plures è reliqua Græcia; & poſtea è Latio, amplexi. Inſpice Oratorum ſeriem, invenies. Apud Græcos, Philiſtum Syracuſium, ipſum Thucydidem, Lyſiámque. Apud Latinos, Catonem, Gracchos, Salluſtiũ, Tacitum, alios, qui mira ſtili munditie, ingenti robore, Laconiſmi gravitatem

Laconismvm à floridæ laudatæq; Eloquentiæ ditione ſejungunt. Iure, an armis agam? Ius Spartanum rigidum eſt, cavete; arma ſevera, cavete. Quid igitur? Pro jure & armis Laconismvs erit. Brevitas accuſatur, oppugnatur. quo colore? quo telo? trigemino, è triplici pharetra ſive forma dicendi, *Exili, Temperata, Grandi.* Sed obſecro, annon Exilis oratione, ſi velit, Lacon meus ſit? conſenties. Annon Temperatus? dabis. Sublimis, inquies, & altus quomodò erit? ut Aſianus ille tuus; Exilis, aut etiam Temperatus. Genus Infimum in copia agnoſcis: ego Summum in Brevitate. Militiam ſi intuemur, non turba, ſed diſciplina ad victoriam facit: non quàm multi, ſed quàm boni pugnent. Etiam in Eloquentia Victoria eſt, quam *Perſuaſionem* vocant, non multitudine, ſed robore & vi verborum obtinenda. At aures meas, inquies, non implet ſiccus ille & coactus ſermo. Non quid aures, ſed quid animus capiat, diſpice. Etenim quæ duæ laudatæ orationis partes ſunt, *Numerus*

& *Ornatus*, in Brevitate locum propriè habent. Auſim dicere: Brevitas ipſa, vis & venuſtas mera eſt. ſed in Numero vis, in Ornatu Venuſtas. Confer utrumque & examina. Numerum non copia, ſed copulatio vocum ſive ſtructura gignit: adeóque in paucis juxtà plurimiſque invenitur. *Apud Aſiaticos numero ſervienteis*, ut graviter Cicero cenſuit, *inculcata reperias inania quædam verba, quaſi complementa numerorum*. Iam verò Ornatus, non in tota ſolùm periodo, ſed in verbis ſingulis. Ipſamq; Rhetores βραχυλογίαν inter Schemata retulerunt. Vnum Fabium laudaſſe abundè ſit, lib. VIII. cap. III. *Meritò laudatur Brevitas integra: ſed ea nihil præſtat, quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt. βραχυλογίαν vocant, quæ reddetur inter Schemata. Eſt verò pulcherrima, cùm plura paucis complectimur. quale illud Salluſtii eſt: Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. Hoc malè imitantes ſequitur obſcuritas.* Neque tamen unius generis Brevitatis hic ornatus eſt: *Modo, Acumine, Emphaſi, Apoſiopeſi* variatur, quæ omnia in eo poſita ſunt, ut plus

ut plus ſignificet oratio, quàm dicit: atque etiam id, quod non dicit. O vim! ô venuſtatem! Numerum quæris? pugnare Laconiſmo liceat: Ornatum? delectare. Et tamen utrumque diſtinctiùs videamus. Pugnare quidem, ex Fabii ſententia, lib. IX. cap. IV. Nam *ubicumque acriter erit & inſtanter pugnacitérque dicendum, membratim caſimq́; dicemus. Nam hoc in oratione plurimùm valet, adeóque rebus accommodanda compoſitio, ut aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat; & cum dicente æquè audientem inhorreſcere.* An verò delectare? In Catone, ut jam Græcos omittam, manifeſtum. Hujus enim Cicero ipſe, De Claris Oratoribus, ornatam & aculeatam Brevitatem laudans, *Neminem*, inquit, *antepones Catoni. Ornari orationem Græci putant, ſi verborum immutationibus utantur, quos appellant* τρόπους: *& ſententiarũ orationisq́ formis, quæ vocant* σχήματα. *non veriſimile eſt, quàm in utroque genere & creber & diſtinctus Cato.* Quomodò igitur, ejuſdem Ciceronis ſententia, *in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem ora-*

tionis ? Quiáne (verba ſunt è Præfatione Paradoxorum) *Minutis Interrogatiunculis, quaſi Punctis, quod propoſuit, efficit?* At hocipſum nec fieri ſine Robore, nec ſine Ornamento poteſt. Sanè, ut γλυκυπικρία quædam vini grata palato, quia pungit; ita orationis, quia acrimonia perfundit animum & excitat. Flaccida illa & vieta verba, ipſa mole moleſta ſunt, & palatum melioris mentis à primo pinguis unctæque orationis guſtu nauſeat. Tamen hoc jam vitio paſcimur, ac loquacitate corrumpimus indolem, & Eloquentiā ipſam enervamus. Quàm verè Petronius! *Nuper ventoſa iſthæc, & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit, animóſque juvenum ad magna ſurgentes, velut peſtilenti quodam ſidere adflavit: ſemélque corrupta Eloquentiæ regula ſtetit & obmutuit.* Bona Suada, quàm appoſitè in noſtros mores! Magno hiatu ampullas projicimus, ac tum demùm numeroſè ornatéque ſcripſiſſe videmur, cùm totam paginam periodus implet. Lepidi Oratores! & tamen, neſcio qua audacia,

Tul-

Tulliani. Scilicet quia verba, & tumorem habemus; quia copiam, vitreámque fractam. Quòd ſi Oratorem effrenata loquacitas facit, non in Schola aut Curia, ſed colendam in Gynæcéo Eloquentiam putem. Hîc *Mulſa* audias, hîc *laterculos*,

Seſamum, papaverémque, triticum, & frictas nuces. Mulierum ſcilicet hoc vitium, hæc ſupellex, ut *nullo rerum pondere innixa* (verba A. Gellii uſurpo) *verbis humidis & lapſantibus diffluant.* Mulierum? imò & Virorum, qui quidem innato prodigæ effrenisq; linguæ morbo ſexum malè mutant. O-dioſum genus! quos viros videas, mulieres audias: imò malum genus! niſi in præſidium culpæ Natura vocaretur. Sed corrupta Natura, quæ ſoluta fluit lingua: corrupta lingua, quæ colluvione verborum æſtuat. Non circumducam Oratorem meum: à ſeipſe, & in ſeipſe Brevitatem diſcet. Etenim Artem Naturæ pediſſequam eſſe è decretis Sapientum ſcimus: unde paria utriuſque veſtigia ſunt, premenda pari pede pariq; motu, ſiquis

rectum iter amat. cùm verò loqui altera, eloqui altera doceat; iiſdem penè lineis utráque circumſcripta, per eamdem ſemitam procedit. Quid igitur? Artem ſequeris, & rectam dicendi formam? Ad Naturam tranſi, hac duce adſequêris. Sic Eloquere, ut loqueris; breviter, argutè, nervosè. Nemo propitium Artis, ut ſic dicam, numen ſibi fecerit, ſi Naturam offendit. at verò Naturæ præceptum eſt, copioſam mentem paucis & conſtrictis velut verbis efferre. Vide ipſam corporis tui machinam: *Petulantia verborum coercendæ vallum eſſe oppoſitum dentium* invenies; *ut loquendi temeritas non cordis tantùm cuſtodia atque vigiliis cohibeatur; ſed & quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur.* Vt igitur Sermonem qui congerie laborat, bona Natura non fert: ſic nec Ars ipſa Orationem. Etiam dicó? Lex Rhetorica Aptam dictionis ſeriem exigit: apta non erit, niſi brevis ſit. Etenim ſi per ſe res magna, de qua agitur, etiam paucis prolata verbis magna erit: ſi exilis & parva, vocis lenocinio amplian-

amplianda non eſt. Ageſilaus, laudante quodam Rhetorem, quòd magna dicendi facultate res parvas exaggeraret: *Ego verò ne ſutorem quidem*, ait, *bonum putem, qui magnum exiguo pedi calceum induat*. Vera comparatio. Nam rei ſive ſententiæ veſtem Natura Orationem fecit: ſi veſtem: cur laxam potiùs, quàm concinnam ames? Nolo, hominem ſarcina veſtiat: ſed nec animi teneriorem ſenſum. Togam nemo ſumit, ut bajulet. odioſus ornatus, ſi onus eſt. Et tamen in prodigo Orationis ambitu rugæ, & ſyrmata, id eſt onera quædam verborum ſunt, quæ delicatæ teretéſque aures non ſuſtineant. Quinctilianus eadem imagine, lib. xii. cap. x. *dat tempori ne craſſa toga ſit, non ſerica; ne intonſum caput, non in gradus atque annulos totum comptum: cùm in eo qui ſe non ad luxuriam ac libidinem referat, eadem ſpecioſiora quoque ſint quæ honeſtiora*. Lacedæmonii Cephiſophontem, quòd jactaret ſe de qualibet re totum diem poſſe dicere, ejecerunt; boni Oratoris eſſe decernentes, *parem rebus Orationem habere*.

Quid Romani? pari ſeveritate ſemel iterúmque ex urbe Rhetores ejecerunt. Annon & pari cauſſa? Scilicet boni puriq; mores fucum illum tumorémque dicendi non ferebant. Res & facta curæ erant: oratio verò, quæ gravitate & moderatione quadam breviter ſuavitérque res & facta explicaret. Sed quæ conſtantia rerum optimarum? Cum moribus corrupta etiam Eloquentia, poſtquàm in urbem Aſianus ille luxus immigravit. Facile fuit, enervatis animis, ſermonem mollitie inquinari. Vt pectus, ita lingua cujuſque: & in omni populo rationem morum oratio ſequitur. Romani quidem, cùm boni, etiam diſerti fuerunt. Quid enim? In pulchra, pura, ſancta urbe ſolam dicendi rationem culpes? in turbida, tumida, fœda illam ſolam laudes? Alio ævo Virtutem Romæ quærere, alio Eloquentiam, error eſt. Si verum amamus,

Moribus Antiquis res ſtat Romana viriſq;:

& Eloquentia Antiqua. Mores Antiquos

quos diſce, & Eloquentiam habes: illam puram, illam ſobriam, illam caſtam: quæ, non dicam hominibus, ſed Deo ipſi grata. Quid longa ſermonis periodo preces cumulas? brevi carmine puram prome mentem; Numen placaſti. Apud Antiquos ipſi Apollini Pythio parſimoniam hanc acceptam fuiſſe, decantatæ ſententiæ, Γνῶθι σεαυτόν, Μηδὲν ἄγαν, ſimiléſque ejus templi foribus præfixæ teſtantur. Quid Leges, quæ & ipſæ divina quadam aura conſtant? Apud omnes gentes breves fuêre, apud Lacedæmonios breviſſimæ, magna & ſolicita verborum frugalitate à Sapientibus conditæ, velut à Numine acceptæ, ut reverentiam & auctoritatem quandam divinam Brevitate invenirent. Etiam Reges Principéſque, qui Deo proximi, in terris Deum repræſentant, ſermone parci, ſed arguti, majeſtatem ſuam Laconiſmo commendant, Apophthegmate Diadema: putes eadem faſcia quæ caput ambit, linguam quoque vinctam. Eminent inter homines; imò ſupra

homines, hac pænè de cauſſa, quòd, πολυλογία ad ſordes populi relegata, ſententiis concluſa oracula loquantur. An ad exempla veniam? Porus ille, ut eſt apud Plutarchum, ab Alexandro Magno captus, rogatúſq; quonam modo tractari vellet, miſſo verborum omni apparatu & planctu, ne eblandiri ſalutem captivus videretur, βασιλικῶς, reſpondit: nec aliam vocem, cùm ſæpiùs interpellaret, extorquere à victo victor potuit. O animum, ô ſermonem in ſordida Fortuna Regium! Et utrumque admiratus Alexander, dignum miſericordia, imò regno cenſuit, habuitque. *Aegrum curavit*, (verba Curtii) *haud ſecus quàm ſi pro ipſo pugnaſſet. confirmatum, contra ſpem omnium, in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliore regno, quàm tenuit.* Hæreo in exemplo, ac neſcio profectò Indum potiùs, an Macedonem admirer. Ille bello victus, hic ſermone: ille mora, hic momento. Vbi Martis negotium erat, magno armorum apparatu Rex è Solio proturbatus: ubi Suadæ, nullo verborum

reſti-

reſtitutus. Martem vide, Suadam vide; & hoc modo ſive pugna, ut Fortuna victor ſis; ſive loquere, ut animo invictus. In Caſtris Milites ſuos Imperator numeret: Verba Orator pro Roſtris ponderet; non ut copiosè, ſed graviter viriliterque dicat. Leves iſti & inanes ſoni evaneſcunt: ſententiæ ſtrictæ & acres, ut cum Fabio dicam, *feriunt animum; & uno ictu frequenter impellunt, & ipſa brevitate magis hærent, & dictione perſuadent.* Sed in exemplis porrò videamus, brevibus & Spartanis. Cleomenes à legatis Samiis prolixa oratione provocatus, ut bellum Polycrati tyranno faceret, pulchrè ſuaviterque reſpondit: *Eorum quæ dixiſtis prima non memini, media non intelligo, ultima non probo.* Archidamus etiam, cùm intellexiſſet Eléos velle Arcadibus auxilium ferre, paucis verbis deterruit: *Archidamus Eléis, Bonum eſt quieſcere.* Philippi Macedonum Regis minax ad Lacedæmonios epiſtola erat: *Si exercitum in fines veſtros duxero, ſtragem & vaſtitatem dabo.* Reſponderunt unica, ſed magnanima

voce

voce EI, id eſt, SI *duxeris*. Iterùm, cùm idem Philippus quæſiviſſet, an in urbem à Spartanis recipiendus eſſet, ingentibus litteris reſcripſerunt OY, id eſt, NON. Verba iſta, an fulmina ſunt? ſanè cum terrore dicta, ſive ſcripta. Et tamen plura invenias: quæ nunc etiam in Optimo & Fortiſſimo Principe noſtro PETRO ENRIQVEZIO GVSMANNO, Comite FONTANO, plena laude effulgent, & in oculis ævi ſunt. Brevis eſt, Laconicus eſt, ſi quis Antiquorum; cujus, ut facta exempla, ſic verba dogmata ſunt, in Hiſtoriam utraque referenda, ut æterna ſint. Ille quidem erit, glorioſo belli paciſq; habitu: & ego ero, ſi eumdem deſcribam. Nunc certè quod liberè libentérque dicam, auſpicio ejus fit: quod Laconicè, auctoritate & exemplo. Quid non velim hoc Auſpice? quid non auſim hoc auctore? Stilum meum amat, conatum fovet, & Laconiſmum ſtilo & conatu meo publicè vult promotum. Sed annon bono conſilio bonóque jure? Litterarum intereſt, puriore illo

Sua-

Suadæ rore tingi ingenia : intereſt Reipublicæ, forum curiámque tranquilla quadam Eloquentia gubernari. Quo ſtrepitu, quo æſtu & aſtu verborum utrobique laboratur! Remedium ecce, promo. Etenim in omni negotio, ſi experiamur, uſum laudémque Brevitas habet. Ac profectò quid verbis opus, ſi verbo ſententiam lepidè & argutè repræſentes ? Breviùs compēdio, quàm periodo itur. Quod in nummis, hoc ipſum in verbis probo; ne oneri, ſed uſui ſint. Atque ut magnum nomen pauci nummi faciunt ac diluunt, ſi boni: ſic magnum ſenſum pauca verba, ſi bona. Imi Mercurii homines cum ſtrepitu peculium teruncciis ſtipant, ære arcam onerant : at ſplendidiores, nummorum compendium, ipſum aurum amant. ad eumdem modum, anguſtioris doctrinæ mentes, in acervum vacua grādiaque verba cogunt & cumulāt, magno ſono, exiguo ſenſu; in quos Salluſtianum illud conveniat, *Satis Loquentiæ, Sapientiæ parùm* : ſed qui melioris Muſæ cenſu inſtructus; is verò colli-

colligit in compendium verba, & exigua mole magnum ingenii pondus librans, boni Oratoris, boniq́ue Civis nomen tuetur. Vt igitur in arca, ſic in ore theſaurus eſt; imò os ipſum melioris Suadæ arca eſt. Melioris? atque etiam deterioris; è qua & æris ſonitum, & auri pretium depromas. Nam profectò, Multiloquentia ſono cōſtat, & æs merum eſt: Breviloquentia pretio, & aurum eſt. unde ſicuti metalla iſta colore, & virtute: ita omninò characteres illi diſtant. At enim Ciceronem, Eloquentiæ Principem, mihi objicias. Ita, principem; ſed ut tunc judicia erant, Aſianæ: *quem tamen,* verba apud Quinctilianum ſunt, *& ſuorum homines temporum inceſſere audebant, ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, exultantem ac penè viro molliorem.* Quid miramur? ſive Natura, ſive ſtudio talis alicubi fuit; & ſui ævi urbisq; moribus ſe dedit, ut ubertate & luxu orationis excelleret. Ac certè excelluit, & tumido in genere

nere dicendi laudem ſummam adeptus eſt. Quòd ſi tamen ſeriò virum intueamur, ſcripta perluſtremus, facile erit, etiam ipſius Ciceronis teſtimonio, atque adeò exemplo, neglectam LACONISMI formam in uſum pretiúmqúe mortalium revocare. Sed nimis prolixa nunc quidem Oratio eſt: ac vereor ne aliam laudare, aliam habere videar: caveo. Cui Cicero placet, ego quoque placere cupiam: cui Brevitas, Ciceronem ipſum præſcribam. Ciceronem, inquam: illum Atticum, imò Laconicum, in re & argumẽto ſeveriore. Hujuſmodi PARADOXA ſunt, bona illa, alta illa, velut in exemplum robuſtioris Suadæ. Sapientiam ipſam videas, ornatam, an armatam? Verbis parco, re oſtendam. Hoc enim & Anni, & Laconiſmi Auſpicium quoddam eſt, quo excitare Iuventutem ad amorem priſcæ Eloquentiæ volui, & ſtili atque Dictionis meæ Genium breviter commendare. Veniat igitur, & me audiat, quiſquis Artem dicendi Laconicam amat: imò veniat, quiſquis Aſianam. Ad utramque

quę enim novo labore facilem viam aperiam: veteri exemplo, viros bonos, dicendi peritos, urbi atque ſeculo reddam. DIXI.

HIc manibus plaudens BIFFIVS. Dixiſti, inquit, & quidem tuo more. Stringis ſententiarum merum quoddam robur, nec ducis auditorem, ſed trahis. De me fateor: tuus ſum, & ſuffragium Brevitati addo. Sed nunc ab ENCOMIO ad DEFENSIONEM. Ac ſcire priùs aveo quid ingenioſa hîc ubertas potuerit, quos aggeres, vineas, pluteos egerit in mœnia hæc Spartana. Ego jam facilior, & motu dictionis excitatus, Morem deſiderio tuo geram, inquio. & ſimul Epiſtolam FARNESI ſinu promens, legere in hæc verba cœpi.

IO. BAPT. SACCO, & ERYCIO PVTEANO.

BEASTIS me viri ſpectatiſſimi, alter Laconiſmi munere, alter doctrina in Laco-

Laconiſmo recondita. Sacci liberalitate, Pvteani diſciplina non modò abii plenior, ſed etiam ab eo ipſo qui antè eram propè alius. Eo momento, quo vix è manibus *Encomium* depoſueram, præſtò ad me Tvbativs cum novo exemplari, magnus auctoris amicus, meus non vulgaris. Quam tibi, ait, felicitatem antè precabar, nunc apporto: ſtatimq; ſimul exemplar oſtendit. Tum ego, Non eſt oculorum, inquio, iſte cibus, ſed pectoris: nec quicquam apportas novi; quia id omne jam devoravi. Quid? plauſit ille mihi, ego pariter illi, quòd quaſi factus eſſet Lacon, eique in mentem veniret Ciceronis pœnitere. At ubi longiùs inter nos effluxit oratio, mutuáque Laconiſmi laus hinc inde raueſcere cœpit, Heus tu dixit, Pvteani hîc adſum nomine amicè liberéque rogans, ut ad ipſum de Laconiſmo tuum proferas judicium. Abiit ſtatim deinceps Tvbativs. Tum ego mecum: Quid faciam? longè alia de Laconiſmo mentem meam imbuerat opinio: pu-

 det,

det, quia turpe eſt hoc verbo uti non dutaram, opinionis meæ errorem proferre. Verùm quoniam meus erga vos Amor omnem vincit pudorem, non gravabor eum vobis inſuſurrare, dum libenter modò audiatis.

PROOEMIO perlecto, levi pauſa vocem colligebam: cùm ſuam interponens BIFFIUS, Hæc, inquit, mella ſunt, & ritè in prægustum. At palatum meum pungit tamen, illud *Ciceronis pœnitere.* Quid? TUBATIUM tuum? illum ſuaviſſimi oris & animi virum? illum, qui, ceu Larem familiarem, Arpinatem noſtrum colit? Nec tu opinor Antonius aliquis, ut nova proſcriptione etiam in libros ſævias, aut Manes potius, principis Oratoris. Ego commotior, Leniùs, leniùs, inquam, Atticus, non autem Antonius ſum: imò, quia hunc laudaſti, ore animóque TUBATIUS ſum. Nonne cum Quinctiliano publicè & quotidie clamo: *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valdè placebit?* Sed cùm ſtudioſa imita-

imitatione ingenium jam ſubactum eſt, ſtilus firmatus; boni alii ne diſpliceant. *Prudentis eſt*, ut idem Quinctilianus, *quod in quoque optimum eſt, ſi poſſit, ſuum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars ſequitur, ideóque cùm totum exprimere quem elegeris, penè ſit homini inconceſſum, plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quidque loco conveniat, aptemus.* Anguſtæ illæ mentes ſunt, quæ anguſtiis ſe claudunt unius ſcriptoris, & puerile vitium in laudem jam adultæ trahunt. Nos viri ſimus, ſapiamus, & porrò legamus. Ridente, ac annuente Biffio, reliqua aggreſſus ſum.

Putabam neque Sagum cum Muſis: neque Laconiſmum quicquam cum re Litteraria habere commune. quoniam enim duplex eſt virtus Oratoria, una quæ in ubertate conſiſtit & copia; altera, quæ in brevitate eſt poſita: videtur Laconiſmus [illegible] copiæ interitus eſt, brevitatis [illegible] us,

ab omni virtute dicendi exterminandus. Nam ut ex rerum cognitione effloreſcit oratio: ita ex ſiccitate doctrinæ ſuccus & ſanguis orationis exareſcit in Laconiſmo, quem nonniſi in Lacone probo, hoc eſt in homine rudi & impolito. At probavit Plato. probavit? imò laudavit, ſed ut pudorem, cui nullus eſt inter mortales, niſi admiſſa culpa, locus. Quia Lacones Græcorum erant peſſimi, nec poterant, quæ non bene didiciſſent, non malè effutire, publica lege cavit Lycurgus, ut dicendo mentem ſuam potiùs ſupprimerent, quàm aperirent. Itaque qui antè bardi ad dicendum erant & ſtolidi, repentè facti ſunt balbi. quæ res primùm admirationis, deinde Laconiſmi nomen ſortita eſt. Nec certè quidem mirum. Nam ut optimum eſt ad eloquentiam proficiſcentibus viaticum ars omnis, & doctrina: ita brevis, & compendiaria ſemita ad Laconiſmum eſt ignorantia. Atqui trito ſermone, multò eſt difficiliùs laconizare, quàm philoſophari. magnus id ad Laconiſmi notam accedit

cedit cumulus reprehenſionis. Siquidem apud eos, in quibus mica modò aliqua ſit ſalis, nihil magis, quàm quod dedecet, operoſum eſt & difficile. Itaque viro bono difficilius eſt viri boni nomen maculare, quàm olim Atlanti fuit mundi globum ſuis humeris ſuſtentare: longéque facilius viro forti eſt mori, quàm hoſti terga dare, quid dicerem quàm laconizare? Qui laconizat, non tam Athenas, quàm Muſas ipſas oppugnat: quas qui ſequitur, non quicquid in buccam venit, & eructat ex tempore, habet pro oraculo, ut ſolent Lacones; ſed artis eſſe putat, minuta ad vivum reſecare, atque ingenii minima quæque ad calculos revocare, quod nullo modo poteſt Laconiſmus pati. Cùm igitur Lacon neſcio quis vellet ab Iſocrate arte dicendi inſtrui, negavit Iſocrates id ſe facturum, niſi duplo majoris quàm ceteros inſtrueret, eò quòd illum antè non poſſet artem dicendi docere, quàm dedoceret laconizare. In Laconiſmo enim neque auctoritati, quæ eſt Iuriſperitorum; neque

exemplis, quæ ſunt Hiſtoricorum; neque fabulis, quæ apud Poëtas lampades ſunt Muſarum; nec denique argumentis, quæ valent ad artem diſſerendi, ullus eſt in quo conſiſtant locus. Quare Laconiſmus quantum detrahit Eloquentiæ, tantam maculam Majeſtati inurit Regiæ. Nam eloquentia non ſolùm eſt ars ſuadendi, ſed etiam imperandi. Nullum eſt enim, ſi ſapimus modò, firmius imperii vallum, quàm quod eloquentiæ nervis & viribus tenetur ſtipatum. Itaque Reges ii omnes, ut refert Heſiodus, qui Deo ſunt chari, quaſi divinitùs eloquentia ſunt donati. Quoniam igitur nulla eſt in Laconiſmo copiæ ſedes, an ulla erit brevitati? non opinor. Nam ut perſiſtam in exemplo, cùm Philippus ſcripſiſſet, Si in Laconicam impreſſionem fecero, extorres vos agam, reſcripſerunt, *αἴκε*, abſolvitur Laconiſmus una dictione *Si*, quæ dictio, quia nec eſſe, nec dici poteſt oratio, quæ in Laconiſmo erit orationis brevitas? Non tam inane eſt, quàm ridiculum, nodum in ſcirpo

quæ-

quærere. Non eſt in Laconiſmo brevitas, ſed vitium brevitatis. Nam brevitate exprimitur: Laconiſmo ſupprimitur quod res eſt. illa non probatur niſi dilucida: hic reprehenditur niſi ſubobſcurus. illa dicit quod non eſt ſilendum: hic tacet quod eſt dicendum. Quare neque ſententiæ Philoſophorum, neque Medicorum Aphoriſmi, neque juris regulæ, in quibus ſumma eſt brevitas, poſſunt Laconiſmi appellari. Non enim capiunt Laconiſmorum anguſtiæ ullos fines, & terminos doctrinæ, qui ſæpè deliteſcunt in brevitate. Quare Laconiſmus, & brevis oratio longo intervallo ſibi inter ſe diſſident. Hæc quippe inventa eſt doctrinæ aperiendæ cauſſa: ille verò ignorantiæ occultandæ gratia. Hæc in ſcholis: ille in imperitorum grege locum habet. Aliud igitur eſt Laconiſmo, aliud brevitate uti. Nam dominus Monoſyllabus Laconiſmum ſequi poteſt, brevitatem non poteſt; quia non orationis, ſed ſilentii fructum quærit. Nam cùm nutu potiùs imperet, quàm ver-

bis; ſervos oculis, non auribus vehit. Sed ut eò PVTEANE, unde aberravit, mea redeat oratio, tuum amo Laconiſmum. Nam amicorum non ſolùm debet eſſe mutuus amor, ſed etiam judicium: nec communis tantùm ſenſus, ſed etiam voluntas. Statui igitur jam, ne vobis obloqui, ſed vobiſcum loqui videar, in ipſo veſtigio Palinodiam canere. Nam ſi amicus non eſt amicorum ſimilis, ſed idem, ipſe mihi controverſus ſim & renitens, niſi probem quod vobis placeat. Hæc ſcripſi fuſiùs, ut diſcatis in poſterum non Laconicas, ſed verboſas ad me dare litteras. Valete diſertiſſimi viri. Ticini, VI. Idus Februarii, ∞. IↃC. VI.

HACTENVS auditor BIFFIVS, quaſi firmatis ſilentii induciis, urgere PATROCINIVM cœpit. At ego ſpatium poſcens, Quod ſine dolo malo fiat, inquam, ſeorsùm ad Clariſſ. SACCVM Appendicula in calce reliqua eſt, velut gemmula Amoris: hanc adjicio. Omninò, inquit BIFFIVS, ut blan-

blando emblemate epiſtolam obſignemus. Lepidè, inquam: & ſimul ſchedulam explicui.

VBi legeris, conſcinde ſtatim quæſo epiſtolam: nec puta tibi cum Pvteano communem. Non enim mihi ſatis eſt Amicum non offendere: cupio etiam ſuſpicionem offenſionis cavere.

RESPEXIT me Biffivs, &, Quid hoc rei? inquit: ad duos ſcriptæ hæ litteræ, ad unum miſſæ. Ego tamen Saccvm laudo, quòd communicavit. Qui miſit epiſtolam, ne offenderet, timuit: qui communicavit, ſcivit profectò non poſſe te offendi. ille amicè quidem: ſed hic prudenter etiam; ut occaſio Patrocinii naſceretur. Ego ſubjungens, Magis diceres, inquam, ſi doctiſſimum Sacci reſponſum vidiſſes, quo & diſſerit ipſe de Laconismo graviter, & rationem putat, cur neglecta appendicula, lectionis me participem fecerit atque

conſortem. Iterùm BIFFIVS, Iure, inquit, fecit: & ſic nunc timidiſſimam FARNESI ſuſpicionem rideo, aut reprehendo. Nam etſi

Υπόνοια δεινόν ἐστιν ἀνθρώποις κακόν,
Grave admodum ſuſpicio hominibus eſt malum : quæ tamen in docto Amore poteſt eſſe ſuſpicio? Fructum ſtudiorum Amor impediat, æmulationem ſi excludit: & in improbis hominibus, etiam laudãda hactenùs invidia, quòd remiſſum urat animum virtutis deſiderio & torqueat. Aureus Paterculi locus eſt, lib. I. *Alit æmulatio ingenia: & nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit : maturéque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, adſcendit in ſummum : difficiliſq; in perfecto mora eſt: naturalitérque, quod procedere non poteſt, recedit. &, ut primò ad conſequendos quos priores ducimus, accendimur: ita ubi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit ; &, quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit, & velut occupatam relinquẽs materiam, quærit novam. præteritóque eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus.* Plura parabat

bat Biffivs, cùm ſermonem ego tranferens, Sed nos, inquam, nimiùm diu in procinctu. quin coronas ſumimus, tibias inflamus, & Muſicum, imò Laconicum auſpicamur hoc certamen? Propriè ſic loquor. nam ſolenne Lacedæmoniis, inſtructa jam acie στεφανοῦσθαι: & *Spartanæ Civitatis*, ut verba Valerii ponam, *exercitus non antè ad dimicandum deſcendere ſolebant*, *quàm* Tibiæ *concentu*, *& Anapeſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent: vegeto & crebro ictus ſono ſtrenuè hoſtem invadere admoniti.* Ego tamen non hoſtem, abſit; ſed Civem & Amicum: nec invaſi, ſed excepi per delicias invadentem, & velut ſtili ludum. Ergò nulla in hoc ferro hoſtilitas, ſine vulnere ictus ſunt, & amœno tàntùm ſtrepitu colliſi evaneſcunt. Amo, æſtimo Farnesivm, imò veneror, & præter ætatem ſuavis ejus humanitas & inſignis doctrina merentur. Hauſerat vocem mentémque ſimul meam Biffivs, &, hoc jam ſcio, inquit, cum amico tibi rem eſſe. Perge, & ipſam mihi expedi, ſed Spartano more. Ex-

re. Expediam inquio; & cum dicto initium Embaterio dedi.

H. FARNESIO S. D.

AMOREM, & ſimul Ingenium tuum video HENRICE FARNESI: Amorem in me, quem laudas; Ingenium in LACONISMVM meum, quem oppugnas. mite Ingenium, blandum Amorem; ut neſciam utro magis adlubeſcas. Mihi verò liceat & hujus flammam, & illius ſcintillam aliquam reciproca ſcriptione commonſtrare. Quantum video, litteræ tuæ, opinionis labefactatæ quædam quaſi reliquiæ ſunt (tu *Errorem* modeſtiſſimè appellas) an priſco more peniculo detergendæ? imò verò calamo, etſi occupato. LACONISMVM ad virtutis exemplar, liberum & lætum eſſe volo, & ſine ullo jugo. Annon Lacones ipſi fuere? Apophthegmate profeſſi ſunt. cùm enim in agrum eorum Philippus impreſſionem feciſſet, ac perituri omnes viderentur; quiſpiam ad Laconem: *Quid nunc facietis ò Lacones?* Ille verò animosè: *Quid enim*, inquit, *aliud, quàm fortiter mori? Nam Græ-*

corum

eorum nos ſoli liberi eſſe, & aliis non parere didicimus. Itaque quia virtus ἐλευθέρα: etiam Laconismus erit, capútque tollet preſſum inani quadam argumentorum mole, non oppreſſum. Molem enim ſentio magis, quàm pondus: & verborum inſidias potiùs, quàm vires. Quid mirum? ſic munitum rationibus Encomium erat, ut niſi dolo ingenióque tentari non potuerit. Ego Laconismum, id eſt Brevitatem laudaveram: tu in eo totus, ut convincas Brevitatem non eſſe Laconiſmum. Hic ſcriptionis tuæ ſcopus, hæc ſumma eſt. ſed obſecro, annon boni Auctores promiſcuè uſurparunt? Ipſe Cicero, cujus tibi auctoritas ſacroſancta ſit, is igitur lib. xi. epiſt. xv. ad Brutum, ſolenni formula: *Plura ſcribere non debeo, præſertim ad te, quo Magiſtro Brevitatis uti cogito.* Iterùm ad eumdem, epiſt. xxv: *Brevitatem ſecutus ſum, te Magiſtro.* Et paulopòſt, ut rem conficiam; *Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum: altera jam pagella procedit.* Quid poteſt luculentius? Mihi tamen eloquii tui machi-

nas

nas dejicere tam repentino nimbo propoſitum non eſt: inſpicere potiùs & examinare, an validæ per ſe, & LACONISMO expugnando. Alii fortaſſe in procinctu, ut incurrant: atque his arma velut in prælusione commonſtranda, ut cauſſam & ſimul adverſarium cognoſcant. Hanc ne quis pugnam cenſeat, pompa eſt: ſed luſorium ſtilum, ſi iſti quidem in medium procedent, decretorius excipiet. Nũc igitur tecum mihi res erit mi FARNESI, ſed amica; & præcipua ſcriptionis tuæ capita obiter diſpungam, amœnitate, acumine, &

Brevitate nota qua Lacones utimur.

AIS:

PVTABAM *neque Sagum cum Muſis: neque* LACONISMVM *quidquàm cum re Litteraria habere commune.*] Mirabar ego eſſe, qui hoc putaret. Scilicet, Ἄμουσοι Lacedæmonii, quia Martiales. Muſis tamen, memorabile dictu, rem divinam faciebant: non dicam domi, id eſt habitu pacis; ſed militiæ, præcincti & induti ſago, idque in ipſo punctiſtitio pugnæ. Hoſtia capella

erat

erat: tu *μυςήρια* nobis pande: & Rex ipſe publico nomine ſacrificium peragebat. Plutarchi expreſſa verba ſunt, Lycurgo: *Ante pugnam Muſis Rex ſacrificabat*.. Neque ſilentio tranſibo cauſſam aut abjungam. Nam *admonebat* (eundem Plutarchum exprimam) *ut videtur, Diſciplinæ & Iudiciorum; ut in periculis offerrent ſe, & ſucceſſum ad res memoria & oratione dignas præſtarent.* Rectè. nam

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

At verò, inquies, colebant Muſas, non callebant. Vtrumque, mi Farnesi: ſed cum Modo, nec niſi in via ad Virtutem. Taciti ſententia eſt, *Difficillimum eſſe tenere ex Sapientia modum.* Molleſcit enim nimio otio animus, & pertinaci rerum contemplatione ἀπρακτότατος redditur, resq; ipſas averſatur. Contrà Lacedæmonii, in actione erant; ideóque dicti ἄμυσοι, quòd otioſas artes otiosè non tractarent. Nam judiciorum hæ deliciæ ſunt, ut, niſi toto quis fonte pectus proluat, libaſſe Muſarum rivos non videatur. Ego tamen cum Tacito reti-

retinendum *Modum* illum cenſeam, neque ex Sapientia ſolùm, ſed ex omni Litteratura. Iterùm dico, Lacedæmonii tenuerunt. Nam, ut apud Plutarchum Inſtitutis Laconicis lego, γράμματα ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον, *Litteras, quantum uſus poſcebat, diſcebant.* Et Romani hoc exemplo, apud Salluſtium: *Prudentiſſimus quiſque negotioſus maximè erat. ingenium nemo ſine corpore exercebat. optimus quiſque facere, quàm dicere: ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Faciebant igitur, & hi, & illi: atque etiam Dicebant. ſed qua vi, & robore! ut verba, an arma plùs vereare, dubites. De Philoſophia, an ſeorsùm dicam? hujus ſtudium, ſcribente Platone, Lacedæmonii coluerunt. Inſignia, & pluſcula in Protagora verba ſunt; cum laude Gentis, & LACONISMI exprimenda: PHILOSOPHIA *Græcorum vetuſtiſſima & frequentiſſima in Creta, & Lacedæmone exſtat.* Item: *Sunt verò utrobique non Viri ſolùm doctrina egregii, ſed etiam mulieres. Lacedæmonios autem ad Philoſophiam atque Eruditionem optimè in-*

mè inſtitui, hinc manifeſtum. ſi quis enim tum viliſſimo eorum aliquo colloquatur; Rudem plerumque apparere in verbis prima ſpecie comperiet: mox, ubi opportunitas exegerit, verbum ille breve quidem contortúmque, magni tamen momenti tamquàm vehemens Iaculator emittit; ut quidem qui cum eo diſſerit nihil à puero differre videatur. Laconicam verò Diſciplinã in Sapientiæ Eruditioníſque ſtudiis potiùs, quàm in corporis Exercitationibus conſiſtere, ne de noſtris dicam, Antiqui animadverterunt. quippe qui cognoſcerent, Laconismvm *enunciare poſſe, Viri eſſe abſolutè docti. Ex eorum numero erat* Thales Milesivs, *&* Pittacvs Mitylenævs, *&* Bias Prienensis, *&* Solon *noſter, &* Cleobvlvs Lindivs, *&* Myso Chenensis, *denique* Chilon Lacedæmonivs. *qui omnes æmuli, & amatores, & ſtudioſi Lacedæmoniæ eruditionis. Atque hanc talem eorum Sapientiam fuiſſe, clarum, è Brevibus illis Dictis, & illuſtri memoria dignis, quæ tamquam Sapientiæ primitias Apollini Delphico conſecrarunt, & templo inſcripsère:* Nosce Te-

ipsum, & Nequid Nimis. *Hæc eam ob cauſſam refero, quoniam Antiqua Philoſophandi ratio, in* Brevitate Laconica *conſiſtebat*. Grandia iſta profectò, & quibus, vel invita Multiloquentia, Laconismus triumphet. Chilon verò ille,

ὃς τῶν ἑπτὰ σοφῶν πρῶτος ἔφυ σοφίῃ,

Qui ſeptem è numero maximus unus erat,

Virtutem gloriámque patriam peculiariter coluit. Erat ſcribente Laërtio Βραχυλόγος: atque hac cauſſa Ariſtagoras Mileſius τοῦτον τὸν τρόπον, ſive Characterem, vocabat χιλώνειον: ego verò βραχυλογίαν, Lcaonismum. Lacon erat hic Chilon, & ſic ſermo Chilonius: imò Lacon erat hic Chilon, & ſic ſermo Laconicus. Chilon ſapiens, Lacon eloquens; ſed ſtricto & robuſto quodam ore, & more. Auctoritatem Plutarchi adjicio, περὶ ἀδολεσχίας. *Majori in admiratione & amore ſunt, atque Sapientes præ effrenis iſtis & concitatis habentur, qui Preſſi ac Breviloqui; & quorum frugali in dictione multus ſtipatur ſenſus. Nam & Plato* (locus in

Pro-

Protagora) *hos laudat, ſimiléſque ait peritis jaculatoribus, cùm criſpa, denſa, & contorta verba emittunt. Lycurgus etiam cives ſuos ſtatim à puero ſilentio compeſcens, ad hujuſmodi Breviloquentiam condocefecit. Etenim ſicuti Celtiberi ferrum ad aciem temperant, ubi in terram defoderint, ac quidquid redundans terreſtréque expurgaverint : ita* Laconica Oratio *ſine cortice eſt, & ſupervacàneorùm amotione in ſoliditatem coacta acuitur. Quippe* Apophtegmatica *illa, ſive ſcitè dicendi Brevitas, & verſatile in reſponſionibus Acumen, è multo ſilentio oritur. Atque id genus dicta maximè Loquacibus objicienda; ut ſentiant quantum ea gratiæ habeant atque roboris. Quale eſt, quod Philippò Lacedæmonii dixerunt :* Dionyſius Corinthi. *& rursùm cùm Philippus ſcripſiſſet,* Si in Laconicam impreſſionem fecero, extorres vos agam, *Reſcripſerunt:* Si. *Demetrio Regi indignanti & clamitanti,* Vnum ad me Legatum Lacedæmonii miſerunt? *nihil territus Legatus, reſpondit:* Vnum ad Vnum. *In admiratione etiam è priſcis qui Breviloqui : & templo Apollinis Pythii, non Iliadem aut Odyſſeā,*

neque Pindari Pæanes inſcripſerunt Amphyctiones: ſed, Noſce te ipſum; Nequid nimis; Sponde, præſtò noxa. *admirati nimirum gravitatem tenuis ſermonis in tanta Brevitate ſenſum quaſi malleo ductum concludentis.* Itaque Viri, Lacedæmonii erant: in Virtute ipſa ſcientiam & facundiam habebant, alieni ab omni λογομαχία; alieni ab omni verborum lenocinio,

---nugisque canoris.

Vſui, non gloriæ, animi pariter & linguæ cultus erat; & in armorum, aut laborum pauſa, de præclaris magnorum virorum factis, ac virtutum officiis diſſerebant. Hic mihi LACONISMVS eſt, Sapientia utilis, Eloquentia inſignis: quem nec ventoſa verborum congeries in dicendo tumefaciat, nec captioſi σοφίσματος jurgia in diſputando diſtrahant. Audiant hanc vocem, qui ſiccam & laborantem in Lacone Brevitatem clamant, id eſt, ut tu interpretaris,

IN *homine rudi & impolito.*] Obliqui ſcommatis telum eſt, & jam olim Apophthegmate repercuſſum. Nam,

Nam, ut verba Plutarchi repræſentem. *Pliſtonax Pauſaniæ F. cùm Atticus Rhetor quidam Indoctos Lacedæmonios appellaret, Rectè, inquit, narras. ſoli enim Græcorum nihil mali nos à vobis didicimus.* Tuis igitur verbis, non ſenſu,

Dvplex *eſt virtus Oratoria : una, quæ in ubertate conſiſtit & Copia ; altera, quæ in Brevitate :*] neque propterea

Laconismvs *ab omni virtute dicendi exterminandus.*] Cur enim? audiamus ἐπιχειρήματα.

Copiæ *interitus eſt.*] Ita; ſed vitioſæ.

Brevitatis *morbus.*] Ita; ſed vitioſæ. Vt non omnem tu mihi Copiam ſanam dices; ſic neque omnem ego Brevitatem. Vtrobique & virtutes, & vitia quoque ſunt. Copia Demoſthenes placuit; Brevitate Phocion, quem verborum ſuorum κοπὶν ſive *Securim* dicere magnus Orator & vereri ſolebat: ſed alius aliquis diſplicuit. privum vitium cur commune facias? Quod verò de Demoſthene & Phocione dixi, ſuggerit in hujus vita Plutarchus: Imò in Præceptis Poli-

 ticis,

ticis, βραχυλογίαν Phocionis admirandam ſcribit: *Quippe Polieuctus maximum Oratorem pronunciavit eſſe Demoſthenem: perſuadendo verò graviſſimum Phocionem. Breviſſima enim ejus dictione uberrimas ſententias contineri.* Itaque ſana Copia glorientur Attici: in Laconibus Brevitas recta & robuſta eſt. Pulchrè, quod Diogenes olim reſpõdit, οὐ τὸ ζῆν κακὸν εἶναι, ἀλλὰ τὸ κακῶς ζῆν, *Vivere malum non eſſe, ſed male vivere*, ad rem vertam: οὐ τὸ λακωνίζειν κακὸν εἶναι, ἀλλὰ τὸ κακῶς λακωνίζειν. Invito Genio Breves eſſe multi ſtudent: multi, quia nequeunt; naturæ defectum, artis interpretantur.

Sed jam Platonem etiam, quaſi in vacillantis cauſſæ ſubſidium producis. Προξενητικὸν debeo. Nam vel hoc fulcro ſtare LACONISMVS poterat: quod nunc tamen nova ingenii machina quatis & arietas. videamus.

LACONISMVM *laudavit Plato; ſed ut Pudorem, cui nullus eſt inter mortales, niſi admiſſa culpa, locus.*] Obſecro hæccine mens Platonis? ubinam? Modeſte dixerim, nota eſt, à tua mente nata.

ta. Hem! in vitio Pudorem omnem eſſe! Te conſitum eſſe ſenectute ſcimus: ſed nos Bonam ætatem hoc ornamento non ſpoliamus. Comicum audi, Bacchidibus:

Nam ego illum periiſſe duco, cui quidem periit Pudor.

Salluſtium: Pudorem, *pudicitiam, divina atque humana promiſcua, nil penſi neque moderati habere.* Eumdem de Catone, id eſt Virtutum viva imagine: *Cum ſtrenuo Virtute, cum modeſto* Pudore, *cum innocente abſtinentia certabat.* Frequentes Auctores ſunt. Sed egregiè Cynicus ille, apud Laërtium, qui cùm adoleſcentem vidiſſet rubore perfuſum, *Confide*, inquit, *hujuſmodi eſt virtutis color.* Cato, ut eſt apud Plutarchum, *rubore ſe magis delectari adoleſcentum ajebat, quàm pallore.* Ac certè Stoica diſcretione aliud eſſe αἰσχύνεσθαι, ſive δυσωπεῖσθαι, nimirum cum vitio: aliud αἰδεῖσθαι, & cum virtute, apud eumdem Plutarchum invenies, Περὶ Δυσωπίας. Etiam dico? δυσωπίαν ipſam nemo *Pudorem* rectè vertat; ſed *Vitioſum Pudorem*, geminata voce. pla-

 nè, ut

nè, ut vel Græca luce geminam in Latino vocabulo ſignificationem deprehendas. Itaque, ut *αἰδὼς* Græcè in virtute, *δυσωπία* in vitio eſt: ſic Pudor Latinè, in vitio & virtute. Et paſſim Scriptores nunc *Ingenuum* & *Sanctum*, nunc *Turpem* & *Fœdum*, aliterque nominant. Igitur quà Turpis Pudor eſt, laudari non poteſt: quà Honeſtus, poteſt. LACONISMUS autem, ſi laudatur, niſi cum Honeſto Pudore comparandus non eſt. Addis rigidiſſimo planè ore, non enim dicam pectore:

LACONES *Græcorum erant peſſimi.*] Leniùs mi FARNESI, calculúmque ſuſtine: indicta cauſſa, ſententiam ferre, iniquum eſt. Tuli, inquies, & cauſſam ipſe jure meo dixi. At ego jure iſto non utor. ad viros doctos provoco, & Antiquitatis magnum illud ac venerabile tribunal. Quid tu verò? veteres nobis, an novos libros revolvis? ſi novos, nulla auctoritate convellimur: ſi veteres; loca, & verba profer, uti moveamur. In hoc ipſo ſcripto tuo Platonem, Iſocratem, Heſiodum video; & tamen quæro. prodeant ipſi, & vo-

& vocis ſuffragia coràm ponderentur. Tuis verbis *Plato probat, Iſocrates negat, Heſiodus refert*: quid ſi neque probet, neque neget, neque referat?

Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.

Itaque miſſis rivis, Res & Inſtituta Lacedæmoniorum, in fonte inſpice, veram diſtinctámque imaginem habiturus urbis Laconicæ, & ævi. Ac certè, quod ad mores indolémque: quid juſtius? quid ſanctius, in omni Antiquitate? Virtus ipſa domicilium Lacedæmone habuit: & conſenſu quodam in laudes maſculi populi conſpiraſſe Scriptores ferè omnes videntur. Cur igitur *Græcorum peſſimi*? An quòd, ut Suidas refert, περὶ τοὺς ξένους ἀπανθρωποι; *Circa hoſpites inhumani*? Sed cauſſam Plutarchus expreſſit, Inſtitutis, & Lycurgo adſcripſit, etiam cum laude: *ne alienis moribus vitiiſq; imbuerentur*. Ideóque ipſis Peregrinatio quoque interdicta. Verba Plutarchi ſunt: ἀποδημεῖν δὲ οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς. Et lubet cauſſam attexere: *ne externis, vitámque deformantibus moribus imbue-*

rentur. Quin & ξενηλασίαν ſive expulſionẽ Peregrinorum idem Lycurgus introduxit, ne in urbem ſe illi inſinnantes, mali cujuſpiam doctores civibus eſſent. Prius illud ἀποδημεῖν non Lacedæmonii ſolùm, ſed Cretenſes quoque averſati, Iuventutem inprimis patriis clauſam Penatibus tenuerunt ; ne externa Philoſophandi ratione domeſticam violaret. Plato Protagora : *Atque ipſi* (Lacedæmonii) *juvenum ſuorum neminem adire alias urbes ſinunt ; uti & Cretenſes : ne quæ domi docentur, foris fortè dediſcant.* Quippe infecta luxu, maliſq; animi morbis reliqua Græcia erat : Lacedęmonii puri, ſobrii, ſani, vix tandem (quamdiu fui) de innato robore remiſerunt. Mihi quidem difficile nequaquàm ſit, conſcribere & educere auxiliares Elogiorum copias, ex veterum, ut ſic dicam Græcorum, Latinorúmque Auctorum agris ; ſi urgear. nunc autem ſatis ſic velitatus ſum, & levi manu Spartanam Virtutem adſerui. An & Sermonem? videor. Facilis namque Eloquentia, ubi Virtus eſt : & flos oris animum velut ſemen

ſemen habet quo oritur. At

Pvblica *lege cavit Lycurgus, ut dicendo mentem ſuam potiùs ſupprimerent, quàm aperirent.*] Qua lege? quando, quomodò lata? De Breviloquentia cavit Lycurgus. de Suppreſſione nequaquam. niſi *Suppreſſionem voces*, quod in Platonis Protagora lego, Imperitiam ſimulaſſe Lacedæmonios; ne ceteros Græcos ſuperare Sapientia atque Eruditione; ſed potiùs Armis & Fortitudine viderentur. Aſtutè quidem: quaſi Armis facilè ſuperaturi Græcos, ſi Doctrina. Doctis igitur dolis, bonis tamen, λακωνίζοντας, ſive Imitatores ſuos ludebant, &, obſtructa ad felicem Martem via, Martem oſtendebant. Ita dico Imitatores, quorum induſtria exemplo falſa, in umbra dumtaxat Laconicæ Virtutis ſudabat. Lepidè Plato: *Alii enim, quòd aures concidant, ipſis ſimiles videri volunt; alij, quòd loris involvantur; alij, quòd corporis exercitationibus gaudeant; alij, quòd decurtatas veſtes gerant: perinde ac ſi hujuſmodi rebus & ritibus Lacedæmonii reliquos Græcos ſuperent.* Sed ut iſtuc redeam,

deam, non dicendo, ſed ſcribendo mentem ſuam interdum occultabât, belli cauſſa. A. Gellius lib. XVII. cap. IX. *Lacedæmonii autem veteres, cùm diſſimulare & occultare litteras publicè ad imperatores ſuos miſſas volebant, ne, ſi ab hoſtibus ea capta forent, conſilia ſua noſcerentur; epiſtolas id genus factas mittebant. ſurculi duo erant teretes, oblonguli, pari craſſamento ejuſdémque longitudinis, deraſi atque ornati conſimiliter. unus imperatori in bellum proficiſcenti dabatur: alterum domi magiſtratus cum jure atque cum ſigno habebant. quando uſus venerat litterarum ſecretiorum; circum eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant, volumine rotundo & ſimplici; ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. litteras deinde in eo loro per tranſverſas juncturarũ oras, verſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, inſcribebant. id lorum litteris ita perſcriptis revolutum ex ſurculo imperatori commenti illius conſcio mittebant. reſolutio autem lori litteras truncas atque mutilas reddebat; membraq; earum & apices in partes diverſiſſimas ſpar-*

ſpargebat. propterea ſi id lorum in manus hoſtium inciderat; nihil quicquam conjectari ex eo ſcripto quibat. ſed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat; ſurculo compari, quem habebat, capite ad finem, proinde ut debere fieri ſciebat, circumplicabat: atque ita litteræ per ambitum eumdem ſurculi coaleſcentes rurſum coibant; integrámque & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabant. Breviter & ſemel dicam: neque enim lubet ταυτολογεῖν: Lacedæmonii, Lycurgi inſtituto, ut auctor Plutarchus De Garrulitate, premebant verba, promebant mentem, pectore potiùs, quàm ore Eloquentes. Quid verbis opus eſt? Formam ipſam è Plutarchi Lycurgo propoſui: *Imbuebant pueros, ut oratione uterentur, quæ Acrimoniam haberet mixtam venuſtate, & multùm ſenſus paucis verbis comprehenderet.* Neſcio profectò quid addam ampliùs. Inſtructam Brevitatem vides, id eſt Laconismvm ipſum, *Acrimonia, Venuſtate, Copioſo ſenſu.* Tu tamen clamas,

Laconismvm; *balbutiem eſſe: ſemitam ad* Laconismvm, *ignorantiam.*]

Hoc

Hoc illud eſt, *Nivem atram eſſe:* viros doctos, rudes. Diffluere lingua facile eſt: ingenio & induſtria, doctrina & prudentia opus, ut quis rectè Laconiſſet. Sic igitur locum ſinúmque proverbio tuo pando,

Difficilius *eſſe Laconiſſare, quàm Philoſophari.*] Laconismus enim facunda quædam Philoſophia eſt; imò difficilis Eloquentia eſt; niſi Natura inclinatus ſis, & à Puero aſſueſcas. Sed hac Natura, imò hac Induſtria Lacedæmonii fuêre. Ac de Natura, palàm eſt: de Induſtria, Heraclidem Ponticum auctorem laudo: *Student inde uſque à pueritia breviter loqui.* Nil mirum igitur, Lacones Iſocrati ad Aſianum characterem difficiles videri. Difficile enim dediſcere, quod longo ſtudio curáque didiceris. Ais verò,

Difficultatem *hanc ipſam ad* Laconismi *notam accedere velut cumulum reprehenſionis.*] Quid ita?

Siquidem *nihil magis quàm quod dedecet, operoſum eſt ac difficile.*] οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, *Nihil ad Bacchum.* Scio ego,

Viro

Viro *Bono difficile eſſe Viri Boni nomen maculare:*] Pittaci tamen dictum appono & oppono (Plato explicat Protagora:) *Bonum manere difficile eſt.* Et evadere in Virum Bonum,

Hoc opus hic labor eſt. pauci quos æquus amavit
Iupiter , aut ardens evexit ad æthera Virtus,
Dis geniti, potuêre.

Virum autem Bonum, etiam Oratorem, cum Catone intelligo, eúmque Laconicvm: & Virtutem, Artémque ſimul pono & paro. Annon ex Ariſtotelis præſcripto: *Circa id quod difficilius eſt, Ars & Virtus verſantur.* Difficilis igitur Laconismvs; quia cum Arte & Virtute conjunctus eſt: imò quia pro *Auctoritate* & *Exemplo* eſt, & utrumque ſolet uſurpare. Tu verò ad ævum ſapis, &

Avctoritatem *Iuriſperitis tribuis.*] Ego veteres Iuriſconſultos veneror: & ſic Ius quoque, quod veteres, imò quod Lacedæmonii habuerunt. Deinde

Exempla *Hiſtoricis.*] Mirabar, an & iſt-

& iſthæc Iuriſperitis. Sanè Hiſtoriam Lacedæmoniorum etiam hodie admiramur. Fines igitur LACONISMI in arctum ne reſtringas : quicquid alius multis, paucis ego tibi, (liceat dicere) acriúſque reddam.

Quod de *Fabulis* addis, imbecillum eſt. Veram Poëſin Sparta habuit, & veros Poëtas. Annon tales, Tyrtæus, Terpander, Alcman, Splendon, alii? Heraclides, & Plutarchus dicent. Infers tamen:

QVARE LACONISMVS, *quantum detrahit Eloquentiæ : tantam maculam Majeſtati inurit Regiæ.*] Quæ iſta ἀκολϑία eſt? imò quod iſtud Paradoxum? non è Stoica, ſed Aſiana ſchola. LACONISMVM, Characterem eſſe Regium, in ENCOMIO oſtendi: integræ rationes meæ ſunt. Sed novam tu opponis.

NAM *Eloquentia non ſolùm eſt ars ſuadendi, ſed etiam imperandi.*] Logica, & liberalis mehercle iſta Definitio, qua & Regem, Rhetorem facis; & Rhetorem, Regem. Scilicet, quod Iuvenalis ait,

Si

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Meliùs Demetrius: καὶ τὸ μὲν ἐπιτάσσειν, σύντομον καὶ βραχύ: *Et imperandi quidem ratio contractione ac brevitate gaudet.* Sed perſiſtis, & contra commune niteris mortalium omnium decretum.

Nvllvm *enim eſt, ſi ſapimus modò, firmius Imperii vallum, quàm quod Eloquentiæ nervis & viribus tenetur ſtipatum.*] Eloquentiæ? imò verò Sapientiæ, ſi Platonem audis. Oratio Regis preſſa & contracta ſit: Virtus magna & diffuſa. Benè reget, qui ſapiet; non qui loquetur. & cùm loquetur, miſſo molli & Aſiano more, gravem & maſculum, id eſt Brevem, aſſumet. Demetrium Phalereum audio: *Nam præcepta & juſſiones, quæ Principi conveniũt, brevibus verbis formantur; preces autem, quæ humilioribus, verboſæ & longæ eſſe debent.*

Tu verò iſthuc redis:

Non *eſt in* Laconismo *Brevitas, ſed vitium Brevitatis.*] Tranſpone

ſenſum, veniéſque ἔσω αὐλὴν τὴν θύραν, *Ad ipſas fores. Non eſt in* LACONISMO *vitium Brevitatis, ſed Brevitas.* Quid oberramus eâdem chordâ? IN ENCOMIO Definivi: *Multa paucis dicere, ſed cum Sale & Venuſtate, Laconicum eſt.* Si paucis, quædam ſupprimenda neceſſariò ſunt, quæ ipſo ſilentio ſuaviter ſe inſinuent ac prodant. Vnde, in uno interdum verbo plena & facunda ſententia eſt, quæ dum ſuſpendit, trahit & penetrat audientis animum repentino quodam aculeo, ſive telo. Aliud, ut in faſcem vicinos aliquot opinionis tuæ ramos colligam ac tollam, aliud, inquam, ſcio griphũ & ænigma eſſe, aliud LACONISMVM atque Apophthegma. iſthîc Obſcuritas, hîc Brevitas eſt. iſthîc vitium, hîc virtus. Virtus inquam, quæ verba compendio colligit & contrahit rem ipſam ubertate ſenſus extendit & oſtendit. Longum nimis, ac jam ſuperfluum, exempla recenſere: etiam breviſſima quæque laudata, & ab omni Antiquitate miro applauſu excepta ſunt. Ita dico, breviſſima, & quæ in u-

nica interdum dictione. Miraris autem,

Cvm *in* Laconismo *ſit orationis brevitas, quî unica dictio eſſe, aut dici poſſit oratio.*] Quid iſtud? Laconismvs non eſt oratio; ergò nec brevitas orationis? In vna Dictione Laconismvm agnoſco: tu obliquè Laconismvm Orationem eſſe negas. Qua ſollertia? *Vna Dictio eſſe non poteſt Oratio.* Poteſt, mi Farnesi (Grammaticos ne offendamus:) pariter ut Syllaba, atque etiam Littera, Dictio eſt. Sed in Laconismo magnæ virtutis roborisq; verbum, quod inſtar multorum eſt: imò quod inſtar Dei eſt. *Monas* (ait Macrobius) *principium finisq; omnium, non ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deũ.* Vt autem in pluribus dictionibus imperfecta eſſe oratio poteſt, niſi ſenſum concludant: ſic in una eſſe perfecta poteſt, ſi concludat. Eccè, Affirmatio atque etiam Negatio oratio eſt: affirmare autem & negare ſimplici dictione ſolemus; Græcè, *ναὶ, οὐ*: Latinè, *Eſt, Non.* Auſonius pulchrè, Edyllio, cui

titulus, Ναὶ καὶ οὐ πυθαγορικόν:
EST, & NON cuncti Monoſyllaba nota frequentant,
His demptis, nihil eſt, hominum quod ſermo volutet.
Omnia in his, & ab his ſunt omnia, ſive negotI,
Sive otI quidquam eſt, ſeu turba, ſive quietis,
Alterutro pariter nonnunquàm, ſæpè ſeorſis
Obſiſtunt ſtudiis: ut mores, ingeniumq́;
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta eſt.
Si conſentitur, mora nulla intervenit, EST, EST.
Sin controverſum, diſſenſio ſubjiciet, NON.
Hinc fora diſſultant clamoribus; hinc furioſi
Iurgia ſunt Circi: cuneati hinc læta theatri
Seditio: & tales agitat quoque curia lites.
Conjugia, & nati cum patribus. iſta quietis
Verba ferunt ſtudiis, ſalva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis ſchola conſona diſciplinis,
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc

Hinc omnis certat dialectica turba Sophorum.
Est *lux* : est *ne dies ergò ? non convenit iſtuc.*
Nam facibus multis, aut fulguribus quoties lux
Eſt nocturna homini; non eſt lux iſta diei.
Est & Non *igitur, quoties lucem eſſe fatendum eſt;*
Sed non eſſe diem mille hinc certamina ſurgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes,
Murmure concluſo rabioſa ſilentia rodunt.
Qualis vita hominum, Duo quam Monoſyllaba verſant!

Hæc eadem Laconismi etiam jure cenſebuntur, cùm ſyrma trahent longioris & amœnioris ſenſûs. Neque enim omnis in compendium redacta reſponſio; ſed dictionis ἔμφασις Laconismum facit: *quæ*, ut Quinctiliano accedam, *plus ſignificat quàm dicit; atque etiam id quod non dicit.* Conſtringi autem reſponſio debet, imò omnis oratio, & ſupprimendæ atque etiam abſcindendæ voces quædam; ut al-

 tio,

tior intellectus evadat. Sic igitur,

ALIVD *eſt* LACONISMO, *aliud Brevitate uti.*] Omninò aliud. Brevis eſſe etiam rudis poterit: LACONICVS, niſi prudens & peritus, non poterit. Brevis erit, qui pauca dixerit: LACONICVS, qui multa paucis. Sed obſecro, quid hîc *Dominus Monoſyllabus?*

LACONISMVM *ſequi poteſt, Brevitatem non poteſt.*] Imò verò Brevitatem poteſt, LACONISMVM non poteſt. Nam etſi compendiario vocis imperio ſervos tenet; non tamen Spartana indole aut nobilitate cenſendus eſt. Ipſum proverbium plenè & καθόλȣ formatum video apud Demetrium; πᾶς δεσπότης δȣ́λῳ μονοσύλλαβος: *Omnis Dominus ſervo uniſyllabus.* Sed hæc univerſitas LACONISMVM quomodò trahat? Diffuſior Sparta, quàm ipſa Græcia ſit. Quid ſi verò à Domino ad Servum adagium transferam, & hunc Vniſyllabum vero & univerſali ſenſu dicam? Dico, transfero: πᾶς δȣ̃λος δεσπότῃ μονοσύλλαβός ἐςι: *Omnis ſervus Domino uniſyllabus eſt*: Levis mutatio aut tranſpoſitio eſt,

facilis

facilis conjectura. Vniſyllabus enim ſervus cenſendus eſt, quia voces tantùm uniſyllabas audit, imperio uniſyllabo obnoxius. Quid ſi dicamus etiam, Vniſyllaba olim nomina ſervis ob humilitatem ſortis imponi ſolita; ut compendio appellationis admoniti compendiarium herilem eſſe ſermonem, adeſſent promptiùs, dictóque parerent, longam verborum ſeriem non exſpectarent? Neque tamen ergaſtula laxo, ut in exemplum mancipia colligam. Servulus ille Epicuri, apud Athenæum, adagium adſerat, qui μονοσύλλαβος fuit; & breviſſima ac contemptiſſima vocula Μῦς appellatus. Ceterùm magna nomina magnis ſemper fuêre. Lepidum ſanè Luciani de Simone quodam calceolario ſive cerdone *Somnium* eſt. Is hereditate inſperatò auctus, etiam grandire nomen voluit. Itaque ſalutatus à vicino *Simon*, tulit indignè; converſúsque ad ſervos, *Edicite, inquit, mendico iſti, ne nomen meum diminuat: neque enim Simon, ſed Simonides appellor.* Hanc etiam *ſtultitiam patiuntur opes*: rectéque eodem

Dialogo Lucianus: *Sed ad Simonem, qui pro Diſſyllabo Tetraſyllabus eſſe affectet, poſtquàm in divitias datus.* Sed nos de ſyllabis verba terimus. Dominus, an ſervus μονοσύλλαβος ſit, μονοσύλλαβοι, id eſt Grammatici judicent: LACONICVS certè erit, ſi uterque ſapiet.

NVNC igitur manum de tabula: quia, Pindari calculo, *Iuſtam ad cauſſam tria verba ſufficient.* Ego verò pluſcula jam feciſſe videar, præter LACONISMI leges. Quid tamen? ſi pluſcula cenſes, deſiderio tuo obſecutus ſum: ſi pauca, LACONISMO ſuffragatus. Tu namque, velut ab Amico Vbertatem exigis: LACONISMVS velut à Patrono Brevitatem. Sic igitur duorum hominum munere una opera functus ſum. Nam & Amico reſpondi, & pro LACONISMO reſpondi. Tu meus, & hic meus eſt: & ſic æquato jure, ut tu cauſſa mea *Palinodiam canere* paratus es: ita LACONISMVM ego tua impugnare. *Nam* (ut verba tua amplectar) *Amicorum non ſolùm debet eſſe mutuus Amor, ſed etiam Iudicium; nec communis tantùm ſenſus*

ſenſus,ſed etiam voluntas. Vale. Mediolani XII. Kal. Mart. ∞. IↄC. VI.

Hæc *ad* Farnesium : *nunc quæ ad ipſum* Saccum ,*velut arbitrum litterariæ litis, ſimul audi.*

Io. Bapt. Sacco.

Laconismi hæc cauſſa te judice,tanquàm Ephoro,peragatur, Clariſſime & Doctiſſime Vir, parva quidem,ſi mores Noſtros ſpectes:magna,ſi Antiquos; & ſic prudentia,doctrina, auctoritate tua digna : atque adeò in parte tua: *De Stilo & Sermone* agitur,in quæ pauci inquirunt hodie, poſtquam à bonis artibus ad vaniſſima Avaritiæ & Ambitionis ſtudia ævum ſe convertit. Sed in hoc fallimur ſtulti, quòd, ſpreto oris animiq; cultu, in legibus, litibus, ſordibus Rempublicam ponimus, & ad quæſtum palàm ambimus Iuſtitiæ imperia,ſive ſacra. Ergò Doctrina nobis in arca eſt,felicitas in pompa; ſi privatim luculenta omnia, publicè ambitioſa: ſi domi ſervorum agmina,ad

Ee 5 mini-

miniſterii mollitiem; foris clientum, ad famulatum tumoris. Quòd ſiquis veram veterémque vitæ viam ingreſſus, delicias animi Sapientia, oris gratiam Eloquio colat; publico ſuffragio inter quiſquilias Reipublicæ habetur. Itaque in foro curiáque occupari, honeſtum putant: in Scholis & Litteris, ſordidum ac plebejum. Iam, de heredio & hereditate lites & judicia laudata ſunt: de virtute, eruditione, ſtilo, ceteróque animi patrimonio, rejecta. Totum hoc, loqui, ſcire, ſapere, in nobis eſt: illud, habere, poſſidere, extra nos. Nemo ſtilum mihi, litteráſque objiciat! Sapientiæ hæc inſtrumenta ſunt, quibus occupari honeſtum honeſtus dicet. Sed jam ad plurium exemplum non invitus componor: in litis quadam palæſtra ſum, & ſtilo de ſtilo contendo. Dies dictus eſt; & tu Iudex Clariſſime & Doctiſſime Vir; ut inter PVTEANVM & FARNESIVM, id eſt inter Amiciſſimos, de optimo genere Elocutionis pronuncies. Neque ſuperſtitioſè tibi cauſſam BREVITATIS commendabo

mendabo aut aperiam. quorsùm? Tu ingenio rectus, judicio acer, non oculis ſolùm, ſed animo ipſo Argus, veram & incorruptam per te ſententiam laturus, quam ſequemur. In LACONISMO nubes & tenebras nonnulli clamant: tu claram & meridianam lucem. ſed noctem illi: diem tu adſpergis, & ingenii quadam face ea ipſa illuminas, quæ legis. Itaque, ſi tuo unius judicio juſtam Stili cauſſam laudaſſe ac defendiſſe videar; honeſto elogio clarus apud bonos laudatusq; ſum. Apud bonos, id eſt claros & laudatos. *Claritas*, ut pulcherrimè Seneca Epiſt. CII. *non deſiderat multa ſuffragia: poteſt & unius boni viri judicio eſſe contenta. Nam omnes bonos bonus unus judicat.* Etiam dico? *Si de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes boni idem ſentirent. omnes enim, ſi me cognoverint, idem ſentient.* Tu certè Bonus ille es, qui niveo animo ſtilóque, in paucis tuorum civium, ſapis ad priſcam illam normam, atque etiam ſcribis: qui in publico & egregio munere Prudens, Integer, Diligens; cum applau-

applauſu non Vrbis dicam, ſed Provinciæ, Arcana Senatus, ſive Regis, adminiſtras. Sic igitur auctoritate tuà, Litterariam Controverſiam hanc compones: in qua ſedulò operam dedi, ne unum hunc offenderem, ſcripto animóque Amicum: deterrerem potiùs, qui decretoriis in LACONISMVM ſtilis inſurgebant. Salve.

FINIERAM: &, convolutis ſchedis, Eià, inquam, BIFFI, à tibiis ad tubas. his enim, ut à viris doctis adnotatum eſt, receptui Lacedæmonii canebant. Sed BIFFIVS, auribus credo longiùs vectus, & avectus, vocem nullam emittebat. Itaque excitavi hominem, & præſentem eſſe juſſi. Ac ille interpellatus, Adſum, inquit, & jam mentem revoco, etſi renitentem. Velut merſus LACONISMO, univerſum PATROCINIVM ruminabar. Quid autem? mirer, an laudem BREVITATIS tuæ vim? *Volentem ducis, nolentem trahis.* In tuis nunc quoque caſtris ſum, & LACONICA teſſera profi-

profiteor *Brevitatem.* Dum loquitur, puer rectà ad podium venit, cum litteris, quas in foro Palatino traditas ſibi ajebat. Avidus arripio,&,inſpecto ſigno, O opportunum Mercurium! inquam: à Farnesio ſunt. Biffius novo deſiderio correptus,lateri ſe meo junxit, & ſolicitare lectionem cœpit. Ego,ne cupientem cruciarem, è veſtigio vinclum epiſtolæ rupi, atque recitavi.

Erycio Puteaño S.

Nemo, Puteane, Amicorum optime, ex tuis ſcriptis plus,quàm ego,capit ſuavitatis. Quare non ſine magno compendio viſus ſum tuo Laconismo reclamare. Nam quod ad me dediſti Laconiſmi Patrociniũ, eſt ejuſmodi, ut ex eo, tamquam ex cella & horreo Eloquentiæ, fruges capiam omni Laconiſmo uberiores. At quid eo apud me eges Patrocinio, cùm in ore tuo, & ſermone, ut ſcripſi, acquieſco? Pergratum tamen tibi pariter ſit volo. ex eo enim intelligis nihil

hil eſſe tam horridum & incultum, quod non ſplendeſcat oratione: nihil tam incredibile, quod dicendo non reddas probabile. Quaſi verò parva ſit orationis laus ex muſca elephantum facere, aut lyram Orpheo, ad ſaxa movenda extorquere? Amo igitur tuum dicendi inſtitutum: copiam laudo, qua etſi nemo, ut Cicero ſcribit, in Laconum genere fuit orator, omnes tamen propè Lacones facis oratores, cùm eorum dicacitatem & cavillationem, in quibus toti erant, ſumma orationis laude honeſtas & gloria. Felices verborum ſales, quorum ſuavitate mel omne exæquatur orationis. Sed tuum eſt, mihi crede, non Laconum artificium: quod quoniam plenum eſt ingenii, multáque eruditione adſperſum, non poſſum te in eo non vehementer laudare. quid? gaude tibi: hoc eſt, mihi gratulare, qui te amo, meámque felicitatem tuo metire pede; quia non propria eſt, ſed communis. Sacco Secretario multis nominibus plurima debeo: plura tuo nomine, qui me tum maxi-

maximè attollit, cùm te in cælum effert laudibus: qui me umbram ſecum ad felicitatem vehet: qui neſcit virtutem ſine virtutum ſtudioſis amare: qui denique non vultum, ſed pectus & animum habet in manu. Age igitur: hoc ſit tuum deinceps, non Laconiſmi, ſed Farnesii Patrocinium, ut Saccvs me in ſuam fidem recipiat, curétque cum Senatoribus, ut, qui mihi debentur ex ſuperiori anno ducenti aurei, quamprimùm perſolvantur. Tuum eſt, qui faces geris Veneris, Amorem accendere: meum, de te conqueri, niſi eos ad hanc rem ardere videam. Non ego nummarium curatorem requiro, ſed ſuadendi & diſſuadendi opificem, verúmque Amicitiæ obſidem Pvteanvm compello. Vale: ego de eo quod res, quod ſors, quod tempus tulerit, Pegaſum exſpecto nuncium tuum. Spero fore, ut brevi meas extrudam lucubrationes, in quibus cognoſces, quàm ſine fuco, quámque ardens ſit Farnesii erga Pvteanvm Amor.
Ticini, Pridie Nonas Mart. cɪɔ.ɪɔc.vɪ.

VVLTVM erexeram,& epiſtolam in ſinum condens, Tragemata, inquam, habes, BIFFI, Amoris iterùm & Ingenii plena. Certè, inquit BIFFIVS: ſenſi utrumque; etſi, ne delicias meas celem, dubiò etiam aut ancipiti palato. Suavis Amor, acre Ingenium eſt: ſed quàm laudabili mixtura! Gratiam neq; Amor Ingenio demit, neq; Ingenium Amori. Te FARNESIVS amat: an LACONISMVM, neſcio. in te agnoſcit Eloquentiam: in LACONISMO negat. Hũc in ea ponit hæreſi (verba Ciceroniana producam, quæ reſpexit, & in parte uſurpavit, Præfatione ad Paradoxa) *quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum; ſed minutis interrogatiunculis, quaſi punctis, quod propoſuit efficit.* Ad te verò reliquum ſententiæ refert, *Nihil eſſe tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tamquam excolatur.* Quid mireris PVTEANE, alii alio ſenſu ducimur. Breviter loqui, plus fructus habet & ingenii: copioſè, plus

plus pompæ. Eſt, ubi cum laude brevis ſis: eſt,ubi copioſus. Sed noſtri Oratores, verbis floridi & abundantes (utinam citra-vitium omnes!) *Nihil volunt inter homines melius credi, quàm quod ipſi tenent*. Vos currite hoc bonæ Famæ ſtadium,ad metam tendite: tu Laconismo ſive brevitate, Farnesivs, Copia. ego quoque,ne ſine fructu adfuerim, laudabo profuſam illam & uberem dicendi felicitatem; ſuccinctam vegetámq; imitabor. Sed nos ecce quàm ſuaviter in hoc ſermone fuimus! fluxit dies,

---*& invito proceſſit Veſper Olympo.*

Nec mora, compoſitis palliis, in Porticum greſſus protulimus,ac in ipſum forum. inde ſuam uterque domum conceſſit.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA VIII.

THYRSI PHILOTESII, SIVE Amor Laconiſſans.

Ad V. *Nobilem & Prudentem,*

MAXIMIL. PLOVVIERIVM.

SINE *pompa aut apparatu, Xeniolum hoc tibi adorno, Vir Nobilis;* & AMOREM *Amicitiæ noſtræ dono, ſed Aculeatum. Qui alibi Lingulaca, hîc* LACON: *qui arcu alibi aut igni armatus, hîc* THYRSIS, *& ſine furore furit, ſine plaga ferit; non Veneris, ſed Virtutis puer, Fidei & Conſtantiæ alumnus. Laconicè dicam:* AMOREM *dono, qui nos* jun-

junxit, illum cum honeſtate nudum, illum ſine phaleris aut fallaciæ lecythis. Nimiæ & exuberantes blanditiarum gemmæ fraudis miniſtræ ſunt aut comites. Spurium affectum ſuſpicare, cùm picto & Aſiatico verborum lenocinio adumbratur: qui verus germanusq́ꝫ, extra nubem eſt, & quales Gratiæ pinguntur. Faces lychnóſque vidimus non ſine fumo lucere: at in ſuperis illis plagis puros & perennes ignes. ita planè hominum quorundam animi terreni ac ſordidi, non ſine fuco atque caligine pectus habent: ſed qui alta illa & ætherea aura imbuti ſunt, eadem accenſi amant. Itaque magnum ſacrumq́ꝫ AMICI *nomen eſt; ſed veri: tuum pariter, mi* PLOVVIERI, *qui cæruleum & cæleſtem divinæ mentis ignem animo oculisq́ꝫ ſpiras, nomine indicas; tam amare facilis, quàm accendis Amore dignum. Ego verò talem me agnoſcere nunc cogor, quia amor: te colere atque venerari, à quo amari contigit. Primus feliciſſimæ hujus mutuæq́ꝫ prothymiæ interpres & proxeneta* SANDERIVS *noſter fuit, vir animo ingenióque rectus, & quod inter laudes ejus pono, virtutum tuarum encomiaſtes non ignavus. Quid verbis opus? tales*

repperi, quales prædicavit. Candorem extulit? pectore moribusq́; niveus es, ac planè lacteus. Elegantiam? tanquam ipſis Gratiis natus. Eruditionem? vivendo, agendo, ſapiendo doctus, litteras illas quibus Scholæ ſuperbiunt tranſcendiſti. Prudentiam? res & ſecreta non unius Principis, ſed cum laude, adminiſtraſti. Mitto reliquas integerrimæ naturæ dotes, quibus laudantis conatus impar ſit, etiam uberiori eloquio inſtructus. Laconiſmum tuum hîc profiteor: deſigno potiùs laudes, quàm exprimo; & mea memor, amplius etiam Modeſtiæ tuæ tribuo, quàm ceteræ Virtutes mereantur. Cape igitur, ut dixi, ſine pompa aut apparatu Xeniolum iſtud, cape AMOREM *Amoris ſignum, cape* THYRSOS *bono affectu velut hedera virentes. Stili ſermonisq́; Laconici quidam* ACVLEI *ſunt; ſcriptiunculæ quædam calidæ, repentinæ, ac prorsus extemporaneæ; ut ejuſmodi dare Amicis Symbola, atque adeò nondum Amicis ſoleo, & velut impetu conſignare. In colligendo atque reſcribendo ſicubi verbo ſententiam acui, obiter & modicè factum, & licere arbitratus ſum, ut rei potius quàm perſonæ aptarem. Unde & nomina detra-*

cta

ſta ſunt, quod Amici patientur, non Amici, ſiqui erunt, ferent. Tu ſi voles, aut tuum ſubſtitues, aut quorum voles. Tua enim hæc CENTVRIA *eſt; & ego tuus.*

PLVTARCHVS.

Ἀλλ᾽ ἔμοιγε δοκεῖ τὰ τῶν Μουσῶν ἔργα καὶ δῶρα μᾶλλον, ἢ τὰ τῆς ἈΦροδίτης ΦΙΛΟΤΗΣΙΑ εἶναι:

At verò, mea opinione, Muſarum opera & dona magis quàm Veneris Philoteſia.

THYRSVS I.

ACVLEVS. *Sapiens ubique civis, & Amicos ubique invenit.*

MEAM *Lare ſecreto* tellurem vovere ſoleo. Fruſtrà. mea enim quæcumque eſt: & Philoſophari poſtquàm didici, vivere toto orbe didici; publicè etiam privatimque bonam Mentem non amare tantùm, ſed docere. Sic ubique civis, Penates & A-

priuſquàm vidi; vehementiùs, poſtquàm vidi. Tu me ama ſic amantem, quem videre voluiſti, ut amares.

THYRSVS IV.

ACVLEVS. *Citra beneficium Amor, citra Amorem beneficium eſſe poteſt.*

IVRE Amicum te appello, quem patronum & benefactorem expertus ſum. Benefactor eras, priuſquàm amicus, ut Amorem beneficio præverteres: & nunc es, poſtquàm Amicus, ſed quaſi cauſſam Amorem non habeas. Tamquàm merear beneficium, confers: addis Amorem, ut meruiſſe videar.

THYRSVS V.

ACVLEVS. *Veri Amici pauci ſunt.*

ETIAM in Amicitia diſcrimen eſt. tu ſi me amas, cum multis facis; ſi verè, cum paucis. Faciles enim Amoris cauſſæ, difficiles veri: & ſic Amicos multos habes, paucos veros. Sed te inter veros, ut viciſſim habear.

THYRSUS VI.

ACULEUS. *Durare Amicitiam poſſe, quàm duraſſe melius eſt.*

NOvus hic Amor eſt, ſed ab Honeſti auſpicio firmus robuſtúſque. Non quamdiu amarim reſpicio, ſed quàm benè: non quando, ſed quem cœperim. rectè autem cœpit, qui ob elegantes animi dotes: & perſeverat, qui ita cœpit. ego certè, qui te amare cœpi, ut amarem. Tu mutuum, ſi mereor: ſed facis, etſi non mereor.

THYRSUS VII.

ACULEUS. *Litterarum ſtudia Amorem fovent.*

QUANTUM tu Litteras, tantum ego te amo; & in Amore ego tui progrediar, ut tu in Litteris. Tuum in Litteris negotium eſt; meum in Amore officium. Sed ſuave illud tuum, & hoc meum; cùm libenter tu in Litteris, ego in Amore ſim: futurus etiam, donec eris.

THYR-

THYRSUS VIII.

ACULEUS. *Laudem Amor umbram habet, nec reſpicit.*

LAUDATUS non te laudo, ne non tam proferre judicium meum, quàm referre gratiam videar: ſed amatus amo, cùm vel non amatus debeam. Amor urget mutuum, laus recuſat; laus ex Amore naſcitur. Sic igitur à te laudor, quia amor; ſed non te laudo, quia laudor.

THYRSUS IX.

ACULEUS. *Suavis Amoris error eſt.*

MULTUM mihi, multúmque ſcriptis meis tribuis. mihi, quẽ amas; ſcriptis, quæ extollis: quaſi rarum, quaſi rara noſtro ævo. Magnus hic Amor, mirum judicium eſt, & quid niſi ſub ipſo Amoris pondere vacillans? Tu tamen, ſive ut ſic judices, amare perge; ſive ut amare pergas, ſic judica.

THYRSVS X.

ACVLEVS. *Hominem Amor Deum facit.*

QVOD Sapiens ille gravi judicio expreſſit, τὺς ἀγαθὺς ἄνδρας θεῶν εἰκόνας εἶναι:, *Viros bonos Deorũ imagines eſſe*, ut te vidi, mirari deſii, in cujus animo, vultu, ſermone quædã quaſi divinitas relucet. Virtus in animo, majeſtas in vultu, Suada in ſermone. Has imagines, an potius Deas? veneror: te verò non tamquam imaginem Dei, ſed quaſi Deum.

THYRSVS XI.

ACVLEVS. *Vt Famæ, ſic Amicitiæ mater virtus eſt.*

CLARVM te ſcriptis, bonum moribus amo & obſervo, qui ſcriptis & moribus mortales tibi omnes concilias, utriſque immortalis. Imitentur quicumque boni & clari eſſe cupiũt, & exemplo tuo ſcribant, ut clari ſint; tuo item vivant, ut boni ſint: ſcribant & vivant, ut Amici ſint.

THYR-

THYRSVS XII.

ACVLEVS. *Amorem mutuum conſenſus facit, diuturnum cauſſa.*

AMOR mutuus, qui Amor optimus, inter nos eſt ſenſu & conſenſu pares; eritq́; quia à virtute & doctrina natus. tu utramque illam poſſides, ego quæro: tu quærentem, ego poſſidentem amo: nec deſinam, donec ipſe poſſidebo; ut tu poſſidere numquam deſines.

THYRSVS XIII.

ACVLEVS. *In Amore laus, in laude Amor eſt.*

CANDOREM & humanitatem tuam gemino colore pingo & pango, Amoris & laudis. Amo candorem, & hic Amor contracta quædam laus eſt: laudo humanitatem, & hæc laus expreſſus Amor. Amo verò & laudo, quia ipſe ego non infelici Amoris laudiſque fructu candorem & humanitatem profiteor; inimicus naturæ litteriſq́; niſi profitear. Candoris

doris legem natura; humanitatis, litteræ ſuadent: ego verò naturam litteráſque ſequor, & te natura litteriſq́;

THYRSUS XIV.

ACULEUS. *Sine Amico vivere mors eſt, mori pro Amico vita.*

SUMMUM Amicitiæ ſacramentum eſt, velle cum Amico vivere, pro Amico mori. Ego volo: ſed tecum, & pro te volo, qui animi & ſanguinis vinclo mihi alter es. Vivere quidem, ut vitæ fructum ex Amicitia capiam: mori, ut ſummum pretium Amicitiæ perſolvam. Non invitus autem pro Amico moritur, qui Amicus ſine fuco vivit. Vivit etiam, qui ſic moritur.

THYRSUS XV.

ACULEUS. *Dignum ſe bonorum præſtat Amicitia, qui malos deſpicit.*

VT non omne metallum Magnes: ita nec omne ingenium Genius Muſarum trahit. Lucrum alios, faſtus alios, & vota profani vulgi. Tu felix, qui

qui Muſarum totus es,& vanas atque inſipidas iſtas mentes magno judicio, pari animo faſtidis. Ego judicium amo, animum laudo, utrumque veneror: te ob utrumque & amo & laudo & veneror.

THYRSVS XVI.

ACVLEVS. *Vbi reciprocus, etiam conſtans affectus eſt.*

MONVMENTVM cape Amoris ac Fidei, & tu quoque redde Amoris ac Fidei; ut reciprocus,& quod ſequi ſolet,conſtans affectus ſit,veros maturóſque fructus producens. Veri autem & maturi fructus ſunt, verè & conſtanter amare. omnia enim Amici cauſſa facit, qui verè & conſtanter amat.

THYRSVS XVII.

ACVLEVS. *Ad tranquillitatem navigant, quos Amor dirigit.*

IN eadem navi ſumus, & per eoſdem fluctus, ventos, remoras ad tranquillitatem bonæ Mentis pro-

peramus: ego Eloquentiæ, tu Sapientiæ remigio, ſed pari & concordi. Hæc paritas in Amore eſt, concordia in Profeſſione; & ſic Amor Profeſſioni, & Profeſſio Amori ſtimulus eſt. Amandi enim hæc ipſa docent ſuadentq; officium, quæ profitemur.

THYRSVS XVIII.

ACVLEVS. *Amoris radix in pectore, rami in ore: ſed fructum ſine candoris ſucco non reddunt.*

BONVS & conſtans Amor, animi, non ſermonis eſt: tu bene & conſtanter amari ſi velis, ad ſermonis formam animum compones. Ille blandus & amœnus eſt: hunc talem candore facies. Sed te meo & candidorum omnium Amore dignum.

THYRSVS XIX.

ACVLEVS. *Vita vita Amor eſt, nec perfectus, niſi unus.*

GENIVM ego meum tuum dico, & amo; nec in uno jam corpore vivere

vivere mihi videor: imò jam vivere, poſtquàm amicum nactus ſum. Iungit animos, copulat affectus Amor, & duorum naturam velut unius facit, ipſe unus: ſed perfectam facit, quia unus, in quo perfectionis omnis ſumma eſt.

THYRSUS XX.

ACULEUS. *Aeterna Amicitia eſt, quæ colitur ut in exemplum veniat.*

VERÆ & æternæ Amicitiæ, verum exemplum, æternum monimentum ſeculo demus: exemplum moribus, monimentum litteris. Moribus, qui niſi boni honeſtique, in exemplum non mittendi: litteris autem perennare hoc inprimis poteſt, quod bonum eſt.

THYRSUS XXI.

ACULEUS. *Verus Amor non eſt, quem Fortuna mutat.*

OLIM tibi Amicum me dixi, nunc ſcribo, poſtquàm reapſe me Amicum præſtiti: præſtiti autem, quia olim

lim dixeram. Alius eras, cùm amare te cœpi:nec deſii,cùm alium repperi; quia non tua,ſed Fortunæ culpa. Tu modò animum rectum ſerva, emendari illa poteſt: me, & bona ſtudia ama,quibus poteſt.

THYRSVS XXII.

ACVLEVS. *Facilis in virum virtute clarum Amor eſt, nec latere poteſt, niſi ut erumpat.*

IGNIS & Amor es: hoc igne & hoc Amore ardeo, utroque puro, ut tu purus, fuligine ſordibúſque jacentis vulgi altior. Non terræ,ſed cæli pars es, aſtrum es; & dii ingenii radiis, quem calefacis,accendis. Sic te amo, & amavi,etſi non oſtendi. Nam ut rubens Iovis dextera intima quædam corripit,extima non lædit:ita tu mihi non vultum, ſed animum ac medullas. In animo igitur ac medullis latuit hic ignis & hic Amor, nunc exarſit,erupitque.

THYR-

THYRSVS XXIII.

ACVLEVS. *Summum Amoris votum, ut perennet.*

NOVVS annus eſt, ut tu mihi novus Amicus. anni cauſſa Xenium, Amicitiæ, teſſeram lætus lubens mitto; & utrumque voto concepto comitor: annus ut felix, Amicitia ut perennis ſit. Felices & perennes ipſi futuri, ſi annis & Amicitia utemur.

THYRSVS XXIV.

ACVLEVS. *Vni qui bono viro placuerit, omnibus placebit.*

ARAM Amori tuo debeo, qui velut ſplendens facula multorum & meliorum mihi animos accendit. Atque hæc accuratiſſimi judicii tui auctoritas eſt, ut quem ames, multi & meliores ament; quem laudes, laudent. Amas enim quem laudare poſſis: laudas quem non amare non poſſis. Hoc ſimpliciùs ſecuriúſque, quòd in te omnia iſta, quæ ſive amas, ſive laudas.

THYRSVS XXV.

ACVLEVS. *Inter virtutes elegantiáſque Humanitas Amori proxima.*

MAGNAM dignitatem magno virtutum & elegantiarum ſplendore ornas; è quibus prudentiam alii, doctrinam alii, eloquentiam alii: ego verò iſtas, & alias; ſed inprimis humanitatem amo & æſtimo, qua cives tuos tamquàm Pater complecteris, & me tamquàm Civem.

THYRSVS XXVI.

ACVLEVS. *Sinceram Amicitiam Honeſtas facit: ad hanc, & per hanc ad ſublimitatem Litteræ manuducunt.*

IVNGO dexteram, & Amicitiam juro, *ſine fuco ac fallaciis, more majorum.* Illam bonam, illam honeſtam, tibi bono & honeſto. Talem te genus, mores, ingenium faciunt, magiſque facient, ſi perrexeris *---Deorum Muneribus ſapienter uti.*

Cogita illud etiam, te ad magna per hono-

honeſta ire, ſed ſine litterarum manuductione pervenire non poſſe. Itaque Litteras & me quoque cogita: litteras & me quoque ama.

THYRSVS XXVII.

ACVLEVS. *Fucus Amoris tabes eſt; Famæ, ambitio.*

PARI te lance publicè celebro, privatim amo: utrumque multùm, & cum multis. Amo ſine fuco, celebro ſine ambitione: & ut pariter amer atque celebrer, votum meum eſt, publicum privatúmque.

THYRSVS XXVIII.

ACVLEVS. *Non ſine Amoris fructu laticlavus: hic moribus, non annis cenſetur.*

PRVDENTIA & auctoritas duo curiæ lumina ſunt, & affectum cujuſque trahunt. utraque tua, etiam adſcriptus cùm in curiam non eſſes; & ſic nunc propriè tua, quia adſcriptus. Senator eras, priuſquàm fieres, cùm ſolum nomen deeſſet: & nunc videri

poſſis nondum eſſe, poſtquàm factus; cùm ſenile nomen robuſtæ huic ætati non conveniat. Vive, conveniet, & cum annis ſenex eris, qui ante annos fuiſti; canis rugisq; venerabilis, qui moribus & amoribus fuiſti.

THYRSUS XXIX.

ACULEUS. *Omnia in Amore paria.*

ANNULUM, quia ita vis, accipio; ſed in pignus, non in munus; ut teſtari Amorem, non mereari videaris. Quòd ſi in munus putas, hoſtimentum paro; ſi in pignus, mutuum. Sic enim decet, in ęquilibrio pendere, ut paria utrobique officiorum pondera, & pignora ſint: ſed ut ab annuli hoc augurio annos Amor ferat, & ſeneſcat.

THYRSUS XXX.

ACULEUS. *Boni ſunt qui bonos amant; imò boni qui oderunt malos.*

TU mihi Amicus, & magnus es; quia in re magna ejuſdem mecum animi ac ſenſus. Abeat vulgus: mihi boni

boni voluptati; mali odio ſunt: & te quoque ſcio

Hoſtem eſſe atque inimicum hominum
morúmque malorum;
Contrà, defenſorem hominum morúmque
bonorum.

Rari autem boni iſti ſunt: ut rari qui bonos amant. tu es, & amas, hoc ipſo bonus, quia amas.

THYRSVS XXXI.

AGVLEVS. *In rerum mari vir Amicus clarúſque Cynoſura eſt, in tempeſtate portus.*

IN hoc vitæ æſtu & errore te reſpicio ſidus meum, delicium meum, amorem meum; ut dubiæ mentis clavum regam, curſúmque teneam ad felicem portum. Litteræ mare ſunt, & jactor non una unda: otium, tempeſtas, & periclitor inter Scyllam & Charybdin. Tu Minerva eſto, & quietas litteras redde, ne jacter; ſecurum otium, ne periclitor: qui ipſe magnus in litteris, quia quietus es; clarus in otio, quia ſecurus es.

THYRSUS XXXII.

ACULEUS. *Plures amandi, ut Amicum ſeligas.*

CUM multis mihi Amicitia; ſed quaſi cum nullo ſit,ita avidè tuam amplector. Quid mirum? ut ad ortum coruſci ſideris: ita ad lucem ſerenæ ac tranquillæ mentis ſe affectus laxat. Sed alii in hoc choro lucent ignes,tu illuſtras: ardent alii,tu uris. Imò ardent illi quà lucent, & tu uris quà illuſtras,doctrinæ & ingenii face. Si tanta verò utriuſq; illius vis, quanta Amoris erit? Hoc luce,& hoc arde, ut æternus ſis: hoc ure, & illuſtra,ut æternus ſim.

THYRSUS XXXIII.

ACULEUS. *Pauci boni; nec Amicus,niſi qui bonus; ſic diligendus, tamquam unum habeas.*

OPES alii, ego Amicos voveo: ſed illos veros atque bonos, illos ſine fuco & ambitione. Pauci hujus notæ:

—numero

---numero vix ſunt totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.
Sed tu inſtar multorum es, in quo omnis doctrinæ & virtutis theſaurum repperi: imò inſtar omnium es, quem amare non poſſum, niſi ut unum æſtimem; nec æſtimare, niſi ut multos deſpiciam: ſi tamen non amare deſpicere eſt.

THYRSUS XXXIV.

ACULEUS. *Fruſtra naſcuntur gemini, niſi Amore fiunt: fruſtra patrem jactant, niſi referunt.*

VNo & ſimplici Amore vos geminos complector: quos tales eſſe, ejuſdem uteri, ejuſdem nixus Natura voluit. Sed voluit, ut iiſdem moribus ſtudiiſq; eſſetis, pariter aliquando non boni tantùm, ſed magni. Eritis, ſi Patrem virum verè bonum magnúmque referetis, virum verè virum: in quo expreſſum virtutis exemplum habetis, quod ſequamini, daturi ipſi, ſi ſequamini.

THYRSVS XXXV.

ACVLEVS. *Facilem cauſſam honeſtus Amor habet.*

AMORIS ſymbolum commune nomen ſcribo, *memorabile nomen:* quod etſi à diverſa & longinqua generis origine productum, nunc etiam vitæ dignitatisq; gradu diſtat; jungi tamen & miſceri ambit, ut aqua aquæ, ut rivulus ſuo amni. Itaque ſi non generis, at certè nominis hæc quædam adfinitas eſt, quæ & ipſa Amorem provocet: ſi non vitæ aut dignitatis, ſaltem ſtudiorum, quæ & ipſa Amorem.

THYRSVS XXXVI.

ACVLEVS. *Cùm amare parùm eſt, venerari datur.*

PATRIÆ te cauſſa amo; ſed tua veneror. amare enim civis civem debet: te talem, venerari; quem Natura, Suada, Sophia, ob ingenii, eloquii; doctrinæ meritum, ſuum ſibi Myſtam elegerunt. Macte hac gloria, qua quia Patriam, me exornas quoque:

quoque:& obſtringis, quia exornas, ut te Patriæ cauſſa amem, tua venerer.

THYRSVS XXXVII.

ACVLEVS. *Non eſt perennis rivus, niſi à fonte: nec Amor, niſi ab animo.*

NOMINE & titulo Ennii te proſequor; quia tres linguas, tria corda poſſides, id eſt ore pectoréque plurimum ſapis. Sic ama, ut loqueris; imò ſic ama, ut ſapis, & amicum me habe quem loqueris, ut perennem habeas. Si enim habes, ex corde, & perfectè habes, quia triplicem, id eſt perfectum Amorem. Perennis autem Amor, qui perfectus eſt.

THYRSVS XXXVIII.

ACVLEVS. *Amorem qui petit, indicat.*

AMORIS ſignum petenti dono, etſi tu prævertis, & petendo donas. Petis enim, quia amas; & ſic ſignificas, quia petis. Ego verò dono, quia amas, par affectui tuo, quia amas; æternùm futurus, ut æternùm ames.

THYRSVS XXXIX.

ACVLEVS. *Indolem doctrina perficit: doctrinam amat, qui doctorem æſtimat.*

IN magna urbe magna familia tua eſt: in familia magnus tu eris, ſi teipſum & familiam cogitas.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Doctrina ſed vim promovet inſitam.

Vnde creatus ſis oſtende, id eſt fortem te & bonum ipſe præſta: ſed doctrinam amplectere, ut præſtes; me amplectere, qui ad Doctrinam hortor.

THYRSVS XL.

ACVLEVS. *Amicum laudat, quiſquis Amore dignum profitetur.*

QVOD fauſto ac læto Amicitiæ auſpicio ſit,

Accipe dique Fidem,----

ab amante amans. Ego cur te amem, promptiùs dixerim, quàm cur amer. Amo ob amabile ingenium, variam eruditionem, ſuaves mores; quæ ſi laudes ſunt, veræ ſunt, ac fateor ſine

lau-

laude cauſſam Amoris non exprimi. Itaque, ne egomet me laudare videar, taceo cur amor. Qua te cauſſa amo, eadem laudo: tu videris qua me ames, ne fruſtrà laudes.

THYRSVS XLI.

ACVLEVS. *Amicitia quæ bona, æterna eſt; & quiſquis ita junctus.*

DEXTERAM Amicitiæ tuæ porrigo, & affectum bona fide obſigno. bonum in te, atque adeò æternum fore. Æternum enim id omne quod bonum eſt; & tu æternus, ſi bonus, imò quia bonus.

THYRSVS XLII.

ACVLEVS. *Ingenio meremur poſteros, progenie facimus, Amore habemus.*

INTERIERAT avitus familiæ tuæ ſplendor, niſi interiiſſet. Tu tuorum ultimus progeniem claudis, ut illuſtres, qui non ſemen aut ſanguinem ad poſteros, ſed te ipſum mittis, ſcriptorum quodam nectare immortalis.

lis. Sic me ama quoque, & nectare tuo imbue, ut immortalem reddas hunc Amorem.

THYRSVS XLIII.

ACVLEVS. *Ingenium qui colit, dignum virtute & Amore præſtat.*

BENIGNA tibi natura fuit, quæ tale ingenium dedit, maturum ante annos: & tu gratus naturæ, qui tale ingenium ſtudio & induſtria alis, ut dignum virtute facias. Sed facies; Amicos etiam, qui & ingenium, & induſtriam tuam amabunt. Gignit Amorem virtus: Amor eos, qui virtutem æſtiment.

THYRSVS XLIV.

ACVLEVS. *Sapientiæ Amor humo tollit animum, artes virtutéſque parat: hæ nomen, etiam manſurum, cùm deſieris.*

QVOD boni & ſapientis eſt, *Odi profanum vulgus & arceo.* Inter bonos & ſapientes eſſe te volo: & eris, ſi vulgaria & plebeja temnes. Animum coles

les ut cœpiſti, & quibus cœpiſti, artes virtutéſque. Nobilitatem junctæ illæ parant, aut certè firmant, à majoribus acceptam. Sed tu parando, majores referes: & firmando efficies, ut referre te pariter poſteri cupiant.

THYRSVS XLV.

ACVLEVS. *Ab Amoris igni non claritas tantùm, ſed æternitas.*

FRATRES eſtis, & habere amicum ſollenni utrumque voto cupio: alterum velut Caſtorem, alterum velut Pollucem: non maris, ſed Amoris ignes. Lucet uterque claris morum ac virtutum radiis; & ſic me urit uterque plenis ac robuſtis flammis. Lucete porrò & urite, ut non alterni tantùm Amore ſitis, ſed æterni.

THYRSVS XLVI.

ACVLEVS. *Lucri qui cauſſa amant, non amant.*

PVRVS ille affectus tuus, quem perēni in me ſcaturigine derivas. Purus, quia

quia fundus pectoris tui purus, ſine limo aut ſordibus vulgarium vitiorum. Lucrum & lutum paſſim animos obſident, Amorem inquinant. Non tuum. Virtutem & litteras amas, ſed ipſas: & ſic eos, qui virtutem & litteras. Amaris tu quoque ab iis, qui virtutem & litteras. Verè amas, verè amaris, & hic nexus theſaurus eſt.

THYRSVS XLVII.

ACVLEVS. *Amica munera danti, quàm accipienti ſuaviora.*

INTER Amicos etſi prompta & mutua munera ſunt; dare tamen quàm accipere ſuavius eſt, ſi dando laudem malis, quàm accipiendo rem nanciſci. Ego laudem malo, ut honeſtum Amorem profitear. Itaque puſillum donum grandi affectu proſequor, grandem affectum puſillo dono ſincerè teſtor. Tu donum accipe, affectum æſtima, & devinctum me tibi æternùm habe.

THYR-

THYRSVS XLVIII.

ACVLEVS. *Non eſt Amicus, eſſe quamdiu ſuſpicor.*

CVM tabulas & rationes Amicitiæ inſpicio,

Sunt quos ſcio eſſe Amicos, ſunt quos ſuſpicor,

Quorum ingenia atque animos non poſſum noſcere,

Ad Amici partem, an ad Inimici perveniant.

Sed tu ex amicis certis mihi es certiſſimus:

Qui ſic promis ingenium, ut amorem provoces: ſic animum, ut fucum & fraudem deteſteris.

THYRSVS XLIX.

ACVLEVS. *Amantis cura eſt, ut bonum magnúmque Amicum faciat.*

AMICVM, alium; te meum nomino & habeo, ætate parvum, ſpe & exſpectatione magnum. Curæ autem mihi & cordi erit, ut magnum è parvo faciam, patri ſimilem, optimo & humaniſſimo virorum; cui & hoc pari-

pariter curæ & cordi eſt, ut litterarum cultu optimus humaniſſimúſque evadas. Ego voveo, pater vovet; & te meum amo, ut ille te ſuum.

THYRSVS L.

ACVLEVS. *Vivere non videtur, qui Amicitia caret; nec valere, qui Philoſophia.*

MAGNA vitæ pars, ut Amicitia, ſic Philoſophia eſt: tu mei, qui utriuſque illius magnus rarúſque Myſta. Sine Amicitia vita quædam quaſi mors eſt: ſine Philoſophia morbus. ego amare te cupio, ut vivam; philoſophari, ut valeam: vivere & valere, ut amem, atque philoſopher.

THYRSVS LI.

ACVLEVS. *Vnde quis ortus, modeſtia & mores oſtendunt: & Amicum faciunt, ſi boni.*

BONVM ingenium tuum eſt, ſtirps clara: ſed tu bonus & clarus, qui modeſtiæ præſidio ingenium & ſtirpem

pem munis, morum ſuavitate ingenium & ſtirpem commendas. Ego modeſtiam & mores amo, te ob modeſtiam & mores.

THYRSVS LII.

ACVLEVS. *Optimus magiſter Amor eſt.*

AD ſtudiorum vota properanti face & viatico opus: utrumque à me cape. Facem, quam ad ſacrum Amoris ignem accendi; viaticum, quod ex Antiquitatis penu promptum elargior. Vtere: face, ut viam quam inis, certiùs diſtinguas: viatico, ut faciliùs emetiaris.

THYRSVS LIII.

ACVLEVS. *Amare genitores tuos vis? exprime, & hunc affectum à poſteris exſpecta.*

EGREGIÆ Virtutis imaginem in patre majoribúſque tuis; in te lineamenta video, beneficio benignioris naturæ ducta. Sed imperfecta, niſi vero colore ad imaginem promo-

pariter curæ & cordi eſt, ut litterarum cultu optimus humaniſſimúſque evadas. Ego voveo, pater vovet; & te meum amo, ut ille te ſuum.

THYRSVS L.

ACVLEVS. *Vivere non videtur, qui Amicitia caret; nec valere, qui Philoſophia.*

MAGNA vitæ pars, ut Amicitia, ſic Philoſophia eſt: tu mei, qui utriuſque illius magnus rarúſque Myſta. Sine Amicitia vita quædam quaſi mors eſt: ſine Philoſophia morbus. ego amare te cupio, ut vivam; philoſophari, ut valeam: vivere & valere, ut amem, atque philoſopher.

THYRSVS LI.

ACVLEVS. *Vnde quis ortus, modeſtia & mores oſtendunt: & Amicum faciunt, ſi boni.*

BONVM ingenium tuum eſt, ſtirps clara: ſed tu bonus & clarus, qui modeſtiæ præſidio ingenium & ſtirpem

pem munis, morum ſuavitate ingenium & ſtirpem commendas. Ego modeſtiam & mores amo, te ob modeſtiam & mores.

THYRSVS LII.

ACVLEVS. *Optimus magiſter Amor eſt.*

AD ſtudiorum vota properanti face & viatico opus: utrumque à me cape. Facem, quam ad ſacrum Amoris ignem accendi; viaticum, quod ex Antiquitatis penu promptum elargior. Vtere: face, ut viam quam inis, certiùs diſtinguas: viatico, ut faciliùs emetiaris.

THYRSVS LIII.

ACVLEVS. *Amare genitores tuos vis? exprime, & hunc affectum à poſteris exſpecta.*

EGREGIÆ Virtutis imaginem in patre majoribúſque tuis; in te lineamenta video, beneficio benignioris naturæ ducta. Sed imperfecta, niſi vero colore ad imaginem promo-

veas. Hoc age, & ſimilem te patri majoribúſque redde, ut amare videaris, unde ortus es: redde, ut ipſe in exemplum poſteris & Amorem venias. venies autem, ſi naturæ tuæ ductum ſtudio & induſtria ſequeris.

Thyrsus LIV.

Aculeus. *Mercurium & Minervam Amor copulat.*

Genium Patriæ & Amicitiæ veneror, ut quemadmodum populares, ſic Amici ſimus, à Patria longinqui. Amoris affectum illa ingenuit: unde niſi amamus, non deſeruiſſe Patriam, ſed obliti videamur. Totus tu quidem Mercurii, ego Minervæ ſum; ſed in eadem tamen urbe, velut Patria: & ſic diverſis diſcretiſq; ſtudiis perfectam animorum harmoniam conflamus. Imò verò totus tu Mercurii, ego Minervæ ſum; ut priſco Hermathenæ myſterio conjuncti & velut unum ſimus.

Thyr-

THYRSUS LV.

ACULEUS. *Felix Amicitia quæ cum Sapiente contrahitur.*

SCIANT poſteri: te vita doctrinaq; Philoſophum repperi, qui
----finem ſtatuis cuppedinis atque timoris:
& hinc Amicum, qui paratus mecum è virtutis præſcripto,
Quidvis & facere & pati.
Ergò ſpes & metus abſint: te Philoſopho & te Amico, loqui cum vulgo, ſapere ſupra vulgum auſim, & ſecuro Sapientiæ niſu,
Volvere curarum triſteis è pectore fluctus.
Verè dictum:
----qui cupiet, metuet quoque porrò:
Qui metuens vivit, liber mihi non erit umquam.
Anguntur mortales, & velut
----in tenebris pavitant fingúntque futura.
Nobis melioris Muſæ lux fulſit: hac fruamur, breviſq; vitæ ſummam habeamus VIVERE, &
----ſecurum agere ævum.

Sic amare ſuave erit, erit & philoſophari.

THYRSVS LVI.

ACVLEVS. *Quem natura & doctrina beant, Amicitia non deſerit.*

IN affectus mei ſinum te recipio, antiquæ ſtirpis germen amabile: in quo expreſſit Natura quantum potuit. Vtere his dotibus, meiſq; conſiliis, & melioris doctrinæ ſucco mores animúmque tinge. Mores animus faciet, ſi probus: erit autem, ſi coletur: ſed hic cultus à doctrina eſt.

THYRSVS LVII.

ACVLEVS. *Senex quamdiu Muſas colit, Amori aptus eſt.*

VIRVM te antiquæ virtutis & fidei repperi, imò & Muſæ. Rara virtus fidéſque, quia Muſa, illa nunc per otioſum inertis ſeculi otium, novis maliſque infecta moribus & artibus. Nam ut ager incultus horridúſque; ſic mens, ſi otioſa; Sed tu negotioſum feli-

felicisſimæ ſenectutis otium antiquis bonisq; ornas moribus, occupas artibus; & qui juvenis numquam quieviſti, nunc ne quieſcere quidem ſenex potes. Sic in gravi ætate, robore & animo juvenili es; & in Amore robur animúmque Amici ſpectans, omnem in Amore parem ætatem habes.

THYRSVS LVIII.

ACVLEVS. *Amoris arrha & ara amantium jugis voluntas eſt.*

SACER Amoris ignis quo flagramus, ut Veſtali religione æternus ſit voveo: erit autem, ſi pari voluntate & ſtudio alemus. Facit voluntas Amorem, ſtudium perficit: ſed idem velle & nolle, Amicorum ſtudium eſt.

THYRSVS LIX.

ACVLEVS. *In Muſica Amicitia eſt, in Amicitia Muſica.*

MVSICAM amare me fateor: te cogor Muſicæ muſteum planè myſtam. Ea concordia & ſuavitate

 pſal-

pſallis, ut à cæleſti edoctus Muſa videare: ea arte & felicitate, ut Genium ingeniúmque ipſis inerrare articulis tuis cenſeam. Mulces aures, moves animos, facis Amicos: quin numeros inanimes ánimas, d ſcordes in vocalē velut amicitiam cogis. Fruere numeris, fruere quos numeris facis Amicis: & me numeris bea, inter Amicos numera.

THYRSVS LX.

ACVLEVS. *Verus Amor abſentem Amicum præſentem facit.*

OSCVLVM libo, vale dico, amaturus. Ab Amico abeo, ab Amore non abeo: locum, non ingenium muto. Malè cœpit, qui amare deſinet. Tuus ero, imò tecum ero, ubicumque ero: ſed in rebus ſtudiiſque bonis. tu quoque abſens perge bonus eſſe, ut Amicus ſis. præſens enim videbere, ſi Amicus es.

THVRSVS LXI.

ACVLEVS. *Amicus Amico pharus.*

FA-

FELIX fauſtúmque iter ſit; quod paras; illud longum & periculoſum, quod litterarum & linguarum cauſſa paras. Ardor te diſcendi trahit, ſed motu nequaquam extinguendus: ut nec deſiderium tui noſtrum, Amorisq; flamma. Hanc è pectore meo velut luciſſima Pharo accenſam reſpice, ut redire memor ſis: redi, ne pro errore mora cenſeatur.

THYRSVS LXII.

ACVLEVS. *Parentum laus in filios redundat: & hinc amare filios pronus eſt, qui parentes cœpit.*

QVI arborem laudat, etiam fructus: qui patrem, filios. ego veſtrum, illum, uno verbo, Virum; & ſic vos quoque nunc indole, paullopòſt reapſe viros. Ille quò conſcendit vos vocat, ad læti Honoris culmen; ſequimini: & quà conſcendit, vocat, per arduæ Virtutis collem: ſequimini. tales enim vos habere vult, qualis ipſe eſt, bonos: tales ego vos mihi, qualem ipſum habeo, Amicos: Amici autem eritis, ſi boni.

THYRSVS LXIII.

ACVLEVS. *Vt duo lychni unà accenſi umbram diſſipant: ſic invidiam Amici.*

AMOR expreſſit hanc ſyngrapham, *Tuus ſum.*: Amorem verò probitas tua, ingenium, induſtria, eruditióque. O te felicem! qui inſtructum tot bonis animum habes: & me! qui tot bona amare in Amico didici, non invidere. Æterna illa ſunt, & tu eris: inter nos Amicitia quoque æterna.

THYRSVS LXIV.

ACVLEVS. *Videri & audiri Amoris deliciæ ſunt.*

IN publico à te videor & audior quotidie, id eſt continuò amor. Viſum enim quotidie me venis, quia amas; & auditum, quia me & litteras amas. Hæc voluptas mea, amari ab eo, quem ob virtutem amo: felicitas, videri & audiri, quem ipſe ob doctrinam cupio. Tu me amare perge, ut videre & audire pergas.

THYRSUS LXV.

ACULEUS. *Amicos habere non potes, niſi & hoſtes habeas.*

EPICURI illud decretum, meum facio, Σπυδαίως ζῆν ἄριστον: *Honeſtè vivere optimum*, & Amicos invenit, qui honeſtè vivit; imò hoſtes, qui Amicos meruit. Honeſtus eſſe non potes, niſi ut placeas aliis, aliis diſpliceas: ut hoſtes, & Amicos habeas. Habere utroſque, neceſſarium eſt; imò hoſtes habere ſuave eſt, ſed quos virtute facis.

THYRSUS LXVI.

ACULEUS. *Aliud loqui, aliud ſentire Amor neſcit.*

BONO Genio gratiam, qui in ædes & Amicitiam te meam duxit: aut tibi potiùs gratiam, qui ipſe velut ædium & Amicitiæ Genius veniſti, in pectus mihi ſpargens ſcintillas ſancti Amoris. Sic caleo, imò ſic amo animum tuum cultum, linguam cultam,

nec ab animo linguam diſcrepantem. Nam loqui ut ſentis, candoris opus eſt: ſine candore Amor eſſe non poteſt.

THYRSVS LXVII.

ACVLEVS. *Animus & ingenium felicitatem parant. Amor poſſidet.*

CONSILIO præſidióque tuo felicem Patriam reddis; ſed teipſum Genere, Opibus, Animo, Ingenio. Generis lumen ſimplex, niſi reflectitur: facis. Opes felicitatem non habent, niſi animum ingeniúmque inveniant: animum, qui virtutis doctrinæque cultu capitur; ingenium quod capit. Tuus, tuúmque tale: digna opibus, ques virtutem doctrinámque colis; apta virtuti & doctrinæ, queis opes illuſtras. Cole porrò & illuſtra; & felicem magis magisque Patriam, têque his dotibus redde: me Amore coli enim & illuſtrari, cenſear, ſi amor.

THYRSVS LXVIII.

ACVLEVS. *Dignus honore Amor, qui æmulatione creſcit.*

PVBLICI nomine pariter & munere ſumus; ſed in honore malè ſimus, niſi in Amore ſimus: amando autem fiet, ut honor ſe dilatet. Ergò nomine & munere æmuli, affectu intimi, publicum quoque Amorem faciamus.

THYRSVS LXIX.

ACVLEVS. *Rari homines, rariores Amici.*

CYNICVS ille, λύχνον μεθ' ἡμέραν ἅψας, ἄνθρωπον, φησὶ, ζητῶ: ego καὶ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸν φίλον. Vterque rarus eſt: ſed in foro & comitio pænè nullus. quos homines, quos Amicos cenſeas, vultures, aut corvi ſunt, & lacerare nati. Sed & ego propè cadaver eram, niſi tu terrore quodam juris, inhiantes in prædam aves rejeciſſes. Sic te hominem, ſic Amicum cenſeo; & tibi juſto laudem, illis injuſtis dicam ſcribo.

THYRSVS LXX.

ACVLEVS. *Firmus Amoris nodus, quem abſentia non ſolvit.*

FIRMI Amoris ſignum munuſculo adorno. Amoris, in jucundiſſimo itinere nati, & ſic ipſa itineris memoria quod hærebit, firmi. Bono Mercurio debeo, qui jungere nos voluit, & ſic jungere, ut ne per abſentiam quidem diſiungi poſſimus.

THYRSVS LXXI.

ACVLEVS. *Vivere non deſinit, qui ut gloriæ, ita amicitiæ heredes linquit.*

MAGNVS in Æſculapii Sacris Pater tuus fuit: tu es, qui paternam gloriam tua extendis. Vt ſalutem illi, imò vitam multi; ità & tibi debent, in quo nunc etiam Pater vivit. At verò & tu Pater es, Filiúmque habes: fac talem habeas, in quo tu pariter aliquando vivas. Ita voveo, & vivere in filio Amorem mei, quem tu exorſus.

THYR-

THYRSUS LXXII.

ACULEUS. *Amore fœcundus, qui virtute eſt.*

CUI Gratiæ adoleſcentiam ornant, eruditio juventam, prudentia ſenectam, is adoleſcens voluptatem Amicis, juvenis honorem Patriæ, ſenex utrumque ſibi parat: tu verò cuncta iſta Amicis, Patriæ, tibi, in ſpe ætatis ſimul florem juventæ, & fructum ſenectæ profeſſus. Sic ego adoleſcentiæ tuæ Gratias amo, eruditionem juventæ obſervo, prudentiam ſenectæ veneror, illam ante ſenectæ annos.

THYRSUS LXXIII.

ACULEUS. *Stirpem jacta, quam ingenio ſuperas: Amorem æſtima, quem ingenio meteris.*

STIRPE & ingenio contendis, utro præſtes: ingenium ſi ſtirpe ſuperas, minor ingenio eris; ſtirpem ſi ingenio, teipſo major. Illam igitur ingenio refer, hoc ſtirpe; & erit ut ornamento

tuis

tuis & Reipublicæ ſis,tuis &mihi meritò amatus.

THYRSVS LXXIV.

ACVLEVS. *Verus Amicus amare perget, etiam cùm amari deſinet.*

INTER tuos ero,ut tu quoque inter meos ſis,nomine & fide. Ego nomine fidem profiteor, & tuam nomine fidem ſtipulor; volentem, imò, quod abſit,nolentem complexurus.Amare pergam, etiam cùm amari deſinam: cum nomine fides perennabit.

THYRSVS LXXV.

ACVLEVS. *Virtus laudem meretur, Amor celebrat.*

QVÆ olim laudes Scipionis Naſicæ fuere,nunc tuæ ſunt; & Amoris cauſſa brevi ſymbolo complector. Vir optimus ob virtutem & pietatem à Senatu judicatus Scipio; tu optimus. Corculum ob Sapientiam à populo dictus Scipio; tu corculum. ego benevolentiæ ſuffragio Senatui populóque

lóque accedens, Virtutis & Sapientiæ tuæ laudem extendo.

THYRSUS LXXVI.

ACULEUS. *Non amat honeſtum, ejus qui cultores deſpicit.*

MUSARUM & Gratiarum amor es; & quid ni meus? delicium es; & quid ni meum? Illas & iſtas cultu meas feci; nec fecí, ni te faciam, cujus tam Philoteſium oris mel eſt, orationis melos, ingenii amœnitas, morum ſuavitas; ut Muſas Gratiáſque amare deſinam, ni te incipiam.

THYRSUS LXXVII.

ACULEUS. *Bona & honeſta Amoris pignora ſunt.*

INDOLI, induſtriæ, eruditioni tuæ, Amorem, favorem, venerationem debeo. Hoc nomen nudis verbis protollere moroſum viſum eſt: ſed agnoſcere litterario pignore, bonum & honeſtum. Itaque verba premo, pignus promo, ſignum æterni Amoris, favoris, venerationis.

THYR

THYRSVS LXXVIII.

ACVLEVS. *Etiam in imagine Amor ſpirat.*

SECVLI ornamentum ſcribere te audeo, qui Apelles, novúmque picturæ miraculum audis. Tabulæ & colores tui publici ſunt; publicæ etiam voces, quibus tabulæ & colores æterni. Pariter ut Amor quoque noſter æternus ſit, hunc pinge. Vivet enim in pectoribus noſtris quamdiu vivemus, in tabulis tuis ubi vixerimus.

THYRSVS LXXIX.

ACVLEVS. *Virum voca, quem amare ac laudare poſſis.*

QVEM Virum dico, amare & ſimul laudare videor: te dico, & ſic utroque illo affectu veneror, utroque dignum. Non divitias tuas ſpecto, ſed te, quòd certè divitiis uteris: non doctrinam, ſed te; quòd ad animi cultum doctrinam refers: non nobilitatem, ſed te; quòd nobilitatis gloriam repræſentare, quàm jactare mavis.

Pacis

Pacis militiæque memoria clari Majores tui, lucem in te derivant, qua fulgeas: ſed lucem ad Majores tu quoque reflectis, quòd ab eorum virtute non degeneres. Vnde imago tu Majorum es: & qui te videt, Majores colligit. Sed qui te videt, Virum videt; & ſic Majores etiam Viros.

Thyrsus LXXX.

Aculeus. *Modeſtia honorem fulcit, Amorem excitat.*

Honoris limen & lumen ſubiiſti, benè eſt: non ut ſiſtas ſed protollas gradum; ut aſſcendas, à teipſo non diſcedas. In alto ſtare, glorioſum eſt; ſed cum modeſtia rarum. Hanc virtutem ama, ſic in omni Fortuna amandus: me ama, hoc affectu tuo dignum, quia amo.

Thyrsus LXXXI.

Aculeus. *Infelix Amicitia, qua ambitioni ſervit.*

Tecum ſentio: ſecretum amo, & vitam, imò Amicitiam ab ambi-

tione alienam. Cura, æſtus, error publica inquietant: Sapere nemo, niſi in ſinu poteſt. Ite turgidi, & magnis cogitationibus cælum terrámque miſcete, cras morituri. Nos dum vivimus vivamus, ſed ad recti honeſtique normam; & à procellis æſtuantis vulgi in tranquillitatem ſubductis animis, litterarum virtutisq; ſtudiis felicem vitam & Amicitiam faciamus.

THYRSVS LXXXII.

ACVLEVS. *Prudentiam amare ac doctrinam, utriuſque pars eſt.*

PEREGRINANDI tuum ſtudium laudo; ſed tuum, qui non voluptatem, ſed fructum quæſitum is prudentiæ ac doctrinæ: Amicitiam quoque prudentum ac doctorum. Inter hos quòd me cenſes, amicè facis: & hactenus patior, ut Amicum cenſeas: niſi & prudentiæ doctrinæq; partem ſibi Amicitia uſurpet.

THYR-

THYRSVS LXXXIII.

ACVLEVS. *Qui in Republica & Litteris verſatur, publicam & privatam Amoris cauſſam habet.*

MAGNVM titulum magnámque dignitatem,quibus in republica emines,vereor & revereor:magis animum; quippe majorem titulo atque dignitate, modeſtum, ſubactúmque cultu meliorum artium. His vacas, etiam cùm non vacas; & in publico rerum freto æſtuans,& in privato ſtudiorum otio lucubrans. Sic litteras in media tractas republica,& in mediis rempublicam litteris. Sic etiam duplici ego de cauſſa recipi in affectus tui ſinum geſtio: reipublicæ, cujus pars ſum; & litterarum, quarum pars ſum.

THYRSVS LXXXIV.

ACVLEVS. *Cùm ætas diſcrepat, filii nomen Amicus ſumit.*

QVEM tu ſanguinis,ego beneficii cauſſa Patrem nomino: quia qui

tione alienam. Cura, æſtus, error publica inquietant: Sapere nemo, niſi in ſinu poteſt. Ite turgidi, & magnis cogitationibus cælum terrámque miſcete, cras morituri. Nos dum vivimus vivamus, ſed ad recti honeſtique normam; & à procellis æſtuantis vulgi in tranquillitatem ſubductis animis, litterarum virtutisq; ſtudiis felicem vitam & Amicitiam faciamus.

THYRSUS LXXXII.

ACULEUS. *Prudentiam amare ac doctrinam, utriuſque pars eſt.*

PEREGRINANDI tuum ſtudium laudo; ſed tuum, qui non voluptatem, ſed fructum quæſitum is prudentiæ ac doctrinæ: Amicitiam quoque prudentum ac doctorum. Inter hos quòd me cenſes, amicè facis: & hactenus patior, ut Amicum cenſeas: niſi & prudentiæ doctrinæq; partem ſibi Amicitia uſurpet.

THYRSVS LXXXIII.

ACVLEVS. *Qui in Republica & Litteris verſatur, publicam & privatam Amoris cauſſam habet.*

MAGNVM titulum magnámque dignitatem, quibus in republica emines, vereor & revereor: magis animum; quippe majorem titulo atque dignitate, modeſtum, ſubactúmque cultu meliorum artium. His vacas, etiam cùm non vacas; & in publico rerum freto æſtuans, & in privato ſtudiorum otio lucubrans. Sic litteras in media tractas republica, & in mediis rempublicam litteris. Sic etiam duplici ego de cauſſa recipi in affectus tui ſinum geſtio: reipublicæ, cujus pars ſum; & litterarum, quarum pars ſum.

THYRSVS LXXXIV.

ACVLEVS. *Cùm ætas diſcrepat, filii nomen Amicus ſumit.*

QVEM tu ſanguinis, ego beneficii cauſſa Patrem nomino: quia qui

te filium accepit, me fecit. te ſorte accepit, me ſponte fecit; & ſic majori pietatis vinclo me ſibi obſtrictum. Reliquum eſt, ut fraterno inter nos Amore juncti, doctrinam & virtutem ejus patriſſando exprimamus, qui me tibi dedit, qui te mihi.

THYRSUS LXXXV.

ACULEUS. *Non ſunt Amici, niſi communes quoque hoſtes habeant.*

EIUSDEM Muſæ, Mentis, Fortunæ ſumus: id eſt non Amici tantùm, ſed pænè iidem. Quid mirum, eoſdem quoque ſi Muſæ, Mentis, Fortunæ hoſtes habemus: infra iram habeamus. Vincentur, modò ſpernere poterimus: armat adverſarium, quiſquis æſtimat. Ergò noſce vires tuas, & mero ſilentio ſordes maculáſque linguarum diſſipa. Scopulus eſto, & inconcuſſo animi robore circumſtrepentes livoris turbines frange. Si facis, calumniis altior, tranquilla Muſa, Mente, Fortuna fruêris: & ego tranquillo te Amico.

THYR-

THYRSVS LXXXVI.

ACVLEVS. *Ob ea quæ quis tractat ſtudia, facilè amat.*

POESIN miro affectu amo, te ob Poëſin, in quo Catulli numeros, Martialis lepôres, & priſci carminis veneres agnoſco, & veneror. Sic Amicus tu mihi es, & eris; quia & quamdiu Poëta. quia verò Poëta numquam eſſe deſines: ita nec Amicus.

THYRSVS LXXXVII.

ACVLEVS. *Non quæcumque amari in Amico poſſunt laudanda ſunt; ſed amanda quæ laudari poſſunt.*

HONOREM & Amorem libens tibi ſculpo; utrumque publicè, ſicuti promeruiſti, ob cauſſas quas dicam, & quas non dicam; ne affectum neglexiſſe videar, ſi nullas dixero; aut nimium laudi tribuiſſe, ſi nullas tacuero. Ergò ingenium, induſtriam, eruditionem, candorem, probitatem dico: ſed quidquid præterea laudari poteſt, non dico, ut ampliſſimum Ho-

noris & Amoris argumentum videas. Quidquid audis, tibi adeſt, imò quidquid non audis; ego amo & honoro quidquid adeſt.

THYRSVS LXXXVIII.

ACVLEVS. *Bonum ſi Amicum quæris, teipſum præſta.*

ANIMVM laxo, & memoriam me libens tibi promo, amicam mei moriam, bonam memoriam; quia bono, quia Amico: ut & ego me præſtabo bonum & Amicum. Hunc talem redama: bonas item artes quas amo, & quomodò amo. Amici enim non ſunt, niſi qui eadem pariter amant.

THYRSVS LXXXIX.

ACVLEVS. *Eruditio quæ modeſtiam habet, non Amore tantùm, ſed admiratione digna.*

QVI duo inter affectus eminent, jure merito tibi tribuo, Amorem & Admirationem: quæ duo item ingenuum

genuum pectus ſingulariter ornant, in te reperio, modeſtiam ob quam amo, & eruditionem ob quam admiror: facturus utrumque, ſic me utraque illa reſpiciat, ſempiternùm.

THYRSVS XC.

ACVLEVS. *Beneficium veri Amoris index eſt.*

DVM præſens fuiſti, Amicum te expertus ſum; verum perfectúmque, ex quo abſens. quòd Amicum, gaudeo; quòd verum perfectúmque, glorior. Amaſti me præſens, & hoc Amici eſt; ſed beneficiis abſens Amorem commonſtraſti, & hoc veri perfectiq;. Ego Amorem & ſimul beneficia pondero: & hoc jam doleo, quòd debeam, non rependam. Sed non invitus obſtrictum me tibi patieris, quem amas; imò quem amaſti, ut obſtringeres.

THYRSVS XCI.

ACVLEVS. *Imperfecta ſua Amicus bona cenſet, niſi in Amico videat.*

VT ſummum ingenium tuum : ita meus in te Amor. illud optimis in ſtudiis litteriſque occupatum, ſed ſine cura Famæ : hic impatiens tam obſtinati ſecreti. Vt ipſe ſum, eſſe te volo, in publico : cognoſci à multis, & ſic amari quoque à multis. cupio enim omnes eodem in te affectu eſſe, quo ipſe ſum: nec ſatis amare videor, niſi multi ament, quem dignum omnium Amore ſcio.

THYRSVS XCII.

ACVLEVS. *Famæ Amicitiaq́ jubar pro diademate : & Rex eſt quiſquis ſibi imperat.*

NOMINE Regii, indole egregii, in Famæ & Amicitiæ lucem itis, ô docti Patris docti Filii, & capita inſeritis regiis virtutum radiis & doctrinæ. Sic Reges eſtis, ſic ſceptra geritis, vera diadematis majeſtate cincti. Supra cupidines omnes qui animum extulit, & imperium in ſeipſe habet, Rex eſt. Vos effertis, vos habetis; & ſic nomine Regii, munere ipſo & vita Reges.

THYR-

THYRSUS XCIII.

ACULEUS. *Verus, qui in extinctum durat, Amor: & ſervandus, novum ſi Amicum non excludat.*

AMICUM qui amittit, pænè animum. tu quem amiſiſti cogitas, imò loqueris; & ſic nunc verus Amicus, quòd exſtinctum amas. Sed contrahe nimium deſiderium, & quoniam fatum morientis comitari non licuit, vivum aliquem ſubſtitue quem ames, & ad illud exemplum. Defuncto filio, alienum adoptáre pietas ſinit: cur non & Amico? Ego alienus ille ero, ut tuus fiam: & tuus ero, ut alienus eſſe deſinam.

THYRSUS XCIV.

ACULEUS. *Beatam Amicitia vitam facit, cùm Amicitiam virtus.*

VITÆ tranquillæ ſemita Virtus eſt, ſine labore non calcanda. Vitæ? imò Amicitiæ, quæ aut ipſa vita eſt, aut beatam vitam facit. Qui virtute caret, malus eſt; qui Amico, mi-

ſer. ſic omnis malus, miſer eſt; quia malus omnis ſine Amico eſt. ego felix, qui te Amicum habeam: & ſic bonus, quia felix.

THYRSUS XCV.

ACULEUS. *Noveris, quem amare voles.*

FAMÆ, & Amicitiæ Sacra pariter habeo: noſci, & amari. Amari bonus quiſque cupit, nec bonus niſi cupit: noſci etiam, ut Amorem impetret. Tu ſi me noſti, benè eſt; ſi me amas, meliùs eſt: ut utrumque facias, Famæ, & Amicitiæ cauſſa rogo.

THYRSUS XCVI.

ACULEUS. *Numerum Amor neſcit.*

UNA teſſera & uno affectu vos jungo, duos numero, unum Amore: ut ſive alter, ſive tertius admittar. Amatis uterque, tamquam unus; & ego utrumque, tamquam unum, merito ſive unius, ſive utriuſque. Perfecta igitur hæc Amicitia erit: trium quidem, ſi numerum reſpicimus; ἐν δυσὶ, ſi Amorem.

THYR-

THYRSVS XCVII.

ACVLEVS: *Iiſdem quibus accenditur Amor, fovetur.*

CONTINVVS Amoris ignis, ſed illius honeſti æternique, qui eſt τῶν ἀγαθῶν καὶ κατ᾽ ἀρετὴν ὁμοίων: *bonorum & ſecundùm virtutem ſimilium*: animum meum urit, à prudentiæ & doctrinæ tuæ luce accenſus. Hunc alo, & alam deſiderio quo flagro prudentiæ ac doctrinæ. amare enim te non poſſum, niſi prudentiam ac doctrinam.

THYRSVS XCVIII.

ACVLEVS. *Amicum qui doctorem habet, doctus ipſe; audit tamen, ut amare videatur.*

FIDEI monumentum abeunti tibi conſigno, qui non inter Amicos meos tantùm, ſed Auditores fuiſti. Amare me cœpiſti, ſtudiorum; audire, Amoris cauſſa. nihil enim erat quod diſce-

diſceres; ſed audiendo cauſſam dumtaxat oſtendere voluiſti, cur amares. Amare perge, quem audire deſinis; & jam vehementiù abſens, ne audiendi cauſſa amaſſe videare, quem audiiſti, quia amabas.

THYRSUS XCIX.

ACULEUS. *Faciliùs ames Amicum, quàm celebres.*

VLYSSEM Homerus πολύτροπον: ego te Vlyſſem celebro, qui urbes hominéſque curioſè luſtraſti, è longa peregrinatione melior, doctior, prudentior. Ergò ob bonitatem, doctrinam, prudentiam te celebro, imò verò amo. cum paucis celebro, cum multis amo. In paucitate illa glorioſum elogium meum eſt: in multitudine fœcundus Amor. Nam dare ſolus magnum tibi elogium cupio, ſat magnus, ſi à te ſolo laudor: & honeſti Amoris facilè rivales patior, ſat beatus, ſi à te ſolo amor.

THYR-

THYRSVS C.

ACVLEVS. *Amor in bonos bonus eſt: bonum etiam odium in malos.*

CENTVRIAM expleo,& in numerum te venire Lector cupio,quiſquis es. Philoteſia iſthæc militia eſt, & Amor Laconiſſat. Signum vides, cape,ipſum adeò Thyrſum,

Tui benevolentis, ſi ita es ut ego volo;
Sin aliter, inimici atque irati tibi.

Sine fuco ac fallaciis eſſe te volo,cum fuco & fallaciis nolo. Si es ut volo, bonus es: ſi es ut nolo,malus es. ego autem non amo niſi bonum,non odi niſi malum. Sic ſalve, aut longùm ſalve.

SEN-

SENTENTIÆ ALIQVOT ACVLEATÆ, è Seneca.

Ad Clariſſ. Io. BEMBDENVM *Medicum.*

IN Amicitiis nectendis conſervandiſq; mi BEMBDENE, nihil HONESTATE efficacius. Hanc præcipere, ubique utile eſt; hîc verò etiam opportunum. Epicurus faciet: cujus *eò libentiùs* (Senecam audis Epiſt. XXI.) *egregia dicta commemoro, ut iſtis qui ad illa confugient, ſpe mala inducti, qui velamentum ſeipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probem, quocumque ierint,* HONESTE ESSE VIVENDVM. Nimirum vixit ipſe, cujus hoc in moribus ſcitum, imò in epiſtolis omnibus, notante Laërtio, ſignum, & ſalutatio erat, Σπουδαίως ζῆν ἄριστον: *Honeſtè vivere optimum.* Ergò *perſeverabo* (Senecam iterum audis, Epiſt. XII.) *Epicurum tibi ingerere; ut iſti qui in verba ju-*

ba jurant, nec quid dicatur æſtimant, ſed à quo; ſciant, quæ optima ſunt eſſe communia. Ejuſmodi hæc iſta: dogmata, an oracula? & tamen in hortulis olim nata, & in Stoicorum etiam dumeta, ut Cicero alibi vocat, tranſlata. Tu Lege, mi BEMBDENE, qui HONESTUM amas, & novos hinc Virtutis THYRSOS confice, novos Amoris.

HÆC ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.

Nunquam volui populo placere. nam quæ ego ſcio, non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio.

Philoſophiæ ſervias oportet, ut tibi contingat vera libertas.

Initium eſt ſalutis, notitia peccati.

Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tamquam illo ſpectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus.

Immodica ira gignit inſaniam.

Antè circumſpiciendum eſt, cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas.

nam

nam ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt.

Malum eſt in neceſſitate vivere: ſed in neceſſitate vivere nulla neceſſitas eſt.

Magnificentior ſermo tuus in grabato videbitur, & in panno. non enim dicentur tantùm illa, ſed probabuntur.

Honeſta res eſt læta paupertas.

Si ad naturam vives, numquam eris pauper: ſi ad opinionem, numquam dives. exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.

Magnæ divitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas.

Stulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur.

Multis paraſſe divitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio.

Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt.

Is maximè divitiis fruitur, qui minimè divitiis indiget.

Si vis Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum.

Ridiculum eſt, currere ad mortem tædio

dio vitæ, cùm genere vitæ ut currendum eſſet ad mortem effeceris.

Nemo non ita exit è vita, tamquam modò intraverit.

† *Meditare utrùm commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam.*

Malè vivunt, qui ſemper vivere incipiunt.

ERYCI PUTEANI

AMOENITATUM HUMANARUM DIATRIBA IX.

COMUS, SIVE PHAGESIPOSIA CIMMERIA.

Ad Nobilem Virum
CHRISTOPH. ETTENIUM.

VOLUPTATIS religio omnium pænè ætatum gentiúmq; ſcelere conſtituta eſt, luxu laſciviaq; crevit. Sua ubique vitiis Numina data ſunt, ut impius eſſet, quiſquis ſapiens; ut malus, quiſquis virtutem inculcaret. Quia verò non-

Bac

Bacchus, non Venus, non alia portenta inſaniam Conviviorum & Comeſſationum implebant, coli apud Græcos COMVS cœpit, adeóque diffuſum eſt Ventris regnum, ut nec terrarum finibus clauderetur. Hæc Sacra profanare auſus ſum: deſcripſi. & quaſi aliquam Sapientiæ partem colerem, impius in Luxum Laſciviamque fui. Igitur ut victurum ingenii mei apud mortales facinus excuſem, opportuno nominis tui patrocinio utar. non quaſi aliter abſolvi non poſſim, ſed quaſi nolim. Etenim quicquid vides SOMNIVM eſt, Luſus eſt, noctis & caliginis opus: non inamœnum quidem, ſi rerum ficta quadā imagine delectaris. An me fallit Genius ille tuus, illa paternæ indolis matura, & ſine vitio amœnitas? delectaris. Litterarum has delicias amas, Litteris imbutus; & riſum; ubi alius iras, colligis. Dici, & ſtilo adumbrari ſuſtines, quæ non uſurpas; pungi & puniri, quæ damnas, à bonis honeſtiſque moribus aliena. Paterno exemplo, non Luxus aut vanitatis, ſed virtutis inſtrumenta divi-

tias habes. at ego, virtutis etiam amore, vitia quædam publica & promiſcua, quaſi orbi & ævo noſtro deſint, in alieno aut ignoto perſequor. Vitia, quæ lucis exilio mulctata, nonniſi in tenebrarum hodie regno licet invenire: publica verò & promiſcua, quæ privatus aliquis, quia celare non poteſt, defendere audeat; quia in mores familiamq; aliunde adoptavit, neget eſſe ſua. Sed vitia noſtra (promiſcuè hoc etiam dicam) ſive ab aliis, ſive à nobis, noſtra ſunt; magis etiam noſtra, ſi excuſamus. Nunc igitur, ut morem ævo geram, ſcenæ meæ fictionem ad CIMMERIOS transfero, & ignotam regionem noctis. Siquis niger, ſiquis improbus, ſiquis luxu perditus, hîc habitat: in orbe noſtro nihil eſt quod culpem. Vigent candor, probitas, ſobrietas, & quicquid vitium erat, virtutis perſonam induit. Sed ego quæ vidi, quæ audivi, cùm nec oculis, nec auribus uterer, tanquam luſum eſſe cupio, & omnis ſimul luxuriæ ſpurcitiæq; amuletum. Sic faciliùs bona & ſalutaria præcepta penetrant;

trant, cùm amœnitate veſtiuntur. nec laboranti ſtomacho averſóque conciliari cibus poteſt, niſi blandimentis corruptus. Quem verò omninò ſenſum COMVS hic involvat, neſcio: ὀνειροκρίτην non conſului. Et an quis alius volet? Iucundiùs neſciri quædam interdum poſſunt, quàm ſciri. Illud cavendum etiam, ne perverſa interpretatione Somni religio violetur. Noctes obſcuræ ſunt, ut & imagines ejus laborare tenebris fatearis. Neminem igitur offendere narrando poſſum, niſi quem vitia ſua denudant: neminem ſomniando, niſi nunc demum qui ſcribunt, Atlantes ſunt, & Somniare deſierunt. Mihi certè hæc felicitas necdum contigit: quietis meæ nocturnam malaciam infeſtæ ex intervallo umbræ conturbant. Tales illæ ipſæ, quas in lucem ire nunc jubeo, atque adeò (Famæ Genius faveat) perennare. Vmbras, dicet aliquis, in lucem? perennare? portentum eſt. At ego CIMMERIAS ipſas præſidio lucis æternas faciam, radiiſque muniam à Virtutis tuæ ſplendo-

re. Ignis frigore ſeptus, & hieme ſtipatus, robuſtior eſt: ita fulgenti lumine umbræ circumſcriptæ, denſantur, nec vires capiunt niſi ab hoſte. In te quidem, nihil, quod vitalem (ut ita dicam) caliginem Somnio meo addat, reperio, præter ignem & illuſtres Heroici animi dotes. Hoc nunc igni obſcurum Comvm, conſpicuum facio: ſtili ingeniiq; Luſum Cimmerivm tuo, ut dixi, Patriſq; tui Viri ſummi, nomine orno & illuſtro. Tu quidem imago Patris es: ad magna & ſublimia virtutis gradu ſcandis. Dicerem, Pater ipſe es, niſi diſcrimen atque intervallum pietas faceret. Etenim quotieſcumque cogitationes à Patre ad te flecto, rediiſſe ad Patrem videor. Quem imitaris, refers; & quem gloriari poſſis, exprimis. Accipies igitur munuſculum iſtud, quod jam prior Pater libavit: accipies, quod dare Patri videor, quia tibi. Illi debebam Famæ & Tranquillitatis hoſtimentum, tibi ſolvo: & quaſi parum eſſet, unius auctoritate Comvm meum munire, geminam præ-

præſcribo. Tuum Patriſq; lædet nomen, qui hunc librum; & quem tuum videbit Pater, defendet. Tu defendes quoque, & furentem indocti Livoris inſaniam ſtrepitúmque compeſces.

DANIEL HEINSIVS
AD V. C. A. Q.
E. PVTEANVM,
HOSPITEM,
& intimum amicorum,
Cùm denuo COMVM ederet.

NON ſic Oreſti fidus aſtitit ſuo
Phocæa quem tellus tulit,
Cum matris igne vultibúſque territus
Laſſavit ultrices Deas,
Quanta hoſpitalem poſtquam inivimus larem
Tecum mihi concordia eſt.
Non ſi per igneis ire candenteis pares,
Amice, & ultimum latus
Septentrionis defatigatum minus
Et aſpero crudum gelu,

Vel qua vagantem preſſit Alceides pedem,
Gadéſque terrarum extima
Ponto cadentes audiunt Phœbi rotas,
Ignavus accurram comes.
Nec ſi leæna vis reſurgat ignea,
Caprámque conjungat lea,
Dapesq́; noſtras ore & unguibus trahant
Ditis venenoſæ ſtriges,
Quales paratis aſtitere ferculis,
Profana Phinei cohors,
Vſquam revellar: ſic potentibus Deis
Sic Delio viſum fuit.
Nec ſi trilinguis Tanarum ſervet canis,
Vt irruente Theſeo,
Tecum recuſem, PVTEANE, *pallidas*
Inviſere Vmbrarum domos,
Sedéſque noctis, impiisq́; Manibus
Inenatabilem Styga.
O & meorum prima pars ſodalium,
Sacrúmque poſteris caput.
Non ut tremiſcas triſte livoris malum,
Et ſeculi diras aves,
Quas imperita tollit indignatio
In proximum cælo genus,
Aut inchoatis hactenus laboribus
Muſisq́; ſubtrahas manum:
Sed ut ſuperbus inter ignavos eas,

Ado-

Adoreâque nobilis
Ipſoq; laudis gloriaq; lumine
Imbelle proteras pecus.
Qualis volucris fulminatoris Dei
Cum credidit cælo caput,
In altiora fertur, obſtrepentium
Secura, quas tellus habet,
Nubéſque penna ſcindit, & flammam Iovis
Contra intueri nil pavet.
Vel ut cruentus per jocum vibicibus,
Qualis Lycambeus gener,
Premas inertes; ſive pungendo lubet,
Seu fortè cæſim mavoles:
Non parcere ullis certus invidentibus:
Virtute ſat potens tua.
Seu te Menippi, ſeu Bionei juvant
Non inverecundi ſales,
Nihil dature longa quod mergat dies,
Aut impotens oblivio;
Ipſo furore major allatrantium:
Vt ſæva tigris aut aper
Abit moloſſos inter & pedem ſtruit,
Dentis relicturus notam.

QVÆ nec facta, nec futura ſunt, dicam; ſtili, aut ingenii cauſſa. Non

offendetur, quiſquis ludum aut amœnitatem amat, Litteris Muſiſq; olim agnatam. SOMNIVM eſt, & hoc narrare mihi liceat; ſed Interpretem arcere, qui aut facta, aut futura volet deſignari. Abi, & dragmam alibi pete, mendacio præmium. ὄνειρον qui ὄνειρον dixerit, is divinus. Quid verba mea torques lime, & innocentem ſermonem affꝹo ſenſu adulteras? In nube aut igni imagines rerum malè feriati diſtinguunt, & cæcutiunt: pariter in nube & igni cogitationum, atque ſomni. Abi igitur: ego quæ vidi, non vidi. Siquod CIMMERIVM eſt, hîc fui; ſiquæ PHAGESIPOSIA, his interfui. Quæcumque leges, ſemiſepultæ mentis labores ſunt, & nigri ſilentii ſimulacra. An & Somniare mihi nefas? tum Naturam accuſemus, & cogitationes omnes, ventorum inſtar, in vincla demus, & Vlyſſis utrem. Cogitationes? imò res actionéſque omnes humanas. Etenim quæ manu aut mente diurna agimus,

In ſomnis hæc eadem plerumque videmur obire.

Lucis

Lucis ſive curas, ſive delicias nox excipit, & cùm ſomnus obrepit, velut in ſtagnanti quadam nebula repræſentat. Nimirum,

----ubi eſt diſtracta per artus
Vis anima, partimq́; foras ejecta receſſit,
Et partim contruſa magis conceſſit in altum,

tamen viget, & in mortis umbra vitæ munia, conſilia, imò deliria, vanis deluſa imaginibus, molitur. Sic nec quietem uſquequaq; ſine labore mortales habent. curarum & nugarum reliquiæ, die exantlato, lectulum unà ſcandunt, & membra ſopore irrigata, vel terrore lancinant, vel gaudio demulcent. *Traducitur autem* (cum Lactantio dicam) *mens cogitatione cæca, cùm cogentibus tenebris ſecum tantummodò eſſe cœperit: dum intenta eſt in ea, de quibus cogitat, repentè ſomnus obrepit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat. Sic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoque incipit.* Sed ego narrare nunc incipio: qui Somnium æſtimas, & delicias admittis, puſilli temporis damnum impende: hanc

merce-

mercedem poſco, ut ſi audire ſuſtineas, reprehendi patiaris, quicquid ſine turpitudine nemo uſurpavit.

NOCTIS ſenium erat, & adulta ſomni dulcedine, ſimúlque imagine involutus, per ſuburbanos colles opaco mentis itinere errabam. Varia & verna quædam amœnitas tellurem veſtierat, pulſo hiberni anni ſquallore: cúmque in ipſo frondoſi nemoris aditu Dryadas meditarer, ànimumq; concuterem, ſcripturus Silvano carmen; in denſiſſimum pænè antrum delatus ſum, cui veſtibulum naturalis arborum ſeries fecerat: limen quoque religioſæ frondes inumbrarant. Iuxtà, atque adeò in ſupercilio puriſſimi fontis congeſtæ è grumis ceſpitibúſque menſæ erant, ſparſim corollæ, & reliquiæ quædam bellariorum. Convivium aliquod fuiſſe, madens adhuc lacte vinóque ſolum indicabat. Ab ipſo ſpeluncę penetrali nuptiale quoddam murmur luménque exibat; ut omnìnò appareret, è Nymphis aliquam à novo in thalamum ſponſo deductam eſſe. Mirabar ego caſtiſſimum

mum ſecretum, & cujuſmodi in Ithaca Homerus fabulatur, Veneris Amoriſq; numinibus impleri, cùm in proxima fago notavi carmen non ſine religione inſculptum.

Eſt Deus, aut Genius præſens, qui jungit Amore
Humanos animos; quì dulci concitat œſtro
In Venerem omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quicquid liquidũ panſis ferit aëra pennis,
Et quicquid vaſti ſpumoſo gurgite ponti
Errat, vel clauſum fluvialibus innatat undis.
Laſcivit genialis Amor: natura petulca eſt:
Omnibus & terris regnum tenet alma Voluptas,
Deliciis fæcunda ſuis. Sic flore micantes
Luxuriant ſegetes, & læti gramine campi:
Luxuriant rauco lapidoſi murmure rivi:
Luxuriant tremulæ frondes, in frondibus auræ.
Effœtis verni miſcent ſpiramina venti
Arboribus, vitémque gravant ceu rore marito.
Et ſpurio vitam ſucco ſibi ramus adulter
Inſtaurat, ſumitq; comas, & non ſua poma.

Dege-

Degenerant frondes, ſubrepunt perſica prunis.
Laſcivit ludítque Venus: natura petulca eſt.
Sed vos ruricolæ, gens longo dura labore,
Solvite continuas laxato pectore curas:
Inq; dapes fuſi ambroſias, ſuavémque Lyæum,
Inq; jocos hilares, riſus, feſtasq; choreas,
Mittite primitias Veneri, date liba Priapo.
Rus quoque laſcivum eſt, & amœni munera ruris.
Rus quoque laſcivum eſt, Luxus quoque naſcitur arvis:
Et ſine laſcivo languent convivia Luxu,
Et ſine laſcivo languet conviva Lyæo.
Omnia luxus habet: largo tenet omnia luxu
Lætitiæ ignotus præſes, Geniúſque Deorum,
In quo numen habet Silvanus, & Arcadius Pan,
Et montana Pales, Dryades, Satyriq; ſalaces.
Ludite, queis mollem ſuadent tot numina vitam:
Formoſus nec ceſſet Amor cum matre benigna.
Creſcet Amor Venere exſtimulatus, creſcet Amore
Ipſa Venus, plenoq; ſinu ſua præmia fundet.

Sacri

Sacri ſunt verſus, nec ſunt præſagia vana.
Nam Deus ipſe notat victurum cortice carmen:
Carmen, quod viridi ſe nunc quoque laxat hiatu.
Eſt Deus, eſt Genius, præſens latet arbore numen.

Legeram, & ecce neſcio quis humana forma auguſtior, tanquam è confinio lucis & umbræ emergere mihi viſus, ipſum planè Gratiarum ac Lubentiarum omnium ſimulacrum. Veſtis vultúſque Androgynum loquebantur, & à Mercurio Veneréque ſexum: reliquus ornatus & effeminare virum poterat, & in femina mollitiem augere. Caput roſis gemmiſque diſtinctum, & radiorum quadam majeſtate: coma in cirros cincinnóſque digeſta, odoribus perfuſa, auram quoque imbuerat. Sed has delicias crebri acidíque ructus, & onuſti indicia ſtomachi deformabant. Conviviorum aliquem Genium eſſe facilè conjiciebam: atque illum ipſum ignotum lætitiæ Præſidem, Deorúmque Deum. nam & multo ſanguine facies rubebat, & toto

toto videbatur corpore hilaritatem induiſſe. Geſtu mollis, ætate juvenis erat, καὶ οὔπω ἔφηβος, ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου: *nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus*, & quaſi epularum hæſiſſent in ore reliquiæ, ſpina argentea dentes perfodiebat. Mox læva facem, dextra auratum roridúmque Liberi lepôre cornu complexus, identidem libabat. dixiſſes & ſpecum lumine, & fontem fragrantia violari. Mihi de Iovis poculo ſubiit ſuſpicari, & cujuſmodi primi mortales habuere. Quippe memineram κερᾶν hac origine apud Græcos eſſe *miſcere vinum*, aut *infundere*; κρατῆρα quoque ἀπὸ τοῦ κέρατος, quaſi κερατῆρα dici. Ergò, cur non (tacita mecum querela muginabar) ſic non vivimus hodie, & ſimpliciſſima voluptate Naturam matrem agnoſcimus, quam Aſiatico nunc ubique morbo fecimus novercam? Sed quæ frugalitas tamen, ſi corticum corticē ſplendentis metalli fuco pellimus? ſi ambitio terram lutúmque invênit, quo laſciviat? ſi non Sabinis tantùm, ſed Indicis paſſim diotis Ebrietati litetur,

tut,præ quibus vile, ſi Diis placet, aurum eſt? Menſæ, vaſa, lances, epularum ſumptus ſuperant: parum, haurire uno convivio dena millia æris, pari niſi pretio miniſtres.

----Mero committere gemmas,
Atque aurum violare cibis,

plebejum eſt: opes prodigalitate æſtimantur. Inter haſce cogitationes meas rectà, & ſine veſtigiorum vicibus allabitur Androgynus (Ægyptiam aliquam ſtatuam moveri diceres;) & ut ſpernere divitias videretur, ſparſa in anteceſſum gemmarum miſſilia divina pedum conſtantia calcabat. Dubitare cœpi, an in tam ornato corpore mens Philoſophi habitaret: veſtitam olim purpura Sapientiam, & pleroſque è Barbatis illis non ſpreviſſe tantùm lautiſſimas opes, ſed abjeciſſe. Ponè puer ſequebatur, qui florido vultu, & ſuperbo ornatu LVXVM referebat. Puella etiam, ne & ſequior ſine miniſterio ſexus eſſet, ſed infra ſexum mollis, pompam augebat, variegatum auro crotalum ſiſtrúmque gerens, & quicquid ad LASCIVIAM

priſca Muſa, aut Voluptas invenit. Hi nutum veſtigiúmque Heri obſervábant; & medium mox, accepto ſigno, cingentes, cantillare, tanquam ad Mydæ tribunal cœperunt. Me inſolitum ac planè divinum melos totum hauſerat: & victus dulcedine, jam nutabam in ſomnum; cùm ecce Androgynus concuſſam admovit luminibus meis facem, omnémque ſoporis nebulam diſſipavit. Tum verò immotis ſtrictisq; oculorum radiis, & qui flammam vicerant, me intuens, An tu neſcis, inquit, Sacris meis pervigilium deberi? Necdum Solis occaſus eſt, & ſomnum ordiris? Si numen meum neſcis, inter mortales immortalis ago, Nocturni genus, Amoris Lætitiæque Genius, *Δαίμων ὁ Κῶμος, παρ' οὗ τὸ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις.* COMVS *Deus, à quo mortalibus Comeſſari eſt.* Longè latéque imperium meum provexi; & ex quo Sybaritæ toto orbe vivere cœperunt, ubique gentium color. Iam Sacra mea, PHAGESIA, ſive PHAGESIPOSIA ſunt, Scriptoribus nominata, & Luxu Laſciviáque peraguntur. Pau-

Paucis : totum Voluptatis regnum meum eſt;nec felix quiſquam,niſi qui meus. An & ornatum adſpicis? hic me decet,& ſexus utriuſque fœcunditatem adeptus ſum, ut dare me delicias poſſe cenſeas,& accipere. Deum viri,Deam mulieres, ſed eundem Genium venerantur.neque id à numinis ratione alienum. Veneris ſignum(ut de aliis taceam) in Cypro olim *barbatum corpore, ſed veſte muliebri, cum ſceptro ac ſtatura virili*; ut mas ac femina videretur. quam eadem de cauſſa Ἀφρόδιτον Ariſtophanes appellavit. Atque ego ex hac natus,referre matrem non poſſum, niſi ſexu utroque polleam. Quid verbis opus?& Venerem, & Mercurium, ſi is pater, ego dabo. Ergò pueri,& puellæ adſint,viri & matronæ adſint,& ab uno ſuum quiſque ſexum numine fœcundent, ætatem oblectent: Quæ mortalium ſine voluptate vita? pœna eſt. Hanc,ſi ſapere conſtituiſti,fuge; illam carpe,& quem in finem benigna te Natura produxerit cogita : non ut miſerum dura virtute crucies animum, & è felicita-

tis contubernio proturbes;ſed ut mollitie bees, ut ſuavitatibus lubentiisq; omnibus irriges foveáſque, velut tenerrimam brevis vitæ flammam. Itaque mortalis,

Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Ego tam profani ſermonis audaciam nulla patientia digerens, infauſtum numen, velut portentum deteſtabar. Fuga in mente erat, ſed alæ in votis; cùm ecce denſiſſima nube repentè ſeptus, ſublatúſque, adſpirante & impellente neſcio qua aura, deferor, Zephyri, an Somni? Pſychen putares in ipſam Cupidinis regiam vehi. Sic ergò denſato aëris rore ſepultus, momento temporis in noctis regionem, & ignotum mihi orbem veni.

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὔδ' ὁπότ' ἂν στείχησι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hic

*Hic populus, latebroſa hic mœnia Cimme-
rιorum,
Quos premit æterna denſius caligine fumus
Aëris impuri; & quorum Sol exul in orbe
eſt,
Seu quàndo exoritur, naſcenti lumine cæ-
lum
Complens, ſeu terræ refugum cùm ſubtrahit
ignem.
Nox miſeros urget; longis nox cæca tene-
bris.*

Vix udam pedibus terram tetigeram, &

*---- circumfuſa repentè
Scindit ſe nubes,*

partimq; frondoſo vicini ſupercilio amnis, tanquam itinere feſſa, incubuit; partim obſeſſum caligine cælum novo noctis fomento denſavit. Cœpi circumferre oculos, & in reducta valle ſtructuræ quoddam miraculum diſtinguo,

*Tectum auguſtum, ingens, non centum inſi-
gne columnis,
Sed quantæ Superos cælúmque, Atlante
remiſſo,
Suſtentare queant.*

Limen lauru & lucernis illuſtre, Regiam eſſe Comi inſano pænè titulo indicabat. Iam primis veſtibuli gradibus imminebam, cùm à tergo veſtigia mea neſcio quis preſſit. Reſpexi ad ſonum, & adhærentem ecce amiciſſimum meum Aderbam video, tanquam ab eodem numine deductum. Salutavi, &, Te quoque mores, inquam, juventutis agunt, nec treſviros aliquos metuis, aut homines octo? Extra jocum: Hoc noctis, imò loci, virgula nos divina junxit. Fortunæ meæ teſtem & cōſortem exoptabam; te præcipuè, quem animi ac ſtudiorum feci. Ille me complexus arctiſſimè, Tuus, inquit, ero, mi Puteane, etiam cùm non ero. Sed hoc jam neſcio mehercle, ſim, an fuerim, & an omninò à vivorum contubernio ſejunctus. Obnubilatam quippe caligine mentem gero, ne oculos dicam: Fatum me, an frater ejus Somnus ludit? Equidem è nube hîc mihi natus, & in alium effuſus orbem videor, ubi mortui ambulant, & tenebræ coluntur. Dubia & fuſca voce iſthæc profe-

rebat

rebat Aderba, ut planè & ipſe videretur ſermo nocte infectus: cùmque propiùs lumina admoverem, fugiſſe è facie loquentis ſanguinem animadverti. Itaque manum ejus premens, Vive mi amice, inquam, animúmque erige. Tuti ſumus, ſi viri eſſe volumus. ubicumque oculos clauſeris, tenebræ ſunt. cæcum imitare: in luce noctem, in Sole caliginem habes. At iſte, inquit Aderba, horroris locus, velut lucus eſt; & lemures, ipſúmque dare Acherontem poſſit, atque adeò animum planè intrepidum percellere. Ego in numeros reſponſionem acuês, fortiori coactæ ſententiæ ſpiritu diſpellere inanem metum conatus ſum:

Quid innocentis ergò candor pectoris,
Quid puritas beata, quid Virtus poteſt,
Viraginisq́; dogmata Sapientiæ;
Servam nigræ ſi noctis aura obnubilat
Mentem, quatitq́; umbratili pectus metu?
Audebo fari: noctis aura quid nigræ
Poteſt, quid imbris obſitæ formidines;
Si liberam potente virtus aſſerit
Mentem manu, ſi candor atque puritas,
Viraginisq́; dogmata Sapientiæ?

Animo pavor; caligo tedæ ſternitur.
Non pugna turpis, aut periculum: fuga eſt:
Non qui timet, ſed qui timore vincitur.
Ergò robur colligamus, & quò communis ducit Mercurius, porrò eamus. Superbiſſimam iſtam, & dignam COMO Regiam vides? penetremus. aut me Genius fallit, aut cum fructu, imò voluptate audacia noſtra erit. Dixeram, & jam promovebam pedem, cùm è proxima cavea, ac planè Diogenis domo, ater procurrens canis, impetum in nos fecit: rigebat auribus, hiabat naribus, & ore minabatur. Latratus verò, tergeminæ imaginis mendaciſſimo ludibrio redditus, novum nobis terrorem incuſſerat. Cerberum eſſe, pronum erat ſuſpicari. Itaque converſus ad Aderbam, Nunc vivere nos deſiiſſe dicito, inquā; Orci iſtam aulam eſſe, & trifauci rabie muniri. At ille ſolerti ingenio ſcenam hanc explorans, Nimirum hoc tenebris, ait, deerat: fabulis mendaciiſq; terreri quoque debuimus, & Cerbereo latratu. Ergò, vigila, inquam; imò ut ſcias quàm ſecurus ſis, dormi. ludo fallimur,

mur, & præter vocem nihil hîc quod lædat. Pandum illum latrantis rictum obſerva: dices. Vbi oſſeus in ore candor, ubi dentium excubiæ ſunt? Mollis enerviſq; ſonus omnis; nec torquetur, ſed cadit. Ille excepit, &, Hercules, ait, aliquis furorem compeſcuit, miſellúmque edentavit? Vivit monſtrum tamen; integræ & illæſæ fauces ſunt; & hoc agendum, ne latratu mordeat. Agendum inquam, & quia catenis liberum, ſilentio alligandum eſt. Tu Sibyllam age, &

Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam
Objice:

ego mox, *cuſtode ſepulto*, aditum occupabo. Riſit præpoſterum jocum meum Aderba: nec moratus, lapidem humo ſuſtulit, graviq́ue ictu frontem Moloſſam percuſſit. Canis incondito ululatu dolorem vulneris teſtatus, titubante gradu in vindictam ruebat, & in umbras noſtras ſæviit. Sed rabiem iterato jactu Aderba repreſſit, bruſiq́ue ſtravit. Geryonis diceres cecidiſſe Gargittium, & lethæa totum nebula

inundatum. Dum jacentis habitum contemplor,notavi formam & formidinem inſolenti modo fictam : roſtrum perſona velatum,reliquum neſcio quibus exuviis corpus. Collum armilla cingebat aurea, ferreis diſtincta clavis: in cujus limbo hic titulus.

LYCVS GANIS, FRATER CERBERI, DELICIVM COMI, CVSTODIA REGIÆ. SIQVIS AVT LAPIDE ME ICERIT, AVT FVSTE PERCVSSERIT, LÆSVM NVMEN SCIAT, ET FATVM EXPECTET HECVBÆ, ÆTERNVM CVM LARVIS LVCTATVRVS.

Cùm legiſſem, directis in me Aderba oculis,Periimus,inquit, quantum audio, ac planè barathrum nos habet, niſi repentinum ſalutis iter Fortuna oſtendit. Ita inquam,ut Minæ ſunt, grave hoc facinus tuum aut commune potiùs; & Deorum hominúmque omnium iris plectendum.Iam ad certamen ſe Aderba componebat, jam gradum formabat, ut larvarum aliquod agmen exciperet;cùm repentino

no clamore ac tumultu Regia perſonuit. Ego tanto horroris claſſico non leviter perculſus, planè metamorphoſin noſtram exſpectabam: & ecce longa Bacchantium turba ſe explicuit digeſſitq;, obviam Regi ſuo itura, jam advenienti. Tum Lycus ille, humi fuſus, & mortuo ſimilis, ſive luce (nam faces præferebãtur) ſive clamore experrectus, in pedes velut è ſomno exſiluit; & totus ad blanditiem compoſitus, tanquam delicias Hero faceret, geſtientem agitabat caudam. Aderba bonum factum putavit, tam bella uti occaſione; &, In hanc turbam, dum licet, nos mergamus, ait; æſtus ipſe aliquem ſecuritatis portum aperiet. Interea COMVS. Luxu Laſciviáque ſtipatus ingreditur: & quid attinet pompam explicare? Horæ ſuaviſſimos Veris odores, omnémque florum purpuram ſpargebant. Amorem Gratiæ, Deliciæ, Lepores, cetteræque Hilaritatis illices ſequebantur: Voluptatem Riſus, Iocúſque. Cum Saturitate ſoror Ebrietas erat, crine fluxo, rubentis Auroræ vultu: manu thyrſum quatiebat.

bat; ac breviter, totum Bacchum expreſſerat. Iuxtà, Inſania, Furor, Rixæ, Iurgia, Pugnæ: tum Vomitus, Cruditas, Morbi,

Et ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.
Sed inter haſce maculas aliqui cum dignitate relucebant, Septemviri Epulones, Tribuni Voluptatum. In extremo agmine Lurcones, Comedones, Ventres, & Nepotum, Apiciorúmque turba. Erat etiam qui Sardanapalum, qui Lucullum, qui Heliogabalum referret, & ne Philoſophus deeſſet, qui Epicurum. Pulchrum ſcilicet, in Sapientiæ ſinu Luxuriam abſcondere, & à blando nomine patrocinium vitiis quærere, & quoddam velut velamentum. Innocentior quidem iſta ſententia eſt, *Sancta Epicurum & recta præcipere, &, ſi propiùs acceſſeris, triſtia: voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur; & quam nos Virtuti legem dicimus, eam ille voluptati. Iubet illam parere naturæ: parum eſt autem luxuriæ quod naturæ ſatis. Quid ergò eſt? ille qui deſidioſum otiū, & gulæ & libidinis vices felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit*

aucto-

auctorem; & dum illò venit, blando nomine inductus ſequitur voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit. Sic vitiorum infamiam à Sectatoribus Magiſter capit, & in COMI contubernio Epicurus, quia Epicuréi. Porrò ſequebantur, & totius pompæ veſtigia premebant cæca caligine Nox, Tenebræ, Somnus, Silentium, Torpor, Terror, Horror, qui in limine, aut primo ſtatim atrio, tedarum, & refulgentis undique metalli ſplendore diſſipati, evanuerunt. Vmbræ tamen audaces quædam; olimq; menſarum aſſeclæ, irrepere & penetrare mihi viſæ, quibus & ipſe COMVS familiaris dicebatur. Interea

----vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues auróque ſonantes
Emunire toros, altóſque inferre tapetas:
Pars teretes lævare manu ac diſponere menſas.

Lætiſſimo obſequio tota fervebat domus. Tot coqui, ut in unam coquinam migraſſe forum Romanum videretur: tot famuli, ut exercitum diceres.

His

His labor inſerto torrere exſanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum: his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem.

Admiratione defixus hærebat Aderba, & ego manum ejus premens, Vigila, vigila inquam, niſi imago me numinis fefellit & oratio, ſollennia iſta COMI ſacra ſunt, & ut ſpectentur, fiunt. Oculos para & applauſum, poteris inter Myſtas eſſe. Ille adverſum intuens, De Myſtis parce, inquit; ad iſtas aras profanus eſſe nil moror: ſpectare tamen ſi me voles, Argus ero, non Aderba, & ridendam animo ſcenam imprimam. Quinetiam, dum fervet hic undantis & obſtreperæ turbæ æſtus, penetralia inimus domus, & furtivi ſpectaculi promulſide naſcentem curioſitatem excitamus? Annuo, ſimúlque per confertam hominum frequentiam tranſverſo niſu viam aperio. Sequebatur Aderba, &, cùm vultus quorumdam impudentia ſtolidos, pleroſque perſonatos videret, Quid iſtud? ait, in aurem mihi ſuſurrans; an membra jam laſciviæ deſunt, & ve-

& veſtire faciem mortales incipiunt, cum pudoris damno? Etenim plus hic larvarum eſt, quàm hominum. Ego ſubrexi oculos, & rei novitate commotus, ſeniculi adſtantis laciniam duxi. Dic pater, inquam, an his obſcœna facies, & velari debet? Ille ridens, oreas vides, ait, & his vinclis oris dentiúmque feritas coërcetur. quos homines putas, lupi ſunt, & è Daunia Gætulſave monſtra, morſu infeſta. An dicam etiam? Sub perſona vivere pulchrum eſt; frontem fingere, ut animus lateat; ſimulationem induere, ut mores commendentur. Tamen ejuſmodi infulis Sacerdotes ſuos COMVS inſignivit, perpetuáſque in Regia ſua voluit eſſe Quinquatrus. Hoc ſermone non illepido excepti, ad fauces adverſi liminis pergimus. Hîc adoleſcens cum amphora & cyatho ſtabat, & intrantibus propinabat vinum. Is cùm meraco & nectareo ructu utrumque ſalutaſſet, Si fortè ſicci, inquit, aut ſobrii, iſto rore palatum imbuite: tam ſacer hic locus, ut jejuno etiam ſpiritu inquinetur. Hau-

ſit

ſit prior Aderba tam religioſam fragrantiam, & converſus ad me, Liba, inquit, & æternitatis deſiderio animum accende. Etenim reliquiſſe mortales videor,

---& Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum. Steriles tranſmiſimus annos,
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Dixerat; & ego, ut riſum jam ebullientem poculo reprimerem, eadem pectus ambroſiâ prolui. Tum converſus ad Pocillatorem, Iſti quidem latices, inquam, tam divini, ſitim apud ſaturos inveniant, & in ſympoſii calce. Imò ait, ut delicias ſcias noſtri Laris, hunc liquorem vernulæ profundunt: potẽtis Bacchi pretium norunt, qui cum Como cœnant: & cum dicto in Sacrarium tranſire nos juſſit. Vidimus in fronte nudæ Veneris ſtatuam è pario marmore, tanquam è rore ſpumantium fluctuum educatam. Quid attinet cum formæ detrimento formam adumbrare? in Venere Venus, & in toto lapide Voluptas ſpirabat. Cupido puer laſcivo geſtu matris æmulus,

mulus, pinnis, arcu, & flammis armatus, cæco impetu amoris telum vibrabat. Ad dexterum parietem Bacchi ſignum erat, Autumni maturo ornatu muſtulentum. Thyrſus pugnum implebat, hujúſque mucronem lambentis hederæ nexus exarmaverat: diceres ebria quaſſatione ipſa non tantùm motu folia, ſed ſuſurro animata. Siniſtrum latus Ceres occupabat, ſpiceis ſertis caput cincta; & qualis in Eleuſiniis ſacris colitur, benigno cornu beatiſſimos ruris honores fundens, aureámque ubertatem. Cultores ſuos hæc numina invenerant, & jam genua laborabant ceratis deliciis votorum. Legebam dapes, merum, formam, & quidquid Gula aut libido poſcit. Murmur verò totum locum humiléſque ſuſurri impleverant; &, ne priſcus libidinis geſtus deeſſet, dexteram plerique, primore digito in erectum pollicem reſidente, ori admovebant, bonæ Veneri ſupplices. Quin hîc quoque Nuptiarum neſcio quæ ſollennia; & ſacrum jugum viri mulieréſq; ſubibant; uſu, farre, coëm-

ptione jungebantur. Ergò in thalamum nos veniſſe COMI intellexi. Nam & virgines quædam flammeo nuptæ incedebant, quæ laneis vittis poſtes ornaverant, oleóque unxerant, aqua adſperſæ, & pronubo annulo oppigneratæ: aliæ è gremio matrum rapi, Sabinarum in morem. ac interim Talaſſio, Talaſſio audiebatur. Dum miramur tam inſolitos ritus, ecce ſimulacra pluſcula proferuntur. Aderba ſcire avidus quibus numinibus bajulantium brachia laſſarentur, à puero prætextato, qui ſpinam albam accenderat, & pars quoque pompæ videbatur, nomenclaturam extorſit. Ille non invenuſtè, verborum compendium quærens, digitum extendit, &, Quem primum vides, inquit, hortorum Deum appellamus, hæc ſecunda Virginenſis eſt; iſte Subjugus, tum Prema, & Pertunda: obſcœnam religionem quid exponam? ſcire, non revelare hæc ſacra licet: nec ætatem meam urge, qui nunquam non palleo, erubui. ac ſimul vultum ſermonémque avertit. Ego Aderbam compellans,

pellans, Hem, ingenium pueri! inquam: ad malitiam ſapit. Nos autem quid hæremus? Hîc ad nuces, & Feſcenina ibitur: caſtæ aures ſubducendæ ſunt. Sic ergò, perluſtrato ſacertimo loco, greſſus retulimus, & in ſpatioſam illuſtrémque tedis porticum delapſi, novo ſplendore oculos paſcebamus. Hîc Zeuxis, Parrhaſius, Apelles, & ſiqui iſtius notæ, Naturæ opera coloribus vicerant hîc Lyſippus, Phidias, Praxiteles, & magni illi imaginum Promethei ſudârant. Maturæ artis mera miracula cerneres, partim penicillo adumbrata, partim celte & ſcalpello effigiata. Imago tamen COMI inſigni & pervetuſta pictura eminebat, quam ipſam olim Philoſtratus Lemnius deſcripſerat. Ego Latinè brevitérque repræſento.

COMVS DEVS, *à quo mortalibus Comeſſari, in thalami foribus adſtat aureis, hinc lumine, iſtinc tenebris circumfuſus, tanquam in pugna noctis ac tedarum. Quid mirum, contemplantis oculos caligare? non corpore, ſed tempore nox adumbratur: tempus pingi difficile eſt. E veſtibulo feliciſſi-*

mos in thalamo cubare. ſponſos facilè conjicias. Ad hos COMVS *rectà ferre greſſum videtur, ætate juvenis, geſtu mollis, facie præ vino rubicundus, ac bellè potus, face in Somnum pugnans. Sanè tedis flos ætatis ac formæ à pictoribus illuſtrandus eſt, & ſine tedis cæcutiunt picturæ.* COMI *tamen adſpectus pauxillulum nutat, umbrámque à capite & corolla trahit. cetera corporis partes clariſſimè efficta, & à facula relucent. Fragrantes autem roſæ tempora cingunt, tam ſanguinei vernantiſq; floris, ut ipſos quoque putes odores pictos eſſe. Viliſſimum hic quidem artis pretium, color. Quid reliquum* COMI *? οἱ κωμάζοντες, ſive Luxus Laſciviáque? Crotala, ſiſtra, tympana, vides: imò ſtrepitum vocéſque ab ipſa pictura audis. Lampades ſublucent quoque, unde & videre, & videri Laſcivientium ille chorus poteſt. Promiſcua verò turba hominum petulanter exſilit, mulierculæ cum viris incedunt, & communes ſoleas habent, prætérque morem cinguntur. Nam & mulieri* COMVS *indulget virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebritérque incedere. Sed coronæ his non ampliùs florida, hilaritate per luxum laſciviámque imminu-*

minuta. Florum enim libertas manum averſatur, omniſq́; contrectatione hilaritas flacceſcit. Plauſum etiam quendam pictura imitatur, cujus maximè indiget COMVS. *Siniſtram enim ſoror ejus dextera ita ad cavum plectit ſtringitq́ue, ut cymbalorum inſtar percuſſi articuli conſonent.*

Totus in hac tabula hærebat Aderba meus, & ingenioſos colores non imperitis oculis ſcrutabatur. Ego autem lentis paullatim veſtigiis aberrans, cùm totum parietem perſequerer, video in extrema porticu, neſcio quem ſuperſtitioſo planè gradu incedentem. Vt geſtus erat, ipſis videbatur manibus pedibúſque nunc loqui, nunc ſilere. nam & ſubſiſtebat interdum, & quoties verba colligeret, nihil à ſtatuis differebat. Mox vehementiori iterum motu erumpens, ſardonychatam jactabat manum, & orationem totam ineptiſſima geſticulatione obruebat. Pulchrum ſanè progymnaſma: ſed quod non poterat ſine magno ingenii cruciatu naſci. Noctis enim Encomium orator conceperat, quam cùm ſobrius nunquam vidiſſet,

eouſque laudibus efferebat, ut univerſum pænè obſcuraret cælum, Solémque denſis verborum telis configeret. Iterum chaos erat.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe:

iterum, ut Hercules naſceretur,

In faciem vorſus Amphitruonis Iupiter,

Alcmena fruebatur: iterum Venerem ſuam Mars, Amor Pſychen frequentabat. cúmque fabulæ deficerent, etiam maritus Nocti datus ipſe COMVS. Addidit eadem levitate νυκτεγρεύτης ille: in hoc thalamo Amorem eſſe, gigni Voluptatem & naſci, vigere delicias & accendi. Mox ad Νυκτέλιος ſermonis errorem præcipitans, vini & poculorum omnem hilaritatem tenebris conſecrabat. Atque ſic conſumpto tandem lepidiſſimo argumento, cùm obſcuriorem ipſa nocte orationem finiiſſet, protraxit è ſinu pyctacium, & devorare odioſo murmure verborum aliquot ambitus cœpit, iterúmque jacto velut fundamento, me-

to, meditari. Ego in Pœcilen me veniſſe arbitrabar: itaque, fronte animata, acceſſi, &, Niſi impedio, inquam, dic obſecro: an & Litteræ hîc habitant? Ille tanquam è profunda cogitatione emergens, De Litteris rogas? ait. ita, ita, hîc habitant; nec opus tamen, aut utile

Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

Apud Cimmerios tam locuples ingenii doctrinæque cenſus, ut etiam ebrii ſapiant. Tu quoque ſiquid habes, promas licet: non ſcire tantùm, ſed æſtimare litteras noſtrum eſt. Ac mehercle nomen ſi juvat, ſummum ingenii pretium; occaſione utere: nuſquam majores plauſus, quàm in hac ſcena. Liber frontem & facundiam donat, & ut ſcias in porticum te veniſſe; mellitos verborum globulos exſpecta, & omnia dicta factáque quaſi papavere ſparſa. Orat, quiſquis loqui audet, nec pictas temulento ore dicit ſententias, ſed eructat. Cur te celo? Tam diſertus nuper Bolenus noſter fuit, ut cum vino totam quoque cœnam declamarit. Cruda & indigeſta

adhuc dictio, etſi cum nauſea, plauſum tamen invenit.

---- Tanta dulcedine captos
Adficit ille animos, tantáque libidine vulgi
Auditur.

Atque eadem ingenii fiducia,

---- & dulcedine famæ
Succenſus,

etiam carmen, quod nondum didicerat, tentavit; tam curioſa felicitate, ut ipſe videretur Horatius loqui. Hic dormi, ſomnia, imò delira, & repentè vates prodibis. An tu putas tam difficile in Parnaſſum iter ſterni? Hiulco ſtridore Satyram, aut Epigramma molire, mendacia & calumnias in numeros coge, alienas virtutes mimico riſu exſibila, denique vitiis, & corruptelis omnibus morum adulare: & Poëtæ nomen inveniſti. Hæc ille, & ut articulum conformaverat, longiori videbatur oratione omnem Apollinis familiam compuncturus; cùm ingenti clamore pueri nunciant, accubuiſſe COMUM, & Epulones exſpectari. Nec mora, omnis illa ambulan-

bulantium, differentiúmque frequentia dilabitur; ac mox tanta ſolitudo, ut videretur non hominibus tantùm, ſed ipſis quoque Litteris porticus exhauſta. Ergò manum mihi injiciens Aderba, Quid ſtamus? inquit. ſine periculo tam multorum veſtigia ſunt. ſaltem, ſtomachus tibi ſi nauſeat, ludos iterum oculis demus, & ipſam PHAGESIPOSIORUM (hæc celebrari audio) pompam arbitremur. Non recuſo, inquam: præi & ſequor. & cum dicto, ceu reliquias turbæ, nos quoque ingens cœnaculum admiſit. Seorſim, pluſquàm Aſiatico circumfuſus luxu, accubuerat COMUS. Numen aliquod eſſe, apparatus indicabat. Reliquas deinde menſas longo conſeſſu omnis ordo, ætas, ſexus ſtipaverat.

Ipſa ſinus accincta Ceres Bacchusq; laborant
Sufficere.

Quid attinet ſuperbiſſimas delicias diſpari verborum conatu referre? Pro majeſtate domus, epulæ quoque erant. Quamvis enim pavimenta marmore

cæſim diminuto varia emblemata referrent, quamvis laquearia laborioſa auri pictura coruſca reſplenderent: tamen arte, pretio, & ambitione, dapes ſuperabant. Sed quantus ibi ſtrepitus, & quàm omnia furori ſimilia!

----gemina æra ſonant, Idæáque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Iam antecœnia ad illicium gulæ deflorata, jam fercula robuſtiora moroſa fame imminuta, jam menſæ ipſæ poculorum quodam flumine inundatæ, effuſam hilaritatis procellam concitarant; cùm, ut aliquid ſui numinis ſpectatoribus COMVS impertiret, buccearum exquiſitiſſimas lautitias in mediam turbam miſit. Hinc ſtrepitus, & tanquam mare impulſum Africo, totum triclinium æſtuabat. Nos unda quoque hauſerat, & reciproco deinde motu in extremam columnam, velut ſcopulum, pænè illiſit. Ergò parietem, ceu litus legimus: & ecce ſenem video floridi adhuc oris, quem intuens, Téne video, inquam, optime & amiciſſime mi TABVTI? an me oculi

oculi in hac imagine rerum fallunt? Ille effuſus, Me, inquit, vides, annis conſitum, ab ipſis huc Inſubribus poſtliminiò delatum. Ego iterum: An tantum ætatis ſuis etiam alis Somnus vehat? Ita ait Tabutius; & quaſi, non locum dicam, ſed ætatem mutaverim, primæ juventæ imaginem, ſevera nũc cogitatione uſurpo. Acceſſerat intereà Aderba, & in loquentis collum brachia expandens, tenerrimo amplexu ſalutis oſculum libavit. Tum verò Tabutius ſub extremam triclinii fornicati teſtudinem nos ducens, fari ſic cœpit.

Non mihi novus Cimmerius hic COMVS: in meo quoque corpore ſanguis olim caluit: aliquid bonæ ætatis ludo & lubentiæ dedi. non ſine floribus Ver habemus: nec florere omni Hora datum eſt. Itaque miſſis nugis, ad ſeria, ad quietem, ad Sapientiam me compoſui: anni animum confirmarunt. Hunc ſpecto ſolutæ corruptæq; vitæ typum, ut damnem atque irrideam. Vlyſſem me putate; nihil in robuſtam Sapientia mentem Sire-

nos

nes omnes poſſe. imò Democritum me putate, & tacita ſaltem cachinni cenſura molliſſimos proſcribere ſeculi mores. Vos autem alienos eſſe ab his Sacris, ab his locis maximè decet, & ne cogitatione quidem frequentare. Comvs iſte vitiorum fomes eſt; deliciis capit animos, ut enervet. Quem videtis Luxum Laſciviámque, labes eſt, & quicquid in homine ingenui, extinguit. Quid reliqua illa & mollitie diffluens turba? noxia, & per Autumnum ſæviens aura, quam ſine morbo, aut periculo morbi non haurias. Ne blanditiæ imponant: fraudes, aut corruptelæ ſunt. non amor hîc, ſed fucus eſt; non amici, ſed domini. Vultus iſtos cernitis, riſu & pellacia amœnos? livorem & malignitatem tegunt. In alieno hîc orbe, & extra homines agitis: incautos ficta humanitas deludet. Etiam dico? Admittere ſine damno beneficium, non licet. Exulare Candorem & Ingenuitatem Comvs voluit; Fucum, & Fallaciam civitate ſua donavit. Itaque affectu qui carent, quicquid ſu-

munt

muntaut inſumunt,imputant; hactenus blandi, ut obligaſſe videantur. Tunc frontem & imperium ſumunt, & niſi ad arbitrium Amicum habent, odiſſe incipiunt: cùm habent, ſatis ſupérque amoris eſt, non deſpexiſſe. Hem! non hoc præſtare beneficium; eſt vendere: & quaſi lucro poſtponi amicus debeat, in quæſtum Teſſera venit. Sed, ſi ex vero loquendum, has maculas ambitio induxit, & poſtquã promptiſſimum humanitatis officium luxu inquinatum eſt, omnis menſæ & ſimul amicitiæ uſus periit. Exemplo malim, quàm verbis loqui; & vos ipſi, Amorem & Frugalitatem jungi poſſe ſcitis. In domo & convivio nitor amandus; ſed ingenuus, & quem, modeſtia ipſa præſcribit. Videri ipſe hilaris quàm ſollicitus malis, & videre talem quem excipis, ne apparatu percellatur. Pompæ & portenta luxuriæ quem delectant, Sapiens arcet: Fortunæ ſuæ vires ſumptu non oſtentant. Vitæ placeat regula, quæ oculos amici teſtes ſuſtinet, amátque publicari. Delicias mentiri, ut pro

ut pro Genio vulgi ſapias,ſtultum eſt. Laudo domum, in qua nihil domino melius eſt: in qua nec ſupellex luxuriat, nec κυλικεῖον ſuperbit, nec tori ornantur, nec parietes veſtiuntur, ut fucum faciant. Epicteti præceptum eſt: *Noli tabulis & picturis ædes tuas occupare; ſed modeſtia, ſobrietate, temperantia depingito. Quod enim aliunde accedit, impoſtura quadam ad paſcendos oculos adhibetur. Modeſtia verò eſt innatum, & indelebile, & perenne domus ornamentum.* Inſpici vita cujuſque & mores debent, & ab una aliqua cœna tota victus ratio cenſeri. Ita quidem ſine moleſtia convivium paratum, etiam cùm imparatum eſt; nec qui ex improviſo venit, opprimit. An quis volet, ut adventum ſuum maçellum ſentiat? ut *culinæ fumus* (Senecæ formula eſt) *vigiles terreat*? ut vicini omnes ſciant, hoſpitem, aut convivam advenisse? Malus, qui amici affectum ſumptu ponderat: ſed ſtultus & reprehenſione dignus, qui in alienum honorem intemperans, facit ſumptus, ut æſtimet; qui, ſi quid debet, demenſo menſæ pre-

pretio pariat; qui vocat, quem venire nolit; qui excipit,ut arceat. Miſerum beneficium, cùm in gratiam menſa cedit,& pro hoſtimento fercula ſunt, ac numerantur. Vt vivit Sapiens, ita & amicum curat. nec minùs exemplo,quàm ſermone ad ſobrietatem ſe componit. Quorſum in Luxum ſevera oratiò,ſi menſa diſcrepat?& Curios præcipiam,Bacchanalia ſi amplectar? Odi homines,quibus in ore ſententiæ natant, in animo nutant, qui paucis litteris immane ſapiunt, ſed vanitate & ambitione occupantur. Hoc age, ne à ſtudiis mores diſcrepent, ut dicendò pariter ac vivendo bonus ſis,& affectus tuos regas. Oppugnare verbis Fucum Luxúmque poteſt, qui Moribus cœpit: & oppugnare ego audeo, quaſi cœperim: apud vos certê, qui mores, pro ingenio bonos,amatis. Tales autem amicos præſentes quid ni cupiam? cur Larem non pandam, quibus animus patet? non invitem, qui excipi ſine apparatu gaudent? Vos volo,imò voco,ut ex animo lætus ſim; ſed intemperan-

perantem, &

----ſuperbum
Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas.

Mihi nec lubet, nec licet etiam ad exemplum ſumptuoſo eſſe, aut ad pollụctum. quemquam vocare, ut Herculi placeam. Ita cibum amicis paro, & convivium inſtruo, tanquam ſolus cœnaturus; nec oſtendere frugalitatem meam pudor eſt, qua nemo niſi intemperans offendatur. An erubeſco dicere?

Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porrigo;

tum lances patináſque, in quibus præter cibum nihil æſtimetis; imò ne cibum quidem, Apicii ſi veniſtis. *Placet cibus,* (& hæc ad tranquillitatem Philoſopho via eſt) *quem nec parent familiæ, nec ſpectent: non ante multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus; ſed parabilis faciliſq́; nihil habens accerſiti pretioſive, ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus quà intraverat.* Et quid opus arte nidorem

dorem quærere, & unam aliquam cœnam plurium dierum expenſis onerare? Citra luxum hilaritatem inveniam, & delicias honeſtæ voluptatis. O ſuavem illam menſam, quæ famem ſedat, ſed ut provocet! quæ vigorem alit mentis, non obruit! quæ paſcit, non ſaginat. Sic dimittendus conviva, ut qualis venerat, redire poſtridie poſſit. Maximo damno cœnat, quiſquis valetudinem impendit: ſed nimium quoque pro ſumptu præmium exigit, qui imperio utitur, & cibo potúque ad morbum compellit.

Dixerat Tabutius, & ſimul decumano epulantium plauſu ad novam convivii faciem converſi ſumus. COMVS, ut novis illecebris vergentes ad inſaniam ſtimularet, ſubſtructis in tumulum ſtragulis, truncum corporis erexit, & geſticulantes explicuit manus, ad cytharam canturus. Iam dextra ſilentium popoſcerat, omnémque illum clamorem ſedaverat, & impellere ſollerti digitorum ingenio nervos cœpit; imò jugi ac planè molli carmine chordarum melos animavit.

Limen ſuavioris
Qui leve pulſat ævi,
Nomen bonis daturus
Sacris PHAGESIORVM;
Condiſcat ille molli
Ditare melle guttur,
Dotare pectus udo
Mitis lepôre Bacchi:
Condiſcat ille fracto
Terram gradu pavire,
Fulvæ vigil lucernæ,
Et ebriæ lucernæ
Cultor, novúſque Myſta
Noctis, Meriq́; Myſta.
Nil turpe, nilq́; factu.
Fœdum putet: latere
Caliginis ſub atræ
Velo poteſt opaco,
Quòd turpe, quódque fœdum.
Quid ergò? quid moramur?
Cur non ſacro gemella
Luſu furit Voluptas
Dulciſſimi Lyæi,
Dulciſſimæ Diones?
Veni, veni Lyæe,
Te COMVS, *atque* COMI
Florens rogat caterva:

Veni,

Veni, madere ſuave eſt:
Veni, perire ſuave eſt.
Pleno vetuſtioris
Florem cado Falerni
Carpamus ô Sodales.
Trullis, ſcyphis, diotis,
Carcheſiis, culignis
Delere fas ſeveræ
Nævos notáſque mentis,
Nævos notáſque frontis.
Et tu veni Dione,
Veni, veni Dione,
Riſum, Iocúmque prome
Vrentis & furentis
Duces ſatellitéſque
Cupidinis procaces.
Veni, ſinúque prono
Nectar ſalax, favóſque
Largire, lacteúmque
Rorem Suavitatum.
Triſtes abite curæ:
Tranquillitatis almæ
Hæc Sacra ſunt, perire.
Hic Gratiæ decoræ,
Hic Illices Amorum,
Laſcivientiúmque,
Libidinantiúmque

 Hic

Hic lucta baſiorum,
Compreſſiuncularum,
Et morſiuncularum,
Iam puberis puelli,
Iam nubilis puellæ.
Hic Fervor, & Iuventas,
Lubentiæq; ſunt hic.
Hic ipſe COMVS, *ipſe*
Adſum pater Lepôrum,
Adſum pater choreæ,
Et arbiter Iocorum,
Et Elegantiarum
Nocturnus, ille veſter,
Mortaliúmque molle
Numen: Perire veſtrum eſt;
Sed molliter perire,
Perire non perire.
Quem non juvet virenti
Bacchiq;, Cypridisq;
Vmbrare fronde frontem?
Licebit & venuſto
Rorantium impedire
Serto caput roſarum,
Micantiúmque florum.
Ergò juvet perire;
Madere, non perire;
Prurire, non perire:

Pictam

Pictámque mollicellis
Signare humum choreis,
Et igneis ocellis,
Et uvidis labellis,
Et ebriis medullis
Libare blandioris
Vernantem Amoris auram,
Catullientis auram.
Hoc puberes puelli,
Hoc nubiles puellæ,
Hoc omnis ordo & ætas
Agat: perire ſuave eſt,
Sed ſuaviter perire,
Perire non perire.

Cœnaclum totum ad pſallentis motum arbitriúmque videbatur flecti: Convivæ attoniti, & velut extra ſe poſiti, fugientem in auras harmoniã ſenſu errabundo ſequi: menſæ, dapes, cyathi, atque ipſæ circumquaque imagines ſtatuæq́;, hominum inſtar, vivere & geſtire: faces & lucernæ, criſpati ſoni aëriſque gyris percuſſæ, tremulis flammulis laſcivire. Ridebat interim inſolentis ſtultitiæ miraculum Aderba, cùm neſcio quo infortunio, abacus omniſq́; illa liventis

auri argentique congeries cecidit. Ego ſuſpicatus vaſa quoque vivere & ſaltare ebria, magno ſplenis pruritu laborare cœpi, nec jam ampliùs impetum compeſcens, in liberrimos cachinnos erupi. Sed ô meum infortunium! Suſpenſæ circumquaque lucernæ laqueare velut cælum diſtinxerant: totúmque triclinium non minùs fumo, quàm lumine implêrant. Sed ab his aſtris malum aliquod proficiſci, ne quidem libuit ſuſpicari. Irradians tamen noxiúſque velut Saturni lychnus capitibus noſtris imminebat, pendulo fluitans motu, & tanquam ab ipſo ſtrepitu tumultúque impulſus. Putares hîc quoque vacillantis ebrietatis vitium eſſe: nam & hedera totum argentum vinxerat ornaverátque. Ergò converſus ad meos, Vino, inquam, an oleo flammula hæc nutritur? an corolla fallit? Ne quære, inquit Tabutius: etiam ignem Bacchus donat, & à lucernis inſania venit. Quid opus eſt dicere? quaſi non cyathi tantùm, ſed & lampades inebrient, fumum quoque tota cœna con-

convivæ bibunt: ſitis in ebrietate per nebulam quæritur. Sed quod magis mirere, homines hic aliqui velut lucernæ ſunt,& coronati ſedent. Vides corymbos, hederam, myrtum, more veteri; imò quod nuſquam factum,ut Apollinis furor in convivio laſciviat, pleroſque laurus non ampliùs pudica cingit. Sic Pegaſi fontem ſcatere vino volunt Cimmerii: ſic doctum eſſe,qui inter bibendum diſſerit: Poëtam eſſe, qui obſcœnus eſt. Nam poſtquam viti hederam luxus coronarum junxit, Bacchi Phœbique cœpit numen confundi: poſtquam fugere Daphne deſiit, illicis Floræ blanditias aſſumpſit. Dum hæc Tubatius diceret, identidem ego ad lucernam, nec ſine riſu ferebam oculos: quæ repentino quodam æſtu bulliens (nihil præter iram flamma erat,)ſtillas aliquot ferventis olei in veſtem meam extremam cum ſtridore evomuit, lanæque nativum candorem, nec fullonis adhuc operam expertum,pingui macula infecit. Aderba non ſine ſtomacho ſuſpiciens, Ergò, inquit, injuriarum

nos quædam hic mancipia ſumus, & peſſimis inſontes modis urgemur? Nunc latratu umbrę lacerantur, nunc ardenti humore veſtes conſpurcantur, & à cane in lucernam rabies migravit. Sed ille quidęm dexteræ meæ vim irámque ſenſit: & tu fuſci luridíq; luminis impuriſſima anima ſpiras etiam, & exultas? Simúlque in vacuam, quæ aſtabat, ſellam evadens, valido pulmonis niſu flammam nequicquam reluctantem difflavit in nebulam, penitúſque extinxit. Sic igitur denſo fumo quicquid erat luminis ſepultum eſt; cúmque fœdiſſimo nidore vindicare fatum ſuum videretur, nos in proximum conclave Tabutium præeuntem ſecuti ſumus. Hic quies erat, & præter morem Regiæ, alcedonia quædam noctis. Etenim languebant tedæ, & lucernæ pænè aridæ tenue & extremum lumen ſpargebant. Somnus etiam, perfractis feneſtris, illapſus, ſuaviter diffundebat papaver ſuum. Sed jam antè vinum quoſdam vicerat: aliiq; non tam corpore, quàm ſopore, ſedilia impleverant;

verant ; alii in ipſo pavimento conjunctis marcebant capitibus, cirneas adhuc complexi. Aderba delectatus tam ſuavi ſchemate, Quid, inquit, an & hi Poëtæ fiunt, & in porticu recitabunt? Ego excipiens tam amœnum dictum, Scilicet, Muſarum hic Apollo, inquam, COMVS eſt : ſed in pœnam iſti dormiunt,

----frangent ſubſellia verſu,
Et tamen eſurient.

Tum Tabutius toto Sapientiæ habitu frontem induit, & , Quæ videtis, ait, imò quæ vidiſtis, nova, lubrica, noxia ſunt ; & his tamen mens, perverſa conſuetudine corrupta , delectatur. Vos hic ſedete, & audite: mihi loqui lubet, & , quia ſine arbitris ſumus, in ſilentii hoc ſecreto ſtultiſſimos PHAGESIPOSIORVM ritus enarrare.

SAPERE quidem bono ſi exemplo decreviſtis, alius ævi mores inſpiciendi ſunt, cùm voluptatis jugum ferre mortales nondum didicerant. Nunc enim tenebris circumfuſi, & plus quàm Cimmeriis, omnem liberi pectoris majeſtatem protrivimus , &.

quod extremum infelicitatis genus, quiſque ſibi ſervit. Animos erigite, quicquid impoſturæ allubeſcit, ſpernite: in ſola Sapientia libertas eſt, in ſola Virtute gloria.

Virtus eſt vitium fugere; & Sapientia prima, Stultitia caruiſſe.

Anne ſapere vobis videntur, qui Luxu Laſciviáque magni ſunt, qui ferculis vinóque ſtrenui, & ſumma Sacra, COMI habent? In qua Regia ſimus, qua dominatione premamur, minimè vos fugit. Libertatem tamen animo ſi concipitis, ab iſta palæſtra alieni eritis, in qua pro oleo merum eſt, & poculis patiniſq; cernitur. Rideat, ringat, quicquid uſpiam naris eſt; turbet, ſæviat, quicquid uſpiam bilis: ſobrii eſte, mentem & valetudinem omni imperio laſcivientis ævi majorem habete. Sedere, madere, garrire Conviviorum ſolennia ſunt: mille naturæ injuriis ſobrietas expugnatur. Iſtam ſi audimus, quicquid ultra famen ſitimque, grave & pro nauſea ſit. Ac ſanè, diurnare in Convivio, aut pernoctare, annon Herculeus labor? Non perſe-

perſeverare,cùm aſſederis, turpe,imò ignominioſum eſt. Vt qui navem conſcendit, in poteſtate naucleri & maris eſt : ita qui Phagesiposiorvm undis ſe commiſit. Blandas fallacéſque invitantium voces quid refero ? Sedebis, inquiunt, quantillum voles, edes bibéſque quantillum voles, liber & immunis poculorum eris, & in tuo velut lare. Sed quid fit? Vix antecœnii florem prima hilaritas fregit, & alia prorsùs oratio eſt:

Es, bibe, animo obſequere mecum, atque
onera te hilaritudine:

è melioribus diem iſtum habe, Genio & amicis paucas aliquas horas vive. Ε'ις ἄυριον τὰ σπȣδαῖα, *In craſtinum ſeria.* An tu id agis, ut triſtitiæ velut nebulis animi vigorem obruas? Remiſſione interdum opus: *Meliores acrioreſque requieti ſurgunt.* Quippe in hunc finem Convivia inſtituta, ut vegeto quodam hilaritatis rore laſſam curis mentem imbuant erigántque.

Narratur & priſca Catonis
Sæpè mero caluiſſe virtus.

Imitare, & triſtem paulliſper ſeveritatem

tatem remove, ad curas rugáſque mox relapſurus. Mos igitur gerendus, atque etiam ingratiis. Alius lancem porrigit, alius cyathum; nemo non urget, ut amare videatur. Sic damnoſus affectus eſt, &, quod miſerrimum, eo inprimis officiorum genere obligamur, quo lædimur. Intereà verò laſcivia gliſcit, & longo ad vaniſſimam pompam ordine, lenocinia menſæ cumulantur, non guſtanda ſolùm, ſed ſpectanda. Minimum eſt quod edimus: quaſi totam crapulam gula non capiat, etiam oculis cœnamus; in ipſis oculis gula eſt. An ad veterem morbum? *Non ſunt ad popinam*, ait ille, *dentibus & ventre & ore contenti; oculis quoque guloſi ſunt.* O fatuam neceſſitatem! ad fercula, imò ad pocula damnatur quiſquis accubuit: Cereris Liberique hi vigiles quidam labores ſunt, & tunc breviſſimi, cùm maximè exantlantur. Depyges olim Athenienſes dicti, quia rei nauticæ ſtudioſi, & in tranſtris ſedentarii, nates deplanarent: nos ſumus; ſed in conviviis, & longa ſeſſione pertinacem Socratis ſtatum

ſtatum vincamus. Omnes epulæ luxu conſtant, & quaſi deliciis parum molles, mora effeminantur. In noctem prandium ducitur, in diem cœna; quietem cibi non inveniunt, ut concoquantur. priùs ſomno, quàm inſania occupari, turpe: ebrios lectulus exſpectat, dimittit ebrios; nec tantum ſpatii popina indulget, ut edormire crapulam liceat, aut vini furorem edomare. Videte, ſultis, ipſam cœnæ ſcenam: *Dapes*, & ſimul *Convivas*.

Ad pompam & oſtentationem DAPES ſunt; nec Dapes, niſi aut voluptate morentur confidentium oculos, aut invidia accendant. Ordinem ipſum quomodò explicem? Confudit fercula cupediarum indagine defeſſa luxuria; & cùm deſint quæ addantur, miſcere lautitias cœpit, ciborúmque & condimentorum velut adulteriis nova menſæ monſtra dare. Cuncta luſtrate: ab omni Miſſu auſpicium eſt. Etiam quaſi pigeat eſſe jam ſingula, coguntur in unum ſapores. *In cœna fit* (cenſuram Latini Stoici auditis) *quod fieri deberet ſaturo in ven-*

in ventre. Exſpecto jam ut manducata ponuntur. Si auguria placent; cum pennis aliſq; altilia inferuntur, ſpecie & nidore magnifica; &, tanquam ignis ſatis non urat, aromate excocta. Tamen vivere dicas: non ut edantur, ſed ut edant, in menſam involaſſe. Turdi, coturnices, perdices, infauſtæ aves ſunt; & vilioris gulæ. Niſi & in ferculis divini adulterii memoria placuiſſet, exularet Cygnus: nunc ſpectatur ſaltem, velut ſtrenuus compreſſor Ledæ, & è ſtagnis in menſam tranſlatus, hîc quoque natat. Pavus ipſe, olim Samius, nũc Cimmerius, omnis Convivii verna eſt; & vix jam, floridam illam pictámque tot oculis, totóque adeò Argo caudam expandens, oculos mulcet. Sic tamen inter tot faces, quæ lucent, nubem aliquam verſicolorem, pluviúmque arcum videas: ſic & à nube umbram, in qua non epulari tantùm poſſis, ſed prœliari. Nam quædam velut pugna ipſa cœna: milites & caſtra cibi ſunt; imagines lurcamur, arces & urbes expugnamus, ac diruimus: toto Convivio Bellaria ſunt,

ſunt, tanquam à bello dicta. Lepidè, & ad rem Manilius:

Luxuriæ quoque militia eſt vigil, atque ruinis
Venter; & ut pereant ſuſpirant ſæpe nepotes.

Summa, quicquid rarum aut difficile paratu, ſaporem duntaxat habet: & hæc jam delicatæ eſuritionis ambitio eſt, ut non poſſit niſi pretioſis cibis ſedari; ſi tamen ſedari.

.----Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos & damnis: arceſſitur inde macellum,
Vnde aurata novo convecta eſt æquore pellis.

Satyricè, & tanquam Arbiter dicam:

Ales Phaſiacis petita Colchus,
Atque Afræ volucres placent palato;
Quòd non ſunt faciles: at albus anſer,
Et pictis anas renovata pennis,
Plebejum ſapit. ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Siquid naufragio dedit, probatur.
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Imò ignorari debent quæ ponuntur. At ne ſic quidem palatum, deliciis langui-

languidum, invenit quo excitetur. E culina quicquid promitur, aut origine, aut fuco peregrinum eſt, aut utroque. adeò, ut ſi quærere pudor, quid comedas, quomodò comedas, cogaris. In tanto & tam vario Luxu, etiam colores gula poſcit, ſordéntque cibi, niſi auro, argento, minio maculentur. Facit C o m v s, quæ nec Lucullus, nec Trimalcio cogitavit, utroque antiquior. Sed Dii boni! quid cura aut ſumptu opus? *Quid opus eſt*, ut Senecæ verbis utar, *tot artibus ventri ſervientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſilvarum? quid profundi perſcrutatione? paſſim jacent alimenta, quæ rerum Natura omnibus locis diſpoſuit. Sed hæc velut cæci tranſeunt, & omnes regiones pervagantur, maria trajiciunt, & cùm famem exiguo poſſint ſedare, magno irritant.* O vanos! ô perverſos! Nam iſta omnia tam ſumptuosè quæſita, tam curiosè ſtructa, quid ſimplici ferculo melius habent? Ventrem, ceu cloacam ſubeunt, & comeſta eadem fœditate occupantur. *Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum ſpecta.* Imò vis ciborum ambitionem

bitionem contemnere?

CONVIVAS ſpecta,& ridiculum auſpicium laſcivientis Canopiſmi. *Mollibus lenibúſque fomentis totum laceſſitur corpus ; & ne nares interim ceſſent,odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.* Placere aër non poteſt,niſi unguentis & ſuffitu corruptus. Sic quoque ciborum nidor vincendus eſt,ut ſuam nares voluptatem inveniant:ſic ad Cimmerios tota migrare Arabia debuit, nequid Laſciviæ deeſſet. Ergò nec ſine mollitie Lavatio eſt, & ut ſciatis ſordes æſtimari,meliorem aqua(quam optimam tamen Pindarus vocat)ſuccum invenit COMVS, floribúſque rorem expreſſit,quo abluantur. Viles,quia ſine fragrantia,fontes ſunt; & quibus, ſaluberrimo naturæ inſtinctu, pellere ſitim olim mortales ſolent, nunc quidem fuliginem dedignantur. Ite Cimmerii,& Victuæ Potuæque aram ornate; ſic ad COMI formulam vivitur. Prima verò & moleſtiſſima de ſeſſione herciſcunda velitatio eſt.Locum quiſque fugit,ut occupet ; mo-

deſtè, graviter, officioſè aſſidet, ut quàm diſſimillimus ſurgat. Etiam Sciſſoris munus controverſiam facit, quæritúrque qui cœnam virginem, non ſine venere violet. Ex more ſcilicet, ne quæ ſuperbè parata, ſine pompa deſtruantur.

---- Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, aut quo gallina ſecetur.

Arte igitur opus, & erudita quadam manu: quam, ut promptam alii cum oſtentatione habent: ſic moroſam alii, ne peccent; ut etiam non guſtare malint, quàm ſecare. Sic verò intacti aliqui cibi remanent, & vulnus effugiunt, mox famulorum manibus lacerandi. Hi mores ſunt; ſed quos divitiis ſuis fovet, quiſquis vitiis elegans, omnémque in Luxu felicitatem vitæ, atque famæ ponit.

Vocem hîc contraxit Tabutius, & velut ſermonis materiem colligens, ſeria hæc mente, quæ dixerat, digerere nos juſſit, atque paullulum etiam, ſi luberet, inambulare. Surrexit ipſe, & ſedato paſſu nos ducens, longio-

rem orationis ſeriem promiſit. Iam repetitis ſpatiis, aliquoties conclave emenſi eramus, cùm experrectus ex iis unus qui ſtertebant,& deliquio lucernarum perturbatus,accurrit,flammuláſque fugientes infuſo oleo revocavit. Sic momento repulſa nox fuit. ille verò, quaſi minimum etiam guſtum hauſiſſet ſomni, non perfunctoriè dormire iterum cœpit. Itaque cum novo lumine nova Tabutio diſſerendi occaſio nata: ſed dum aures animúmque arrigimus, & dicturientis auſpicium officioſè veneramur; ecce è triclinio,pallium trahens, EVPANTVS advolat,communis ille noſter,non amicus tantùm, ſed Genius; purpureo virtutis colore venuſtiſſimè perfuſus. Loqui parabat: ſed Tabutius prævertens, Hem, inquit, an ſic delicias COMI deſeris, & hilaritatem? Vbi corolla? & cur non faciem iſtam obumbras, ſic multo rubore & igni læſam? Imò ait Eupantus, non frontem tantùm,ſed faciem & caput, ut hinc fugiam. Etenim iraſci Cimmeriis omnibus poſſem,iſtum mihi ſi

tu affectum indulgeres. Per ludum cruciari, ſævillimum eſt. non COMVM, ſed ludibrium, imò convicium invêni: temulentum virus ridens Calumnia effudit. Quot linguæ, tot plagæ; voces, vibices quædam erant, vix etiam Cynico animo concoquendæ. Hac pœnarum adventitia exceptus ſum, etiam cùm peccaſſe me neſcirem. Itaque interrogavi crimen meum :. & menſæ Genium gemina ſum dictus impietate violaſſe. Tabutius, velut urgens, Et quà impietate? inquit. Illa ipſa ait Eupantus, qua tu, ô veræ Sapientiæ & Virtutis germen, religioſum me eſſe docuiſti: Sobrietate, & Silentio. Me miſerum! Parcus cibi, & ſermonis fui, & offendi: contracto linguæ peculio, σιώπηλος ſedi, & tanquam Pythagoricæ ſeveritatis alumnus reprehenſus, & petulantiſſimis garrulitatis ſpiculis cōfoſſus ſum. Excipiens Tabutius, Hoc miſerum profectò, inquit, peccare, quia non pecces: calumniæ ſtigmate dignum cenſeri, quòd opportuno freno linguam coërceas, *verbáque* (cum Appulejo

lejo dicam) *quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premas.* Sed inter garrulos tacuiſſe, ne nunc quidem te pudeat ac pæniteat. Philoſophum agit, qui ſuo ſilentio alienam ἀδολεσχί-αν reprehendit.

Διὰ δ' σιώπης πικρότερον καθηγορεῖ.
Silentio accuſare licet acerbiùs.

Addidit Eupantus, à ſuperbiſſimis madidæ garrulitatis Tribunis, exilium ſibi paratum: ideóque præverti velle, & eadem nocte proficiſci; ut ire, non expelli videretur. Non ſine ſervitute voluptatis apud Cimmerios vitam eſſe; imò ne vitam eſſe, æterna caligine obſeſſam. Hæc cùm dixiſſet, de VIRIO amico ſuo quæſivit: &, Vidiſtin', inquit, ô Tabuti? Nam in hac Noctis aula oberrare dicitur; ſed infortuniam inventurus, niſi caverit, ac planè abierit in regionem almæ Lucis. De Virio, inquit Tabutius, pone metum: cavit, abiit. ac nos quidem idem illud iter molimur. Tu cum bono Mercurio evangelia præfer: ſubſequemur. Nec mora; ille, valedicto,

per poſticum aulæ diſceſſit. Tum verò Tabutius, inter ambulandum, Eupanti caſum revolvens, diſſerere ſic iterum cœpit.

Inter præcipuas Comeſſationum maculas, cum maximo veræ & honeſtæ hilaritatis damno Garrulitas eſt: ſed eò inverecundiæ proceſſit, ut etiam virtutis nomen aſſumpſerit. Loquentia eloquentiam oppreſſit, audacia verecundiam. Si examinamus, madent vino PHAGESIPOSIA, garrulitate diffluunt; linguæ morbum merò accendunt Cimmerii; ſobrietatem pellunt, ut loquantur. At ô Sermones! Nihil ſerii, ſani, egregii, & turbata mente per ſummam imprudentiam ac ſimul impudentiam præcipiti verba ore devolvuntur. Hoc vitium vini eſt, non meditari quæ dicas; effutire, quæ in ore nata. Τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Quod enim in corde ſobrii, hoc ipſum in lingua ebrii.* Verborum igitur fertilis lingua, quæ madet, & ſimul prodiga. verborum, ſed futilium, anilium, inutilium, quæ aures ſobriæ ſeriæq;

riæq; non ſuſtineant. Quid mirum? ut à nimbo præcipites ac lutulenti rivuli, & ſordes unà vehunt: ita ſermo à vino. Qualis cujuſque animus, talis oratio; ſed temulentiæ illo igni evaporat. Alius merces, lites, divitias crepat; alius voluptates, & libidines; alius faſtum, & inflati pectoris bullas. Modeſtia, ſimplicitas, paupertas vapulant, & Sapientia vitiis infeſta. Quæ quiſque fecit, dixit, cogitavit, in Convivio, velut tribunali, ventilantur; & temulenti cenſores, cùm oſſibus abſtinent, rodunt tamē alienam famam; qui ſuis ipſi in rationibus hallucinantur, alienas diſpungunt. Quanti vivat quiſque, quanti ſapiat, curioſis calculis plebeja illa πολυπραγμοσύνη putat; ut qui bonam mentem amat, videatur infra pecuniam poſitus, & communi litterarum fato, à ditioribus pendere. Sunt profectò, qui, cùm præter aurum nihil æſtiment, præter ſe neminem; honeſtam omnem doctrinam, tanquam ſordes, umbratiles faſtidiunt: tam eruditi ſcilicet, ut eruditionē poſſint contemnere. Et tamē

Suarum opum nos volunt eſſe indigentes,
Noſtra copia nihil volunt nos poteſſe,
Suiq; omnium rerum nos indigere,
Vt ſibi ſimus ſupplices.

Sed nec morſum labores ingenii effugiunt. Epiſtolam ſcribis? Oratio poſcitur: hanc pangis? ad Hiſtoriam vocaris: iſtam complexus es? frigidum, aut detortum elogium eſt. Qui ipſi nihil, aut parum ſcriptitant, cenſoria virgula volumina exigunt, πανδέκτας βιβλιοθήκην. Tuum illud tibi cano:

Non quanta, ſed quæ quiſque ſcribat, penſita.
Moles, laboris; pondus eſt ſignum ingenI:
Et vilior laboris eſt laus, quàm ingenI.

Ego ſubjiciens, Rectè tu quidem mi Tabuti: ac Philotheſiis meis nuper hæc inprimis nota impreſſa eſt, & parvitas objecta: quem ego tamen librum argumento magnum puto, & brevitatis, acuminis, imò novitatis cauſſa (liceat dicere) applauſu aliquo dignum. Etenim, ut vincto ſermone pergam loqui,

Quid majus eſt Amore, quid majus Fide?

Scri-

Scripſi Viros Amore magnos & Fide:
Sollertis alma quos manus Promethei
Luto creavit optimo, quos præmium
Famæ manet beatioris, NON MORI.
Pubemq́; ſcripſi Amore floridam & Fide:
Pubem, Bonæ quam Mentis ardor nobilem
Facit, Virûmque in numerum adoptat nobilem.

Quid tamen eſt? mole & numero librorum ſi dirigi ad optima Iuventus poſſit, & fortaſſis mihi vires. ſiquid etiam ingenii, ſtili, aut eruditionis habeo, præſtare malo, quàm jactare. Et quo tendo? ad ſeria, ad ſolida, ad Sapientiam ipſam, & Virtutem; ſed tuo exemplo ductúque. Ita, ita, ait Tabutius; ut ibi magnus ſis, ubi nemo parvus. Præclarum doctrinę opus, cùm quis vitam moréſque in exemplum profert: cùm non quæ ſcribit leguntur, ſed quæ agit. Bonum eſſe, quàm doctum laudabiliùs eſt: ſic animum, quàm ingenium polire. E Porticu Latina vocem hanc auditis: *Magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat:* O

HOMINEM LITTERATVM! *ſimus hoc titulo ruſticiore contenti:* O VIRVM BONVM! Vt Litteratus ſis, elegantia ingenii faciet: ut Bonus, illa animi. & tamen nonne ingenium colimus, ut animus eniteſcat? Nemo flore contentus eſt, fructum omnes quærunt: florem Eruditio, fructum Sapientia habet, &

Ο' χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ' ὁ πόλλ' εἰδὼς, σοφός:
Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.

Imò qui docet, qui ſcribit. Sed nos plerumque fuco inutilium ſtudiorum decepti, ut operosè nihil agamus, ſplendorem in umbra quærimus, herbam in ſaxo; &, ut vivamus, vitæ duntaxat inſtrumentis occupamur. Quid litteræ, ſi tantùm litteræ ſunt? quid procera & frondibus opaca arbor, ſi infœcunda? Quicquid ſolam habet voluptatem, aut inutile, aut damnoſum eſt. Sed ſtudiis quoque Luxus adhæret; & ſterilisſimas nugas neſcio qua ambitione ſectamur. Spernite; morem Annæo gerire, ſalubriter monenti: *An tu exiſtimas reprehendendum, qui ſupervacua uſu ſibi comparat, & pretioſa-*

tioſarum rerum pompam in domo explicat:non putas eum,qui occupatus eſt in ſupervacua litterarum ſupellectile? plus ſcire velle quàm ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. Quid,quòd iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit, & ideò non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt. Et quænam illa? quæ dediſcenda erant, ſi ſcires: Libidinoſior Anacreon, an Ebrioſior vixerit: an Sappho pudica: quot procos Penelope habuerit: quot remiges Vlyſſes: quod Achilli nomen inter virgines: quid Sirenes cantare ſolitæ. Alia deinceps hujus notæ, Græcis Romaniſque aliquando in deliciis: *quæ*, ut idem ille cenſet, *ſive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant; ſive proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior.*

Sed nunc ſatis ambulationis: ad ſedilia, & ſimul ad ſermonem abruptum redeamus. Poſtquam ſedimus, Convivium, ait Tabutius, Calumniæ irriguum ſeminarium eſt: in quo ſontes & rei trahuntur mores, boni cujuſque ac mali. Hic foro ceſſit, ille patrimonium

nium prodegit, iſte pudorem proſtituit. Aliena vitia fingit quiſque, aut denudat; ſed novo vitio, & ſimul convicio. Siquis dives, ſcelere & avaritia factus: ſiquis magnus, ambitu. Ne paupertas quidem humilitáſque ſine ſtigmate aut vulnere. Putes ſolos bonos, ſolos ſupra notam omnem eſſe, qui tam acriter cenſent. Atque utiam diſtinctæ ſaltem voces ſint, ac judiciorum vices! Nunc clamant, miſcent, turbant, cum litigo ferè aut rixa.

Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria.

Minimum in garrulitate vitium, loqui. Etiam mulier blaterat, aut puer; pluriúmque ſermones velut decuſſatim præliantur. Videlicet, ut pertinaci vento concuſſæ arbores confuſum tot ramorum frondiúmque ſuſurrum edunt: ſic in convivio quiſquis vini aura afflatus, quieſcere non poteſt. Sed qui ipſe non ſanus, quî ſani coloris ſermonem ullum efformet? Vt cùm plures lychni lucent, umbræ rerum languent atque expalleſcunt: ſic

ſic orationis fructus, cùm plures loquuntur. De me ſi quæritis, laudabile Plautini Periplectomenis exemplum ſequor:

---- Neque ego oblocutor ſum alteri in convivio:
Incommoditate abſtinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis juſtam partem perſequi;
Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.

Qua quidem moderatione videor à bonis ſobriiſque menſarum, & morum arbitris, *haud minùs opportuni ſilentii laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium conſecutus.* Homerus, ut cum Plutarcho dicã, τὸν λογιώτατον Ὀδυσσέα, σιωπηλότατον πεποίηκε. *Vlyſſem facundiſſimum hominem deſcripſit maximè taciturnum*; quid niſi ut oſtenderet, ipſam eloquii Suadam vocis interdum exilio coërcendam? Itaque odi Convivium, ubi cùm loqui ineptum, ſine reprehẽſione tacere non poſſis. Ineptum autẽ, loqui velle, cùm nemo ſilet. Vt qui ad aquæ cataracten citharam pulſet, laborem omnem & harmoniam ſepeliat

liat:ita quiſquis in garrulitatis contubernio aptum & dignum auribus ſermonem ordiatur. Inter fritinnientes hirundines luſciniæ melos mutum, aut quaſi nullum eſt : inter garrulos Sapientiæ ac Facundiæ vigor. ubi iſti, optimè loquitur, quiſquis tacet. Hoc igitur crimen Eupanti fuit, TACVIT, id eſt, ſi preſſiùs examines, Sobriùs, imò Suus in Convivio fuit, nec vini gurgite mētem de ſede pepulit. Quod Sapiens laudi vertat, id mores Cimmerii vitio. Iam dixi, ab Ebrietate Garrulitatem manare; ac quorundam etiam linguæ mero imbuendæ, priuſquam ſcaturiant : haud aliter quàm organa pneumatica vento implenda, ſeu ſpiritu animanda, ut perſtrepant. Sic nimirum diſerti, revera loquaces & rimoſi ſunt, ceu pertuſa vaſa. Pulchrè Bias, cui cùm in ſympoſio ſtoliditas tacenti objecta eſſet, Καὶ τίς ἂν, inquit, δύναιτο μωρὸς ὢν ἐν οἴνῳ σιωπᾶν; *Et quis ſtultus inter pocula tacere poteſt?* Zenonis reſponſum jungo (etſi & prius illud non ad Biantem, ſed Zenonem alii referant,) jungo inquam, velut

velut magnum ſilentii præſidium elogiúmque, à Plutarcho expreſſum. Athenis quidam πρέσβεις βασιλικοὺς convivio excipiẽs, Philoſophos ſimul adhibuit. Ibi ſermone jam fervente, cùm quiſque è Sapientiæ penu auriũ velut tragemata promeret, diſſereretq́; unus Zeno ἡσύχιος eſſe, ac tacere. Legati ſilentium admirati, comiter affari hominem, & propinato poculo, Περὶ σοῦ δὲ τί χρὴ λέγειν, inquiunt, ὦ Ζήνων, τῷ βασιλεῖ; *De te verò, ô Zeno, quid dicemus Regi?* At ille, Ἄλλο μηδὲν ἢ ὅτι πρεσβύτης ἐστὶν ἐν Ἀθήναις παρὰ πότον σιωπᾶν δυνάμενος. *Aliud nihil, quàm ſenem Athenis eſſe, qui inter pocula tacere ſciat.* O laudabilem vocem! ô facundum ſilẽtium! Imitemur. Sed madidos iſtos, lingulacas, ſtolidos, quibus moroſum ſapientis, id eſt taciturni nomen, contemnamus. Etenim SILENTIVM docta Antiquitas ebrietati oppoſuit; *tanquam profundum quiddam, arcanum, ſobriúmque: cùm ebrietas loquax ſit, quippe ſine conſilio, aut prudentia, ideóque vocalis.* Philoſophi autem Græci Ebrietatem, λήρησιν πάροινον definiunt: ſive

VANI-

VANILOQVENTIAM IN VINO: *qua ratione*, ut Plutarchum ſequar, *potatio extra reprehenſionem, ſi cum ſilentio. Sed ſtultiloquium vinolentiæ jungit ebrietatem. Enimverò ebrius inter pocula nugatur; garrulus ubique, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, internoctu; ægrotum curans ipſo morbo moleſtior, unà navigans nauſea, laudans reprehendente.* Quàm ſanctum, imò quàm neceſſarium ſit ſilentium, videtis, ſiquis inter tot conviviorum ineptias illæſam velit mentis majeſtatem ſervare. Eupantus ſervavit. Ac ſanè inter tam multos loquentes, eſſe quoque debet qui audiat: audire autem non poteſt, niſi ſileat. Οἱ δ' *ἀδολέσχαι οὐδενὸς ἀκούουσιν. ἀεὶ γὰρ λαλοῦσιν, καὶ τοῦτο ἔχει πρῶτον κακὸν ἡ ἀσιγησία, τὴν ἀνηκοΐαν. Garruli autem neminem audiunt. Semper enim loquuntur, primúmque hoc vitium linguæ impotentia habet, nihil audire.* Neque ego tamen elinguem hilaritatis conſeſſum faciam. In Menſa ſuave illud loqui; ſed ſi cum *Sobriis, Paucis, Paribus.* At in PHAGESIPOSIIS *Ebrietas* ubique, *Multitudo, Diſparilitas eſt.* Obſecro, inſpi-

inſpicite, aut potiùs audite.

Ac prima illa quidem, EBRIETAS, niſi adſit, nec lautum, nec lætum ullum triclinium cenſeatur. Scilicet ut inſanire ſine verecundia liceat. *Omne vitium* (aurea Senecæ verba ſunt) *ebrietas & incendit, & detegit; obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate, prohibitis abſtinent.* Sed ab eodem Sapientiæ ſupercilio plenam cenſuram uſurpemus: *Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit*: imò & facit, & protrahit: *tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint, ſine dilatione permittit; tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum continet; creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: omne vitium detegitur, & prodit.* Satin' petulantis temulentiæ labes expreſſa? Ex more, atque adeò lege ſic vivitur, & poculis, velu gradibus, ad ſtultiſſimum furorem itur. Liberi hæc Sacra ſunt: Con-

vivæ velut Orgiophantæ. Alius ſalutem propinat, alius vitam, alius fortunam, quiſque cyathiſſat: niſi hauris, & numina, & amicos lædis. Qui propinat, exemplo ſuo cogit: nec poculo alienæ favere valetudini potes, niſi tuam mergas. Sic ergò ſtoliditatem & inſaniam quandam cultores COMI induunt, & ut ſemel merſi vino, ſemper videntur. *Extende in plures dies, illum ebrii habitum, nunquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed brevior.* Et addo: *Ebrietates continua efferant animos. Nam cùm ſæpe apud ſe non ſunt, conſuetudo inſania durat, ac vitia vino concepta etiam ſine ipſo valent.* Ita eſt, vino concipiunt vitia, ſed alunt quoque: & pergræcari ſolenne, ut ſobriam corruptæ naturæ inſaniam ebrietas excuſet. A promulſidis auſpicio hoc agitur, nec fami ſedandæ, ſed irritandæ dapes ſunt, ut ad omnem hauſtum ſitim acuas, ſine miſſione bibas. Ne ludus deſit, Cæli imaginem Strategus effingit, æternitatem inculcat. Tot ſcyphi, pateræ, calices, velut radiantes quædam ſtellę,
tota

tota menſa ſparſæ, quæ varias ſignorum formas conſtituunt. Videas, ut cum Homero dicam,

Πληιάδας θ', ὑάδας τε, τό τε σθένος ὠρίωνος,
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.

Plejadéſque, Hyadéſque, & robuſtum Oriona,
Et glacialem Vrſam, Plauſtri cognomine dictam.

Errones deinde vitrei illi, argentei, aurei, gemmei, ipſi adeò Planetarum genii, convivali ritu in orbem aguntur, quibus ne Sapiens quidem (da quem vis è Cynica ſobrietate) aut Sapientiam profeſſus, reluctetur. Bibendum eſt, & ut bibiſſe dicaris, garriendum eſt. Solutus curis, & jam ſatullus ingeminat, θέλω, θέλω μανῆναι. *Volo, volo inſanire.* Sed & mihi nunc verſibus utcunque furere, ſed ſine veratro, liceat; ut temulentam hanc inſaniam adumbrem.

Quæ rerum facies, deliræ gaudia menſæ,
Cùm trahit inſomneis furiis turba ebria noctes!
Strata cibíque madent, atque irritatus Eoo

Liber diluitur ſucco: placet ingenioſa
Omnibus Ebrietas, placet exantlanda voluptas
Vini, & libatæ ſpumantia vota ſalutis.
Garrula lingua madet, verbiſq; licentior, aures
Sollicitat bibulas, ducitq; in fœdera luxum.
Tende manus: tremulo ſubmittit pocula geſtu
Herculea, & pleno affectum ructatur ab ore
Ille tuus; non ille tuus, qui vincla caducæ
Nectit Amicitiæ, & fucato exæſtuat igne.
Hæc tibi flamma mero conſtat, Cereriſq; fovetur
Deliciis, moritura pari quo Solſtitialis
Defectu herba ſolet. Facili nil ſemine durat.
Tu tamen obſequere, & fugitivo viſcera Amori
Hoſpita tantiſper laxa, dum fervet Iacchus.
Obſequere, & valido niſu ſubmerge profundis
Luctantem cyathis animam: ſic urget Amyſtis.
Projice relliquias frontis, ſine nube loquaris;
Quiſ-

Quiſquis non ſapit, ille ſapit: Sic prolue pectus,
Vt tumidi ſtillent oculi, ſalſiſq. dometur
Aura meri lacrymis. Sitit, & bibit Euchius ipſe,
Et bibitur, laſſas violato rore medullas
Convivæ ſubiens, & fracti regna furoris.
Te furere haud ſatis eſt, ſimili niſi vulnere fortem
Ἀντίπαλον ſternas, & læſæ præmia mentis
Suſpendas dubio temulentus Sympoſiarcho.

Etiam ad cantum, & oſcula, imò ad aleam potant Cimmerii; nec ſatis, lege ad ebrietatem cogi, ſorte volunt; & hauſto ad umbilicum cyatho, adverſo, quem caſus tulerit, novo jactu provocare. Iam oſcula, ubi alternam ſexus ſeſſionem facit, cum vino quiſque libat, & à vino ructatur: putes & hæc ipſa ſorbillari. Quid cantus? vilis, niſi viduam vocem choreæ ſocies, & nexa in orbem tripudii catena, tuis ſedendo, omniúmque brachiis ſaltes. Sic verò & ipſi menſam convivæ coronant ſtultiſſimóque cubitorum re-

migio fercula jam expugnata cingũt, involaturi mox iterum, tanquam Harpyiæ, in prædam. Qui choreuma orditur, madida mantili tempora impedit, & quid niſi veſanæ mentis vulnus profitetur? Mox tremula voce ſingulos detruncans verſuum rhythmos, laſcivum præit melos, quod certo numerorum intervallo, & confuſo omnium partim tinnitu, partim boatu excipitur denſatúrque. Sed quàm opportunè in hunc ſermonem me argumenti ſeries deduxit! Hem, vocem, imò voces iſtas auditis? aut fallor, aut hoc ipſum agitur: & ſimul orationis inducias quaſdam faciens, ſpectandi tantiſper libertatem utrique permiſit, dum leviter ipſe reſpiraret. Ego Aderbæ manum injeci, &, Quin imus, inquam, oculiſq; committimus rem ſtulta novitate ridiculam? tam lepida Tabutii noſtri dicta inſaniæ exemplis confirmanda ſunt. Nec moratus, accurri ad oſtium; cúmque æſtuantis velut pelagi litus premere viderer, ultra limen quoque greſſum protuli; & unà Aderbam du-

cens, liberrima curioſitate, quicquid Tabutius dixerat, ſpectavi. Aliud verò, & dignum COMI menſa ſucceſſit ſchema. Anus ebria, annis rugiſque obſita, quæ deforme quoddam naſi vulnus, ſive dedecus, linteolo preſſim agglutinato veſtierat, ingentem ſimiam catena in triclinium attrahit, pari titubatione præeuntis veſtigia inſiſtentem. Ne ſine pompa lepidæ ſpectaculi primitiæ eſſent, hoc ſeriò ſedulóque turpiſſimum agebat animal, ut deliræ mores feminæ, habitumq; mimico gradu, nutúque ſequeretur. Acceſſit & illex tibicinis cantus, numeróſque ſimiæ dictans, omnium jam aures arrexerat. Illa verò non imperitè ſe movens, & tanquam humana quoque ſollertia formam commendaret, petulco Satyrum vigore ſaltabat. Tantam in beſtia mirabar induſtriam; & novo ecce artis miraculo omnem propemodum mihi ſenſum hebetavit. Nam in rapidiſſimos repente gyros effuſa, & ad exemplum trochleæ, totam vertigine catenam induens, ſpectantium oculos unà

rapiebat. Sic vincta, & ferreis velut faſciis involuta, numen, ſive portentum aliquod repræſentabat Niliacū, tabula & obeliſco dignum. Reciproco deinde ac contrario ſe impetu flectens, & exſolvēs, ad priſtinam, quam motu confuderat, redibat formam: planè ut hanc illam Empuſam putares, τὴν ἐς μυρίας μορφὰς μεταβαλλομένην, quam ſaltatricem fuiſſe, ut & ſaltatorem Ægyptium illum Proteum, μιμητικὸν ἄνθρωπον, Lucianus refert. Etiam promptiſſimo per funem veſtigio ambulabat, tenſum utrimque libratúmque duorum calonum manibus: & quaſi parum eſſet, ire aut repere, pendulum exinde corpuſculum tortuoſis flexibus enodans, ludebat in aëre. Sed nequiſſimi ſervi, ſic ab anicula edocti, rapido circulo in teretem cylindri velut umbram contorquentes pariter chordam, miſellam unà bipedem, & voce ſtridentem, rotabant. Hoc peracto officio, figitur ab iiſdem caculis humi tranſmiſſa per ultimum & decumanum catenæ annulum vara; quam ſimia ſponte ſua ſcandens, & pe-

& petulantiſſimo flexu totum pererrans, omne pantomimorum ingeniũ ſuperavit. *Diceres*, Apulei verbis, *Dei medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Ex ipſo demum pali faſtigio, quod ligneo meniſco inte&tum erat, catenæ coërcendæ, ſannas ridiculo penitùs geſtu in ſpectatores explicuit. Nam dentes identidem denudans, turpiſſimo piſitantis oris ſtrepitu, & collo curvato ciconiam exprimebat: tum gemina manu albas imitata regis Midæ auriculas, ſtultiſſimè totum ſimul movebat caput: mox diducto rictu, tantum linguæ exſeruit, ut iterum videretur à Gallo Manlius, Romanúſque exercitus irrideri. Placuit omnibus effictа ad veterem morem ſubſannatio; & cùm quiſque experiretur, an tam laſcivos contumeliæ geſtus pitheciſmo poſſet ſequi, pænè in ſimias convivæ migrarunt. Sed COMVS ipſe in hilaritatem ſolutus, callidam anum venire ad ſe juſſit, & pauca quædam præfatus, tanquam deliciæ etiam in

ore deformato ſupereſſent, ſemel iterúmque eandem diſſuaviatus eſt. Illa tanto beata munere, jámque peculiari omnium honore digna, inter primos accûbuit; & quaſi unica voluptatis ſacerdos, VIVERE ſolenniter omnes juſſit, & AMARE. Aderba deſpuens, Vah, inquit, quæ hæc larva eſt? Et auſa tamen publicè divinum hîc haurire oſculum? COMVS ego non ſum; meum tamen non tam humiliter locem. Aſtabat verò proximè idem ille ſeniculus, cujus in primo ingreſſu Regiæ laciniam duxeram; ſed vino jam hilarior & effuſior. qui ut tam feſtivum notavit Aderbæ ſermonem, Cohibe, inquit, & parce: nam ſi contemni formam ſuam anus vel per ſomnium ſenſerit, te invadet ultrò, & fœtulento baſio conſpuet. Hæc COMI olim nutrix, nunc mater & amica, nuptias quotidie novas copulat, in furtivos amplexus amantium jungit corpora, potens vel ipſum Iovem ſine aureo imbre Danaæ conciliare. Denique, ut ſciatis quàm ſtrenua omnis amoris internun-

ternuncia, omnis ſtupri ſequeſtra ſit, etiam naſum impendit. Aderba excipiens, Quaſi formam, inquit, & venuſtatem dicas. vulneris indicium video: ſed te oro lepidiſſime ſenex, ut, ſi nondum in hac lepos ætate exaruit, glorioſum iſtud Veneris infortunium nobis enarres: fortiter egit, quæ ne faciem quidem contemnere verita, ut Amori placeret. Ille blanda manu paullò nos à turba ſeducens, & fidem ſilentii exigens, lepida narratione bibulas utriuſque aures demulſit.

Matrona quædam, ait, in finibus Cimmeriorum agebat, daniſtæ non ignobilis uxor; ſi formam ſpectes, omnibus ſimulacris luculentior; ſi famam, pudica. Sed quàm multæ ſæpe maculæ in occulto latent! Caſtus ille primo nuptiarum flore animus, illicito mox & clandeſtino amore corruptus eſt, & in odium indulgentiſſimi mariti degeneravit. Vt paucis dicam: præ daniſta miles placuit, quem lavantem in balneo matrona conſpexerat. Scitis quàm validè expugnare mores puer alatus ſoleat, & qui-

bus

bus armis inſtructus ſit. Mirari primùm maritus, quid blandum conjugis ingenium, omnémque ridentis tori ſerenitatem exaſperaſſet. Tandem, quia nullis lubentiis triſtiſſimam laris nubem pellere potuit, quod res erat, ſuſpicatus eſt, ſpurio aliquo Cupidinis igne animum mulieris incenſum eſſe. Nam etſi vulnus illa ſuum ſtudiosè premeret, præſertim cùm primis adhuc flammulis ſerperet libido; tamen, graſſante jam incendio, interdum æſtuabat vehementiùs, & impedita interno cruciatu ſuſpiria lentiùs ducebat: vultus & oculorum hilaritatem, animi languor fregerat. Accedebant noctes inquietæ, ſermo interruptus, & ea omnia, quibus ſaucium amore pectus ſe prodit. Ad ſummam, voto venereo maritum mulier mutaverat, quaſi ſine adultero non victura. Anum igitur hanc ipſam, velut nobiliſſimam lenam, ſed vultu adhuc integram, accerſit; & tali interprete cupitum ſibi amaſium conciliat, formoſum planè juvenem, & quem in Latmio ſopitum, præ Endymione

mione Luna voluiſſet oſculari. Omnibus hoc dolis, vires anu ſuggerente, matrona agebat, ut impudico nexu corpus militi mancipâret. Sed daniſta ſuſpicione plenus, omnia uxoris obſidebat veſtigia, ne liberos quidem languenti oculos relinquens. Diceres Iovis juvencam iterum ab Argo cuſtodiri. Itaque bonum factum putavit, ſimulare profectionem, & improviſo reditu explorare genialis tori fidem, morbúmque detegere. Abit ille diluculò, bonis avibus. neque tam bellam occaſionem libidini perire mulier voluit: anum rogat, uti militem moneat; ſine periculo jam voluptatis poſſe ſcenam inſtrui. Condicitur vadimonium, ut poſt primam facem ad poſticulam domus ſtrenuus ille amator veniret, ſine vicinorum arbitrio eà introductum iri. Interea, ne ſine ſubſidio Venus fatiſceret, pretioſi vini lagenulam matronâ parat, & ſaliares aliquas lautitias, prorsùs opportunum luxuriæ antecœnium. Ancillam quoq; cautiſſimo conſilio, quam cuſtodem pudicitiæ pridem accepe-

rat,

rat, in viciniam ablegat, ut novæ libertæ nuptiis ea nocte intereſſet. Iam ſerus ad occaſum Sol vergebat, jam, victo crepuſculo, diei quoque reliquias nox denſior ſepeliverat; & tenebrārum fide contectus, maturior ad poſticulam adulter properat, res mariti acturus; cúmque occluſæ adhuc eſſent & taciturnæ fores, vocem quoque continuit, & paullulùm à limite recedens, per angiportum cœpit ſpatiari. Redit verò eodem illo momento, qui apud amicum aliquem delituerat, maritus; & furtivo gradu incedens, velut ex inſidiis, nocturnum illum graſſatorem notavit. Ratus igitur hunc Veneris ſuæ Martem eſſe, cujus deſiderio mulier torqueretur, victúſque contumeliæ indignatione, clanculum irrepſit in larem; & furenti ſimilis, trucem vultum conjugi ex improviſo objecit. Quid illa? Mehercle tanquam ſpectro territa, & fulmine icta obmutuit. Sic repentina mala involvunt animum, omnémque generoſi ſpiritus vigorem intercipiunt. Prorſus in

malis

malis facinoribus, ſi ſubito turbine conatus improbi conſiliáq; diſſipantur, pavor ſuccedit. Mens ſola cogitatione rea, quicquid meruit, timere incipit. Sed mariti quoque ſermonem ira cohibuit, & qui vindictàm ſpirabat, ne loqui quidem potuit. Etenim menſula prope lectum, dapibus & nectarea Veneris promulſide inſtructa, videbatur matronam accuſare; & quia ancilla aberat, turpitudinis creſcebat ſuſpicio. Daniſta tamen, ut confitentem haberet mœcham, & ſecuriùs ſæviret, tum quidem crudelitatem cohibuit. Sed ne ſine cruciatu nox eſſet, dedecori deſtinata, veſtibus mulierem ſpoliat, & deductam in impluvium, ad columnam arctiſſimè ligat. Quid videtur? nuda iterum in ſcopulo lugebat Andromeda, non virgo quidem, non caſta; tamen ſiquid forma meretur,

---non iſtis digna catenis,
Sed quibus inter ſe cupidi junguntur amantes:

digna profectò, quam novus aliquis Perſeus & amet, & liberet, habeátque

que ſuam. Daniſta igitur viduam triſtem que traducturus noctem, ad cubile ſe recipit, & perturbatam varia cogitatione mentem leniendam ſomnio committit. Interea qui ſuaviſſimum ſibi Veneris nexum promiſerat, caſtrenſi more ſub Dio ambulabat; cumque mutum dominæ limen, velut Ianum clauſum, fruſtra obſideret, ad anum, quæ domi ſuæ feminuda viridi adhuc libidine pervigilium & ipſa inſtruxerat (ſolet enim & hanc ab adulteris mercedem exigere) reverſus eſt: &, Heus tu, inquit, mea Mamma, unicum amoris coagulum, qua ſpe promiſſam à domina voluptatem emo? totam jam horam, ſed quaſi noctem, exſpectando conſumpſi otioſus: neque tamen fores laxavit, quæ concubitum petiit. mirum ni ſui oblita, amorem ſomno matrona ſepeliverit. Tu abi, quæſo, & amantis explora imperium. ſi venire jubet, ecce ad prœliandum paratus ſum; ſin abire, conflictum quoque differo. Nec mora: lodiculam humeris anus injicit, & prehenſum manu juvenem ad

poſticu-

poſticulam poſtliminiò reducit. Clave igitur, quam pridem ac providè à matrona acceperat, peſſulis ſubjecta, pandit aditum, ac juſſo præ foribus hærere paulliſper milite, introivit. Per lignile, hortulum, pergulámque rectà in impluvium, & domum via erat: hàc dum celerem anus greſſum dirigit, propemodum in vivam illam, vinctámque à bicantis mulieris ſtatuam delata eſt. quam ut vidit, quaſi quodam viſu in horrorem perducta, ſubſtitit. Niveum lacteúmque corporis decus propemodum tenebras vicerat, nec latere matronam ſinebat. Anus, neglecto triſtiſſimo novercantis Fortunæ ſpectaculo, militis mandata explicuit, ne tum quidem audienti ingrata. Nam in ipſis vinculis amores ſuos matrona ſuſpirans, nec minùs callida, quàm pulchra, intellexit totam à ſe voluptatem nondum fugiſſe. Itaq; blandis anum verbis mulcens, & obteſtans, Ferre, inquit, hanc ærumnam poſſum, mea mater, ſi tu voles; imò felix eſſe, ſi dignam me mariti ira reddideris. Fac igitur, ut complectar

ſaltem, quem amo; ne fruſtra venerit, qui formam meam non ſprevit. Benigna manu nodos mihi iſtos expedi, & brevem duntaxat libertatis uſuram amanti concede, ut hæc vincula merear. Quid verbis opus eſt? ſoluta ocyùs matrona perſuadere eadem calliditate aniculæ conatur, ut ligari in vicem ipſa vellet, & ſpithama temporis nuda ad columnam ſtare: brevem ſe tantùm moram poſcere, dum militem adeat, & celeri voluptatis gaudio fruatur: nullum à marito periculum eſſe, profunda jam ſoporis caligine ſubmerſo. Addit promiſſa, quibus etiam obſtinati ſolent animi expugnari. Nec tardo obſequio morem anus gerens, rejecta in matronam lodicula, nuda, ſed ſine ullo pudoris damno, vinculis membra ſubjecit. Lepidum mehercle & dignum theatro ſpectaculum. tranſit in adulteri complexus femina, à marito propemodum deprehenſa; & jam primum quaſi voluptatis guſtum ſuavi ſilentio militi extorſerat, cùm ille veſte viliſſima & pannoſa deceptus, etiam putaret ab

anu

anu vires ſuas urgeri. Sed creſcente paullatim Veneris petulantia, non potuit diuturnior error tam eximiam præſentis formæ dignitatem abſcondere. Iam quoque loqui mulier cœperat, & vocis indicio miles intellexit cupitam amoris prædam ſe manibus tenere. Sic illi æmula libidine perpruriſcentes, ſuaviter Amori litabant. Dum hæc geruntur, daniſtæ malè ſoporato, diras & infauſtas imagines nox obtulit. An dico? videre ſibi ille viſus laris ſui, thalamique æternum probrum: ruptis uxorem vinculis, & calcato pudore cum armato adultero miſceri: ſe, cùm vindicare contumeliam vellet, in Satyrum eſſe transformatum. Itaque turpiſſimo portento excitatus, & jam acerbitatem inſtaurans animi, quam ante ſomnum conceperat, primùm tentare nares cœpit, an curvæ & aduncæ eſſent; frontem, an cornibus aſpera; infima corporis, an caprarum more horrerent, & extremis in pedibus, confuſo numero, toti digiti in bifidas ungulas coacti obriguiſſent. E ſtrato deinde exſiliens,

liens, feneſtram petiit, & de clathris, velut reliqui ſomnii exploraus fidem, uxorem compellat. Sed bona anus diſcrimen ſuum jam ſerò intelligens, atque ſub ipſis tremens vinculis, tutiſſimum putavit, non loqui. Compellat ille iterum, imò increpat; cúmque pertinaci ſilentio munire ſtultiſſimum peccatum ſuum vetula conatur, clamantis rabiem accēdit. Quàm facilis concitati furoris ſtimulus eſt! tanquam ab ipſo conjugii genio danista admonitus, factum eſſe credidit quicquid ſomniarat. Itaque novacùlam è proxima aliqua menſa rapiens, cæco per cochleam impetu in impluvium ruit, ad columnam devolat, & uxorem ratus, quam vincula coërcebant, facinus committit perenni annalium memoria dignum. Læva faciem aniculæ pertentans, naſúmque apprehendens, orbĭculum & pinnulas acutiſſimo ferro præcîdit. In vultum deinde, tam turpiter mutilatum, projecta quæ digitos ſequebatur cartilagine, O peſſima, inquit, neque iſto tantùm dedecore digna mulier, xe-

niolum

niolum cape,quod amaſio tuo dones, & ſcitula hac jam forma adulteris place,ut amores mereare. Hæc locutus,cùm egregiè ſcilicet uxorem mulctaſſet,raptim ad cubile rediit,& quietem denuò in perturbato toro quæſivit. Sed de anu quid dicam? Illa verò, cùm*majus etiam diſcrimen metueret, ſi noſceretur, Spartana indole & vulnus excepit, & dolorem tacita ſuſtinuit; quaſi ferrum pati poſſet, quæ vincula non recuſarat. Hæc triſtia,& Amoris felle amara: lætiora, & mel merum matrona carpebat: quæ dimiſſo demum milite ſuo, ad impluvium reverſa eſt,expertura quid deinceps Fortuna ſtatueret. Sed poſtquam tam ſcævam intellexit aniculæ ſortem, fudit lacrymas, & recentem voluptatem novo dolore nubilavit. Verbis deinde ad conſolationem compoſitis, rogare anum cœpit, bonum haberet animum: pulcherrimæ conſtantiæ inclytum hoc exemplum apud omnes Cimmerios fore. nam ut Diis quibuſdam voveri crines ſolent, ſic & Veneri reſectam hanc oris ve-

nuſtatem placituram: quin eam jam numinis religionem eſſe, ut myſtæ ipſi gemmata facie, patuliſque naribus Priapi arcana commendent. Militis gloriam adverſis & horrentibus vultu cicatricibus oſtendi; ſed eodem robore libidinis ſtipendia inclareſcere. Addidit, tegi tamen haud magni vulneris hiatum errhino poſſe; aut etiam, ſi conſtituiſſet ſine naſo non vivere, ſe paratam, è puriſſimo metallo defectum oris ſupplere. Extrema hac pollicitatione non parum anicula delinita (quæ aures etiam auro venderet & oculos,) cùm vinculis iterum volentem matronam ſubjeciſſet, recepit lodiculam, & ſuſtulit humo naſi ſui fruſtulum, pérque poſticulam properè faceſſens, vulnus curatum ivit. Sed nunc porrò lepidam fabulæ cataſtrophen cognoſcite. Non diu ad columnam impudiciſſima matrona ſtetit, & caſta videri voluit: ludi maritum poſſe, qui falſus fuerat. Itaque è triſti aniculæ infortunio ingenium colligens, audaciam è turpi & recenti facinore, tali aſtu & iram & ſuſpicio-

nem

nem Vulcani ſui aggreſſa eſt. Ex humili ſuſurro in aperta paullatim voca ſermonem tollens, flebili voce non jam dormientis implevit aures, animúmque lancinavit:

Regina noctis, uda lampas ſiderum,
Pictiq; mater ætheris,
Seu Iuno vis Lucina dici, ſeu Iovis
Conjux tonantis & ſoror;
Cui vota nuper ſoſpita ſolvi face,
Et nuptiali flammeo;
Matrona quæ vocaris, & Gamelia,
Caſtiq; numen unguinis;
Tantum vides miſerrimi nefas laris,
Lætisq; luces cornibus!
Et vos micantes cælo ocelli, lucidæ
Faces, & innocentiæ
Teſtes meæ; diræq; ſortis arbitræ,
Horrore non palleſcitis!
En nuda, vincta, ſecta, non meum luo
Crimen; torum nec pollui;
Et immerentem perdit ira numinum!
Quid ergò ſanctitas juvat?
Effugit omnis & venuſtas & lepos;
O Dî Deæq; larva ſum!
Effugit omnis umbra nominis boni;
O Dî Deæq; nulla ſum!

Non caſta jam, quæ caſta, diro barbari
Furore læſa conjugis.
Pudica mente, mœcha vultu, criminis
Probrum nefandi mentiar,
Summœniani pars pudenda fornicis
Nec uxor unius viri.
Quid mœſta vivo? & integram quid horrida
Imago mentem contineat?
Mori juvat: peribo caſta, vivere
Si pulchra vitam non queam.
Mori juvat: manu cruenta maſculam
Quæro necem. Sed occidi.
Non poſſe, cùm velis, mori, id verò eſt mori:
Plus vinculis vir ſæviit.
Beata ferro nobili Lucretia,
Teſtata conſcientiam,
Quæ ſpiritum ſui in ſinum fudit viri,
Pudica, quod potuit mori.
Sed dura me ſi fata vitæ mancipant,
Et impio tori jugo;
O Hera redde priſtinum formæ decus,
Et dignitatem narium!
O Hera redde priſtinum famæ decus,
Quæ fœdo hiatu mergitur!
Tu ſordidam tot pellicum turbam Iovis

Et

Es ulta ſceptro vindice,
Et templa labe vindicaſti cælica,
Summo ſevera adultero:
Ne lacrymas cruore turpes deſpice,
Queis uvidæ madent genæ:
Sed ſuſpicacis plecte culpam conjugis,
Trucémque ferri inſaniam.
O vindicem potentis iram numinis
Crudelis ille ſentiat!
O redde quod furentis abſtulit manus,
Manus mariti carnifex,
In comparem ſævire triſti vulnere
Auſi ſuam, in larem, in fidem;
Auſi tuum calcare numen ô Dea,
Et numinis præſentiam!

Cùm hos verſus molli planctu eliquaſſet, longiorem ſermonem confuſo murmure involvit; ut videretur etiam familiariùs numen alloqui. Rurſus majore ſpiritu verba ſtimulans, in ipſum jam maritum orationis impetum direxit: &, Heus tu, inquit, crudeliſſime mortalium, inque caſtiſſimam conjugem tuam fruſtra crudelis: periiſti. Vincere Cælitum benignitas ſævitiam tuam potuit, ne innocentiæ meæ fama laboraret.

Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus audítq; & videt.

Sed ipſa mihi Iuno(ſentio,ſentio)formam reſtituit; quam tu, nefanda ſuſpicione ebrius,mutilaras.In te cruentum ſtringe ferrum, in tua nunc viſcera furorem exonera; ne conjuge fruaris, qua indignus es. Superis placui; ſpernere mortalem, ſpernere impium poſſum. Ergò ô noctem mihi omni deinceps die clariorem! reſtituta ſum: ô numerandam candido æternæ lætitiæ ſigno! renata ſum. Vos pergite officioſæ lacrymæ, & alio nunc affectu fluite: madere gaudii rivis debet facies, poſtquam majori numinum beneficio dignitatem ſuam invenit. Sed te compello denuò, audaciſſime & lictor, & latro; adſis, & ſcelus tuum noſce; adſis, & minantis Deæ iram, ſi fas eſt, celeri piaculo averte. Daniſta tam inopinato orationis turbine confuſus, quodam velut mari cogitationum æſtuabat, dubio aſſenſu inſolentis rei fidem ventilans. Ac primo quidem nocturnæ imaginis impoſturam ratus, quæ illuderet;

deret; faciliúſque ſomniari naturæ portenta, quàm fieri, conſulere oculos cœpit, an vera nebula premerentur. Sed ubi liberam,& extra fallentis umbræ vincula mentem deprehendit, nec à diris adhuc mulier abſtineret, omnis illa ferocia vehementi pavore fracta eſt, & adulterii ſuſpicio ſubſedit. Exſurgens igitur è lectulo, lucernam accendit, viventis flammulæ arbitrio novum pudicitiæ teſtimonium commiſſurus. Nec mora, abit, ad uxorem venit; quam ubi vinctam videt, novo æſtu corripitur. Faciem deinde lumine explorat; ſed plenam, & ſine ullo vulneris veſtigio lætam. igitur ſtupore defixus, deteſtari ſcelus ſuum, & perhorreſcere numinis jam vindictam cœpit. Mox in ſolum, ſanguinis imbutum ſtillis, procumbens, & promanantibus lacrymis maculas cruoris diluens, manifeſtum adoravit miraculum. Poſtremò eadem religione impii deprecatus furoris ſui facinus, caſtiſſimam ſolvit uxorem, & velut inſigne pudicitiæ exemplum ad thalamum reduxit. Sic & nares, & ſimul

ſimul mariti affectum matrona recuperavit. Anus verò, corrupta nummulis aliquot, ut tutiſſima fraude ſub miraculi fide lateret muliebre ſcelus, collectis ſarcinulis,ad COMI Regiam migravit. Hîc nunc habitat, & ſtrenuè ſolitam locans operam, calidiſſimas Veneris ſcenas quotidie inſtruit. Si uxor cujuſquam, ſi amica placet; ſi virgo, ſi vidua, interpres parata eſt: plenam Amoris voluptatem hac duce invenias. In his tenebris ſcitote & daniſtas,& ſimul milites eſſe.

Dixerat ſeniculus, & læto riſu fabulam claudens, in mediam turbam receſſit. Nos ergò cauta celeritate ad locum, unde veneramus, delati, dormiſcentem non procul à limine Tabutium repperimus: qui ut gravibus & morſicantibus oculis venientes excepit, Pluſculum, inquit, COMI vos inſania tenuit; & an jam ſaturos? At me interea moleſtiſſimus ſomnus propemodum oppreſſerat, novo nunc ſermone excutiendus. Dicere de *Ebrietate* cœperam, totóque ſtultitiæ illo regno:& fortaſſis jam vidiſtis. Sed qui

qui bonus non faſtidiat? Hoc in omni ſympoſio agitur, ut mentem pellant, quicumque ſedent; ne pedes inveniant, cùm eundum eſt. Tolli & bajulari debes: aut titubantem certè gradum à menſa niſi referas, parum lautè aut amicè videaris acceptus. Quid etiam, niſi adferas? Nam quibuſdam hoc inſitum, à ſtella matutina potare, qui diem (ſi tamen hîc dies ullus) & Ebrietatem pari auſpicio ordiuntur. A ſomno & crapula ſitis redit, nec prandium exſpectat. Fervet vino ſtomachus, cùm cibum neſcit; ut capturus digerat. Sed morbum hunc Romanum quoque fuiſſe Sapiens Romanus indicat: *Iſti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt? Atqui frequens adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt; ut ſudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, ſubinde diſtringant. Poſt prandium, aut cœnam bibere, vulgare eſt; hoc patresfamiliæ ruſtici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod innatat cibo,*

quod

quod liberè penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit. Imò illa ebrietas juvat, quæ continua eſt; quæ diei noctiſq; omne diſcrimen neſcit. Sed non ſoli Cimmerii, Cimmerii ſunt: Ebrietatis coloniam in noſtrum quoque orbem COMVS duxit. Lychnobii ſumus, diem ſpernimus, & tanquam ſuavius, lucis uſura in tenebris frui, noctes omnes conviviis occupamus. Iuvat

---craſſos tranſire dies, lucémque paluſtrem:

Vile Naturæ beneficium eſt: facere, quàm habere diem malumus; præ Sole faces æſtimamus. Sed quid fit? nocte fruimur, ut diem perdamus: & cùm ſomni tempora vigiliis deſtinantur, diurnæ omnes horæ ſomno pereunt. Lubet Stoici verbis perverſitatem hanc compungere: *Sunt qui officia lucis noctiſq; pervertunt; nec ante diducunt oculos heſterna graves crapula, quàm appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius) pedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit,*

Nox

Nox ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper:

talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Sunt quidam in eadem urbe Antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec orientem unquam Solem viderunt, nec occidentem. *Hos tu exiſtimas ſcire quemadmodum vivendum ſit, qui neſciunt quando? Et hi mortem timent, in quam ſe vivi condiderunt; tam infauſti ominis, quàm nocturnæ aves ſunt. Licet in vino unguentóque tenebras ſuas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula diſtinctis totum per verſæ vigiliæ tempus dèducant: non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt.* Verè, verè. ſomnum enim cùm fugiunt, quadam velut morte ſe induunt, & vino ſepeliuntur. De PHAGESIPOSIIS loquamur. an non adumbrata hæc funeris quædam imago? Hominem ceu merſum cadaver videre eſt; tot poculorum ciborúmque congeriem, velut pyram; lectulum, tanquam ſepulchrum. Iam tedæ accenſæ, & acclamantium voces, quid

niſi

niſi vixiſſe hominem indicant? Ita; vixiſſe; ſed ut reſurgat, pari quotidie fato periturus. Et quo fato? audite (ebrioſum ego Philoſophum faciam;) quo, inquam, fato? Pythagorico; quia ab homine in brutum, & tamen citra *μετεμψύχωσιν*, ſive *παλιγγενεσίαν* migrat: imò Stoico, Stoico inquam. nam *αὐτόχειρ* eſt, & Rationem ipſa vita meliorem ſuffocat ſua manu, aut jugulat: tanto etiam in ſeipſe crudelior, quia ſæpius moritur; quia quod ſemel Natura facit, quotidie, imò continuò ipſe. Iam verò renaſci in convivio, viréſque colligere, pulchrum; & cùm invita viſcera ciborum onus recuſant, fit, quod dictu quoque fœdum eſt. Itur, reditur: qui adverſi ſedent, viam per ipſam menſam aperiunt, projecturi cœnam, ut priùs calcent. Alius corporis obſcœnos meatus exonerat; alius ſanctiſſimam partem, quà admiſerat cibos, regerendo obſcœnam facit; reddit quicquid ſumpſerat. atque utinam in cloacam ſaltem! nunc limina conſpurcantur, ipſum triclinium, imò tori & menſæ, maxi-

maximum voluptatis incrementum eſt, in eodem convivio ſæpiùs cœnare. *Vomunt ut edant, edunt ut vomant*; *& epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur*. Sed tamen ingenio quodam honeſtatem Ebrietas mentitur: modum venter invenit, quo bibere & mejere in eadem menſa liceat, turpitudine celata. Inguinibus jam matella adhæret; & ſcortea (an ſcrotea dicam?) caligis inſuta bulga, inſerta ſpongia lotium excipit. nimirum aſſiduum eſſe, pulchrum eſt; & cujus veſica cœnæ unius vinum capit, palmam habet. Fœdum mehercle, reddere menſæ obſcœna, ne ſurgas: niſi fœdius, quòd non ſurrexiſſe honeſtum putetur. Sed nequid ſtultitiæ deſit, ἀκραιπαλοι etiam ſumus; croco, aut braſſica, aut Æthiopica amethyſto adverſus ebrietatem munimur: & hic ingenio victoria quæritur. Ille ſtrenuus, titulis, encomio, corona dignus, qui vino victos ac proſtratos compotores cernit, quamvis ſaucius, atque mox caſurus. O homines! an ſpongias, dicam? Sed quæ gloria eſt

capere multum, meróque vincere? Dic tu Annæe. *Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cùm ſuperſtes toti convivio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à dolio.* Et quis fructus obſecro hujus palæſtræ? Pulcherrimè idem ille deſcribit: *Inde pallor & membrorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentúſque venter, dum malè aſſueſcit plus capere quàm poterat: inde effuſio luridæ bilis, & decolor vultus, tabéſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriúmque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum*

cum

cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Etenim, ſi Medicorum lubet decreta ſequi, dixeris fæculentas omnes corruptæ valetudinis nebulas ab intemperantiæ palude exhalare. Frangunt pars magna hominum quæſita voluptate vires corporis, ut ante annos extremi ſenii mala bajulent. Ceſſet ebrietas, & felicior vita cujuſque erit; tardior jam prementis lethi neceſſitas. Di boni, quàm acriter læſa injuriam Natura plectit! vix violare voluptatis vitio corpus miſeri mortales incipiunt, & pœnis urgentur. ut præmia ſcias: nocituris illecebris peccant. Poſſis inſano ebrioſorum vitio ob hoc unum ignoſcere: quæ fecêre, patiuntur: ipſa in tormentum vinolentia vertitur. Sic quiſque ſibi tortor datur: ſupplicia, ægritudines ſunt; graviſſimæ autem, cùm vitæ curſum, non incîdunt. Trahuntur dolores, ut creſcant; trahitur vita, ut diutius moriaris. Languor ætatem occupat, & ad metam nonniſi per acerbos cruciatus

itur. Quid plura? ut deteſtari Ebrietatem poſſitis, Ebrium aliquem inſpicite, hominem etiam infra pecudum vilitatem abjectum. Non potuit vehementiori Natura exemplo turpiſſimis moribus pudorem incutere. Nam, ut accuratè Lucretius,

----cùm vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt.

Sed hæ quotidie quæruntur pœnæ, ut tandem adhæreant, & continuæ ſint; ut nunquam non miſer, qui vivere nollet, quàm non madere; qui poſt naufragium in ærumnarum pelago natat. Bibite, & pergræcamini Cimmerii, Ebrietatem ſtupor, dolor, imbecillitas, morbus, & mors ipſa comitantur.

Cùm hîc ſententiæ periodum ſilentio clauſiſſet Tabutius, palliúmque

dictio-

dictionis motu profuſum attraheret, lepidiſſimo ſanè ſpectaçulo commovemur. Stigmoſus quidam, ex ipſo illo ſtertentium numero, ebria ſiti ardens, in pedes exſiluit, cirneámque è ſinu juxtà marcentis rapuit; cúmque liberali nimbo aridam gutturis viam proluiſſet, redeunte ſomni nebula, ſublimiorem ſellam occupavit, congerrones velut dormiendo deſpecturus. Iam conniverat iterùm, & ſuſpenſum dextera caput ſuffulſerat, quæ & ipſa vacillantes antrorſum nutus ſequebatur. Mox urgente ſopore, cùm trunci incurvi onere miſellus ille, ſuique oblitus, traheretur; de ſella prolapſus eſt, pronúmque caput in lagenam vini illiſit: putares non ſomno, ſed ſiti denuò impulſum. Frangitur teſta, & in fronte ruentis altum relinquens vulnus, circumjacentes ſparſo liquore madefecit. Repentino ſtrepitu & alluvione pars ebriorum excitata, ſodalem attollunt, ſanguinem ſiſtunt, atque mox, plaga ſudariolis obligata, abducunt. Aderba deinde ad Tabutium converſus, Condimen-

tum,inquit,ſermonis habuimus; riſu, an commiſeratione dignum? Sed tu jam in viam redi, &, quia Ebrietatis tædet, de MVLTITVDINE adiunge. Hanc enim ſecundò loco, quantum memini,averſatus es.

Omninò,ait Tabutius. convivium enim ut quis convivium faciat, paucos convocabit. At jam plerique à frequentia gloriam quærunt,nec epulum cenſent, niſi in quo plures. Quis Gratiarum, aut Muſarum colit numerum? Sprevimus,& unà omnem honeſti ſermonis voluptatem, certè in turba non reperiendam. Triclinium, forum, imò mare eſt, in quo linguæ,velut æſtu concitatæ undæ, & πολυφλοίσβοιο θαλάσσης obſtrepera imago. Vini regna vilitate infamentur ac vapulent, longo niſi ordine convivæ ſedeant: & in PHAGESIPOSIIS quidem, niſi dextera totóque corpore numerentur, ſolitudo ſit. Sic demum lauti ſumus, uti videamur. Omnis luxuriæ pompa ſpectatores ambit, monſtrari ac laudari à quam plurimis. Sapientiæ vox eſt:

Nemo

Nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque Regiam COMVS farcit, quiſque ventrem: fervent omnia, miſcentur omnia: totum cœnaculum, velut una menſa, cincta convivis, obſeſſa ferculis, irrigua poculis. cùm epulas intuearis, deeſſe putes qui abſumant; cùm epulones, quod abſumant. Vnde frenum aut fibula huic luxui? Non victu jam cultúque, ſed ut fortunæ ſciantur, ſumptu ſuperbimus. Quærimus ſtulti, etiam quod ultra voluptatem delectet. *Divitem*, ut apud Ciceronem eſt, Craſſus dicere ſolebat, *qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus*: nos dicamus, *qui convivium inſtruere ſuis fortunis*. Fœdiſſimum hunc ſplendorem etiam cum exitio quiſque patrimonii affectat: palleſcit curis miſer, & tota calliditate rem conſtipat, recti æquique immemor, ut & ipſe ad exemplum laſciviæ ſe componat, mores ævi & urbis ſuæ referat, & inter Apicios habeatur. Ego abſtineo, ſed cum paucis; & convi-

vium amo, in quo pauca, facilia, inempta; imò in quo, ut concludam, pauci.

Tertium vitium IMPARILITAS, & ea ferè in Multitudine, cùm diverſi ingenii, fortunæ, ſexus, ætatis, dignitatis convocantur. Epicuri ſententiam inculco: *Antè circumſpiciendum eſt tum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas*. Iam verò ſedet rudis cum docto, dives cum egeno, vir cum femina, ſenex cum puero, nobilis aut patricius cum plebejo. Vt aquam igni ſine ſtridore non miſceas: ſic nec iſtos ſine garrulitatis pugna. Ius dicendi etiam viliſſimus ſumit, & pulſa verecundia, petulantium verborum ſcaturiginem evomit. Parùm, loqui; obloqui in proclivi eſt, & ſoluta quædam oris libertas convivas meos collidit. Meliores illi, quia eminere ſueti, hîc quoque ſermonis faſces ſumunt, & imperio in convivii vulgum utuntur. At iſte Tribunos ſuos invenit, & in Senatum ſurgit: deſpici, aut negligi, ubi libertas, vulnus putat. Verborum, & poculorum hæc ſeditio eſt, & u-

& utriſque ſedatur. Ego bonum & prudentem cenſeo, qui vel irritatus ſilet, nec in levi aliqua offenſa reſponſum ad vindictam acuit: ſed meliorem prudentioremque, qui hujuſmodi conviviis abſtinet. Conviviis inquam, in quibus loqui vitium, tacere neceſſitas; id eſt, ſi cum *Ebrioſis, Multis, Inæqualibus*: breviter: ſi cum non Amicis epuleris. Amici enim pares ſunt, pauci ſunt, & virtute ac ſobrietate juncti. Itaque inter tales Hilaritas ſe exſerat, atque etiam vocalis. Etenim ut aquæ amœniores, quæ cum murmure fluunt; ſed leni, facili, temperato: ſic epulæ, quæ ſermonem habent; ſed *Honeſtum, Lepidum, Tempeſtivum*: quæ tres orationis virtutes ſunt, à totidem Gratiis profectæ.

HONESTVS ſermo erit, qui ſine læſione, & cui verecundia modum præſcripſit atque legem. Læſio Dicacitatem, & Adulationem habet, ſive in eos qui adſunt, ſive qui non adſunt. Dicacitas, ut Quinctiliani verba ſequar, *eſt ſermo cum riſu inceſ-*

ſens, & cum morſu pungens, ad ſcenam, aut plauſtrum relegandus. Adulatio fucum & fraudem verborum habet, & dicacitate pejor eſt. Iam verò Verecundia gemino quoque vitio inimica, Rúſticitatem & Obſcœnitatem excludit. Procul habendæ iſtæ maculæ, iſtæ offuciæ omnis hilaritatis; quæ ſive verbis nudæ, ſive imaginibus nuptæ, tamen maculæ, tamen offuciæ ſunt. Exprimas, an adumbres vitium, indicas: niſi levius honeſtiúſque, per obſcœnitatis velut delicias peccare. *Ea quæ dicit vir bonus (* cum eodem dicam*) omnia ſalva dignitate & verecundia decent. Nimium enim riſus pretium eſt, ſi cum probitatis impendio conſtat.* Adjungo: *Obſcœnitas verò non à verbis tantùm abeſſe debet, ſed etiam à ſignificatione.* Creta, an carbone litteras formes, ſcriptio eſt: quibuſcumque verbis laſcivum includas ſenſum, turpitudo eſt: rem, velut radicem habet. Hanc exſcinde, & omnem luxuriantis malitiæ ſuccum extinxeris. At jam ſermonis ſcilicet venus ipſa Venus eſt; fœda oris proluvies, pro hilaritate.

De

De Aurelia, aut Lollia COMVS loquitur, & pari obſcœnitate κυλίκεια ζητήματα conſpurcat : Διὰ τί τὸ ἀφροδισιάζειν ἥδιστον? virgo, an vidua magis pruriat? Veſper, an Aurora ſuaviorem Veneris nexum faciat ? Vbi pudor? ubi color? Peſtilentes auræ, iſtæ voces, & honeſtæ quemque mentis meritò vulnerent. Vt jejunus & gravis odore ſpiritus offendit: ita ſermo ſpurcitiæ illo veneno infectus. Sed quomodo depurgandus? Sobrietate. qui in poteſtate vini, etiam libidinis. cùm venter mero effervеſcit, & ilia inguináque æſtuant ; facilè in obſcœnitatem lingua ebullit. Nequis tamen rigorem accuſet, & collectas è porticu rugas ; Lepidos Convivas facio, & ejuſmodi Sermonem.

LEPIDVS autem ſermo erit, ſi delectet mulceátque. An apertiùs? Floſculi ſpargendi & ſales, & quicquid expugnare torvæ ſeveritatis vitium poſſit. Veris typum Convivium refert, & ad Liberi, velut Zephyri leniter ſpirantem auram honeſti mores rident. Iocus, Gratiæ, Muſæ hîc habitant,

bitant, ſed nullam in laſciviam ſolutæ: imò Sapientia hîc habitat, ſed nulla caperantis triſtitiæ torvitate deformis. Nimirum mel & nectar ſuum animus quoque habet; & divina illa rerum virtutúmque Magiſtra, voluptatis interdum poculum propinat. Hoc ipſum apud A. Gellium Varro docet, *Sermones habendos* in convivio *non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles: ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profectò eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium.* Sanè quæcumque honeſtè fiunt, jucundè quoque explicentur: & ut concludam, in ipſa menſa erudire honeſtum eſt, erudiri jucundum; ſed ſi TEMPESTIVVM.

Talem igitur inprimis ſermonem volo, & ex occaſione velut opportuno ſemine, enaſci. Omninò; ne aut præreptus, aut intruſus, aut, quod utroque turpius, affectatus videatur.

Atque

Atque hactenus à re & argumento ipſo præcepta ſunt. Paria, ab arte & dicendi quadam forma. An & perſequor? Stilo nuper conatus ſum;&, ſi non negatis,recitabo potiùs quàm dicam. Prono vultu animóque cùm annueremus,pugillares,& unà ambuſtas quaſdam ſchedas,non tam è ſinu, quàm è Sibyllæ foculo protraxit.Pars Dialogi erat, in quo,ut quadratis nomina litteris eminebant, ERVLPIO & DRANSES loquebātur. Sciſcitanti igitur Aderbæ,Quinam illi,qui ſermocinationis majeſtatem ſuſtinerēt? Eupanti,reſpondit Tabutius,ſodales ſunt,Elegantiæ ac Deliciæ meræ;quibus an quid ſuavius amœniúſque Natura produxerit, jure dubites. Ego hîc applaudens,Veræ, veræ, inquam, iſtæ laudes: habet uterque (liberè dicam) quicquid mereri invidiam poſſit, imò quicquid vincere. Sed hoc tu mihi nunc explica Tabuti, Quæ ſchedæ? à qua flammæ injuria papyri hæc fuligo? Ille ſerena voce,Maioris, inquit, operis reliquiæ ſunt, quas ab incendio mitis caſus ſervavit. Pergu-

lam,

lam,& quod in fundo Apollineo Muſeum ſtruxeram, an vidiſti? Vidi inquam, SACCO noſtro, optimo doctiſſimóque virorum ducente: qui,& in varia porticu HERCVLEM illum MVSARVM, artifice manu expreſſum, oſtendit, novámque amœniſſimo Naturæ miraculo HIPPOCRENEN. Iterùm Tabutius: Æſtivis hîc diebus habitare, imò legere, aut ſcribere, velut per amœnitatem, deſtinaram. Bone Deus, quàm multæ remoræ bonarum cogitationum! quàm nihil ab iniuria tutum! In ipſo nuper ſurgentis diei auſpicio, cùm antelucanus ille minurientium avicularum chorus ſuaviſſimo ſtrepitu venientem Auroram ſalutaret: ſubitò cælum inhorruit, & rubentem Iovis dexteram malus quidam Genius in turriculam, tectique culmen torſit. Ardere tigna, & mox ipſi plutei libelliq; cœpêre; atque adeò totum graſſante incendio Muſéum obſeſſum eſt. Ego procurrens, cùm fruſtrà ſævienti infortunio reſtitiſſem, familiam, vicinóſque excito, ut reſtinguendo incendio

cendio adeſſent: qui cùm liberalem operam ferrent, tandem beneficio ſoſpitalis FONTIS mei flammam expugnant, & extremum à miſerrimi Muſéi reliquiis fatum arcent. Sic verò vis & iniuria Vulcani repreſſa eſt, & pauculæ iſtæ ſchedæ, quas cernitis, velut oſſa inter librorum cineres, relictæ; quas mutilas fumoſáſque in memotiam infortunii ſervo. Cùm miraremur triſtem incendii caſum, in hos quoque verſus dolor Taburii erupit:

Non aliis quondam flammis juga Theſſala fortem
Vſſère Amphitryoniaden, cælóque locarunt
Dignum ſidereo. Sacræ quoque mœnia Trojæ
Indomiti hæc eadem hæc ignis violentia ſolvit.
Hæc dedit in cineres quicquid Phœniſſa virago
Struxerat, infauſti jaciens fundamina Regni:
Quicquid & infeſtis Pœnorum exercitus armis
Orbi Romuleo extorſit, victricia ſigna

Vni-

Finibus Auſoniis tollens, Libycámque triumphis
Nobilitans urbem. puduit ſervare trophæa
Scipiaden, mediâ quæ ſævus fixerat arce
Annibal, in maculam victi labemq́; Quirini.
AEmula ſic lentis periit Carthago favillis
Imperij; potuitq́; malis clareſcere Fatis.
Obruta nunc ſpirat, Latioq́; ſuperba cruore,
Attollit magno victurum funere nomen.
His ardens ſtimulis fera ménſque manúſque Neronis,
Injecit miſeræ Trojana incendia Romæ.
Nec talem Aethereis ſatus Iapeto ignibus ignem
Subduxit: melior liquidis fluit ardor ab aſtris.
Flammæ Tartareæ, & toto Plutone furentes,
Buſtorum flammæ miſeros uſſere labores
Inſontis calami ingeniiq́; mei. Fero triſtem
Non penitus ſortem. Lux Famæ clarior iſtis.
Naſcitur à facibus, longis contermina ſæclis,
Quæ puros Sophiæ radios, pia dogmata ſpar-

ſpargat.
Vivite felices, nil poſſunt Fata, libelli;
Vivite, grandævúmque rogo producite nomen.

Evolvit deinde ſurvas ſchedarum reliquias, & omiſſo Dialogi præludio, luculentum Erulpionis de Sermone Sermonem prompſit.

Etenim dicendi velut modi quidam & partes ſunt: *Diſſertatio, Narratio, Quæſtio.* DISSERERE qui cum laude volet, laudem declinet. Vox facilis ſit, & velut ſponte fluens; geſtus modicus, aut potiùs intra modum. Sic dicat, ut audire quóque paratum ſe oſtendat; imò corrigi, ſi quis meliora. Verborum pauſis, atque induciis aliorum ſententiæ provocandæ: & intervallo quodam ſuſpendi periodi debent, ut cenſendi partes auditor accipiat. Semper loqui, ſtultum; continuò, ſuperbum: illud naturæ, hoc morbi: ac faciliùs naturæ ignoſcimus, quàm morbo. Quid velim ipſe colligis, ſtultum ſuperbo meliorem. Hoc quoque: intempeſtivum magis eſſe, qui loquitur ne quem

Ss audiat,

audiat, quàm eum, qui loqui duntaxat ſolet, ut loquatur.. Garrire quidem utrique propoſitum; ſed cum diſcrimine: alteri, ut vocem ſuam ubique miſceat: alteri, nequis miſceat. ille ſuo ſtrepitu, hic ſilentio aliorum loquax. qui ſtrepitu, turbat ipſe, aut turbatur: qui ſilentio, vilipendere ceterorum ſermonem videtur, quia non admittit. Turpe etiam, loquenti ſilentium imperare, ut loquaris ipſe. Manu fieri, imò voce ſolet, & contentione quadam dicentes reprimuntur: ſcilicet ut mira, ut magna audiant, nec ullius ore prolata. Garruli tumoris, & tumidæ garrulitatis hoc præloquium eſt, & tanquam formula ſolennis: ſed, ſi ſapimus, ab omni planè *Diſſertatione*, imò ſermone arcenda.

An & NARRANTI præcepta quædam præſcribam? Breviter. In veris ſerius eſto, in fictis amœnus, in omnibus lumine & brevitate circumſcriptus. Vetera & nova pro argumento dicito: aliena cum laude, tua cum modeſtia, nec niſi verecundia reluctante. Menſæ quædam vomica Aretalogus,

& vel-

& velut morbus eſt. Nam ut quorundam hominum ſtomachus innata nauſea certos cibos averſatur; ita omnium aures crepitantis Philautiæ vocem. Αρεταλόγος plerumque etiam πολυλόγος; & facilè ſermoni indulget, quiſquis de ſe loquitur: alius facinora, dicta, ſcripta; alius beneficia, & obſequia ſcilicet amicis præſtita; alius nobilitatem, gratiam, potentiam, opes: quò ſuavis titillatio affectum ducit, lingua ſequitur, ac mentiri conſuevit. Itaque freno opus, & præceps ille curſus inhibendus. Vt Socratis præcepto, vitandi ii cibi qui non eſurientes pelliciunt: ſic ii ſermones, ad quos delectatio incitat, id eſt qui de nobis, & quibus noſtram magis laudem, quàm aliorum voluptatem fovemus.

Supereſt QVÆSTIO, & *Reſponſionem* annexam habet. Illa facilis ſit, familiaris, &, compendio dicam, pro Convivio: veteri & vero verbo, πρὸς τὸν Διόνυσον. Vt nubeculæ Solis lumen: ita ſalebroſæ argutiæ hilaritatem poculorum frangunt. Cave: nec enim

aliorum, ingenia tetrica ſubtilitate torquenda ſunt, ut tuum oſtentes. Hoc ipſum, odium habet. Chæronenſis Sapiens ad rem: Εἶναι δὲ δεῖ καὶ αὐτὰς ζητήσεις ὑγροτέρας, καὶ γνώριμα τὰ προβλήματα, καὶ τὰς πεύσεις ἐπιεικεῖς, καὶ μὴ γλισχρὰς, ἵνα μὴ πνίγωσι τοὺς ἀνοητοτέρους, μηδὲ ἀποτρέπωσιν. *Ipſa verò Quæſtiones eſſe debent faciliores, & problemata nota, & interrogationes decentes, neque nimis ſubtiles: ne rudiores torqueantur, aut avertantur.* Nos verò quas non ſpinas ſpargimus? Philoſophi, imò Theologi inter fercula ſumus, cùm ſatulli ſcilicet & corona cincti. De Deo, & Religione quærimus, Divinæ providētiæ tabulas ſcrutamur, & ea omnia in quibus ipſæ Scholæ ſudent. O intempeſtivam! pietatem dicam, an curioſitatem? Sed parco, & obiter de RESPONSIONE addo. Hujus tria eſſe genera poſſunt, præeunte Plutarcho: ἀναγκαῖον, φιλάνθρωπον, περισσόν. Primum, *Neceſſarium*; cùm aut ſcire, aut neſcire nos dicimus, brevitérque ſententiam explicamus. Secundùm, *Come*; cùm delicias

addi-

addimus, & reſponſum humanitate condimus. Tertium, *Superfluum*; cùm extra ripas, ut ita dicam, itur, & toto garrulitatis torrente quæſtio obruitur.

Lubétne à familiari exemplo diffuſum præcepti uſum diſcere? Tanquam Philoſophi adeas limen ſciſcitare, ſítne domi Socrates? *Neceſſarium* reſponſum auſterior aliquis dabit: *Non eſt domi*: aut, ut nihil Spartanis concedat, *Non*: nec enim brevior eſſe oratio poteſt, niſi ſolo nutu loquatur qui reſpondet, & verborum laborem ſigni compendio evitet. Alius verò humaniùs decentiúſque: *Non eſt domi, ad portum ſe contulit*, &, ſi nondum impleſſe blandientis officium videatur, *Hoſpites aliquot Iones appuliſſe nunciatum eſt, eos exceptum ivit.* Alius denique, cui ubique garrulitas placet, longiſſimo ſermone reſponſum obruet, quaſi ſciri non poſſit, Socratem abeſſe, niſi à quæſtione ipſe abeat, & Reipublicæ, adeóque Græciæ ſtatum ſimul enarret: *De Socrate rogas? non eſt domi, ad portum ſummo manè ivit, hoſpi-*

tes aliquot Iones excepturus;de quibus Alcibiades ſcripſit, jam cum Tiſſipharne apud Miletum agens, ſatrapa Regis Perſiæ, qui antea Lacedæmoniis, nunc in Alcibiadis gratiam Athenienſibus opitulatur. Alcibiades enim, ut reditum ſibi in Patriam paret, Tiſſipharnem Athenienſibus conciliat. Concitato deinde ſcaturientis ſermonis impetu, totum octavum Thucydidis librum recitabit, & odioſo verborum imbre auditorem obruet, donec & Miletus capiatur,& Alcibiades denuò exulet. Sed nihil opus,opinor, præſcribere; Humanus erit,& φιλανθρωπὸν illud genus aſſumet, qui placere volet:etſi argumentum,perſona, locus ſeorſim ſtatuere diſcrimen aliquod poſſint: præſertim in Convivio, ubi lætior ſemper Genius ridet, taléque reſponſum exigit. Sed per veſtigia interrogantis ferendi greſſus: reſponſio ipſa tanquam centro & circino circumſcribenda. Ordine fiet,imò modo quodam fiet: ne aut qui interrogatus, præcipitet ſermonem ; aut qui non interrogatus,præripiat. Qui rogatus,animum ſumat ac loquatur: etiam

etiam cùm erraverit, laudem habet, quia obſecutus. Subrepens ille, inanem gloriolam affectare deſinat: nam ſive rectè reſpondeat, moleſtus & importunus præpoſtera ambitione futurus; ſive malè, ridiculus. Quid ſi & cum offenſione? Omninò. Læditur enim & qui interrogat, & qui interrogatur. Hic, quaſi ingenio deſtitutus, & reſpondendi ignarus, mulctari ſilentio debeat: ille, quaſi judicio æger, ſeligere virum neſciat aptum reſpondere. Summa, *Vitandum*, ut Quinctilianus præcipit, *ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum & domò allatum videatur quod dicimus.*

Lectionem hic ſuſpendit Tabutius, cùm levi ictu impulſi ſunt oſtii cardines: & ecce barbatum Iovem neſcio quis perſona mentiens, in ipſum conclave immiſit caput: qui ut ſedentes nos adſpexit, repente ingreſſus eſt, ſingulisque per larvæ nubem allubeſcens, mutis deliciis loquebatur. Mox blando geſtu manum meam prenſans, & velut palpum obtrudens, mel-

litæ grandinis nimbo mihi ſinum implevit. Ego admirans, Et quis tu Iupiter, inquam, è Cimmeriis, qui tam ſuavi tempeſtate me percellis? Tum ille faciem nudans, Ecce tuus adſum, inquit, peregrino quidem habitu, non affectu: an ignotus? Ego hominem intuens, & quaſi fides oculorum ſuſpecta eſſet, Túne hic ades, inquam, ô HYLÆE? Et quid ſibi hic ornatus? Nocturni ludi ſunt, ait, & Bacchico ritu pompam duco, in COMI hac palæſtra ſaltaturus. Veni, & gregem meum vide. Mox aderunt quoque, qui veteres è Ponto & Ionia numeros dabunt, qui Muſarum, Gratiarúmque amœnum illum alterno pede motum; &, ſi arma placent, qui Pyrrhicham, atque Hormum ſaltabunt. Pluſcula deinde & ore, & geſtu in laudem Saltationis promebat; ut mihi planè videretur pedum quodam pruritu laborare. Dum huic ſtultitiæ oculos auréſque commodamus, puer Æthiops cum face intrat, cui noctis ipſe color perſonam fecerat. E Comitatu Hylæi eſſe, geſtus indi-

indicabat. Hic igitur poſtquam ad aurem heri acceſſiſſet, anhela voce neſcio quid ſuſurrans, Chæreſtratum quendam, & Myrtillam nominavit. Hylæus repentina animi perturbatione commotus, cùm nutu magis quàm voce ſalutem nobis dixiſſet, larva reſumpta, in cœnaculum ſe proripuit. Tum Tabutius, Sine inſania, inquit, Amor non eſt; & hunc quem vidiſtis ad nocturnas ineptias ſævus ignis ſtimulat. Sed quid eſt! hac gymnade COMVS gaudet, Perſonatos admittit, choreis aſſuevit, atque adeò Salios facit ipſos Convivas. A longa & pertinaci ſeſſione Tripudia ſunt, ultima totius hilaritatis velut ſcitamenta. niſi libes, labem invenis, & peccas. Scilicet poſt menſæ, etiam laſciviæ Sacra ſunt, temulento motu obeunda. Ad purpuram hic Sapientes Dionyſius cogat. Leges PHAGESIPOSIORVM poſcunt, ut qui cœnaverit, ſaltet. Sed profectò quid grave aut concinnum, ubi ebrietas numerum frangit, greſſúmque deformat? Saltem laudandæ virgines ple-

ræque ſunt,ſcitulæ,tenellulæ; quæ invito COMO ſiccæ & tanquàm ſtatuæ, toto ſedent convivio, ut ſobriæ quoque ſaltent. Colligunt quiete laſciviam,quam motu effundant : calentem ſine Libero aut Cerere Venerem habent. Iunge ferventem illam & maſculam juventutis petulantiam,& honeſtum aliquod tripudii genus exſpecta. Sunt molles & Ionici geſtus, obtutus,contactus,& quicquid impudicitiæ frons palam audet. Dubites profectò mares ebrii, an feminæ ſobriæ magis inſaniant. O mores fœdos! ſed fœdiores, quòd conſuetudine excuſentur. Veniunt ad alienos, tanquam ad ſuos Hymenæos, ſi Dis placet, virgines, & matura libidine languent, pallent, pruriunt. Periit ceruſſa, purpuriſſum, melinum, & ſiquid hujuſmodi offuciarum: quæ exſangues, bellæ ſunt; & luridum ac morticinum hunc colorem ſtultiſſimo facinore affectant. Tu Muſa fave, & fare.

O felix nimiùm, ô beate Pallor!
Quondam verna Stygis puérque Ditis,

Vmbra-

Vmbrarum genus, & ſatelles Orci,
Corrupti ſoboles pudoris, index
Morborum, Nemeſisq; larva, lethi
Frater, invidiæ comes, metusq;:
Sed nunc verna, puer, genus, ſatelles
Laſcivæ Veneris libidinisq;,
Amoris ſoboles, lepôris index,
Morum luxuriæq; larva, riſus
Frater, lætitiæ comes, jociq;,
O felix nimiùm, ô beate pallor!
Places virginibus; placéſque nuptis.
Virgo nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Nupta nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Quæ non pallidula eſt: colore mortis
Et vir quæritur, atque mox adulter.
O felix nimiùm, ô beate Pallor!

Quæ Antiquitas ſic deſipuit? Aliæ pertinaci jejunio vigorem emacerāt, aliæ venam ſecant, aliæ frugum ſemina, cuminum, carbones, calcem, cineres, terram vorant, acetum hauriunt. Cùm ex voto pulchræ,
Sanguinis in facie non hæret gutta.----
Formæ pretium puta, pallori valetudinem impendunt. nimirum ut vultu cadavera ſint, & omnem videantur verecundiam projeciſſe. Sic audaciam

ciam amatores ſumunt: & ſuam quiſque affatur, prenſat, palpat. Etiam dicam?

Carpit papillas, atque amplexus intimat.

Oſcula uſu honeſta ſunt, & cum verbis feruntur. Illud obtinuit:

Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt.

Sed iſtam flammam fumo tegimus, ut in umbra voluptatis cum libertate ludamus. Non hæc libidinis meta; ſed gradus eſt, longiúſque itur.

Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem:

Qui volt cubare, pangit ſaltem ſuavium.

Imò, qui volt cubare, tripudio viam ſternit, virginémque tanquam ſponſam ducit. Illa ſequitur, & eoſdem obit numeros, incenditque præſultorem. Videas peregrinas omnis ſtultitiæ ineptias, & exoticum laſciviæ habitum ornatúmque, nec quicquam patrii & vernaculi in moribus ſupereſſe. Tanquam originis pudeat, hoc unum omnes agunt, ut videantur à Majoribus deſciviſſe. Ergò exotico pleræque luxu deformes ſunt. peritq;

omnis

omnis membrorum gratia, veſtium partim onere, partim tormento. Arctiſſimis vinculis coſtas & thoracem ſtringunt: coxas, ventrem, femina, & quicquid adhæret, in laſcivam laxant laciniántque libertatem. Stola jam larva eſt; & quæ pulchræ, toto corpore monſtrum induunt. Ipſum caput cirris vincitur, tutulo gravatur, & ſuggeſto adoptivæ comæ. Collum vallo munitur, & radiis cingitur linei candoris. Scrutamini: violatum decôrem ubique invenietis. Quid auri non jam ornamenta, ſed onera? Quid aurium vulnera, & elenchi; quaſi ſatis annulorum digiti non capiant? Cimmeria pudicitia ſub inhoneſto hoc ſchemate laborans, in turpiſſimam mollitiem ſolvitur. Veſtis fartum in prægnantium ſarcinam puellæ diſtendunt, cùm vix ſororiare cœperunt: prævertunt utero nuptias, gravidæ priuſquam conceperunt; imò fortaſſis gravidæ, quò vitium celent. Compoſito & ſuffarcinato tumore luditur; ut videantur velut per delicias uterum ferre, cùm non ferunt, ne videantur,

tur, cùm ferunt. Perit virginitas, ne pereat. Carmine hæc ſtultitia perſtringenda eſt.

Bajulat Iſchiacam laſcivo pondere vannum,
Et tumido gaudet virgo placere ſinu.
Dant humeros coxæ, medio quoque corpore collum
Surgit, vix geminæ circuitu ſpithamæ.
Membrorum deforme chaos: gula proxima pubi eſt,
Et ventris cœpit pectus habere locum.
Cur aſtutus Amor, cur ſit cordata libido,
Quæris? quâ prurit femina parte, ſapit.

Non oris tantùm, ventris quoque fucus eſt: cum onere ire, ſedere, epulari, deliciæ ſunt; & quæ mox futura mater, tanquam virgo ſaltat; quæ proiem dabit, maritum necdum reppe-rit. Ergò quocumque voto nuptiæ quæruntur. Vt dotem augeat, uterum fert quæ ducitur: & priuſquam agrum ſuum ſponſus cœpit colere, jam ſeges in herba eſt. Si remoto velo nudam veritatis vocem admittimus, Virginita-

ginitatis florem non omnes puellæ nuptiis conſecrant ; niſi citra aquæ ignisque ſolennia nuptiæ ſunt. Memini fuiſſe nuper, eámque non è vili ſtirpe, quæ cùm in alienam familiam tranſiviſſet, perſtrepente adhuc Hymenæo, Iunonis Lucinæ opem invocaverit,& inter rudes adhuc novi mariti amplexus enixa ſit, eadem nocte, eodémque in toro & ſponſa, & puerpera. Digna mehercle, quæ gravida ſæpius eſſet, nunquam nuberet ; aut quæ unius ſponſa, nullius uxor, æternam divortii pœnam viduo quotidie lecto renovaret. Sed BATTI Sophiſtæ nuperum facinus ſi in exemplum veniat, pauciores virorum currucæ laborent infamia ; & ſeveriorem vernantibus puellarum annis legem Caſtitas præſcribat. Is quam defloratam duxerat, ne uxorem quidem putavit. Serò deprehenſa eſt uterum ferre, quæ tanquam virgo venerat, & ſpurio pudoris flammeo velata. Iugum paſſa, priuſquam nuberet, tam fœcunda exſtitit, ut ſecundo à nuptiis menſe pepererit. Neque tamen acer-

acerbiore tum quidem vultu animum maritus prodidit, aut iniquior in prolem fuit: quin demulcens uxorem, & blandiſſima fraude metuentis ægritudinem leniens, Ne angaris, inquit, mea nympha, aut præcocis puerperii hæc intempeſtivitas te perturbet. Sextans anni ſi te matrem, me quoque patrem facere potuit: non eandem menſium moram fœtui natura impendit; imò quibuſdam animalibus breviorem pariendi terminum aſſignavit. Tradunt Genethliaci, in ipſo fatali errantium ſtellarum circulo, alternis quoque ſignis commercia data eſſe: & ego cenſeo, obliquo languidóque ſiderum radio fœtum matureſcere. Quid fit? Poſtquam ad vires puerpera rediit, & Iunoni ſuæ litavit, quod preſſerat animo conſilium Battus tandem deprompſit. Ergò, ut omne penitus è lare dedecus amoliretur, res ſuas novam uxorem habere, iterúmque virginem eſſe juſſit, & ſolenni formula confeſtim exire foras. Morem illa cogenti geſſit, etſi invita: abiit; &, quia poſt nuptias carere

tere marito, durum erat, planctibus paternam implevit domum. Repudii infamia ad ipſum mox Præfectum loci, puellæ avunculum properavit. is tanquam gravi affectus injuria, Battum accerſit; & poſtquam temerarium facinus luculenta ſermonis auctoritate proſcidiſſet, partim minis, partim precibus conciliare iterum puellam ſponſo conatus eſt. Tum verò leniſſimis verbis ſilentium Battus rumpens, Sine uxore, inquit, vivere illepidum ſemper arbitratus ſum: lepidum verò & laudabile,

Liberos hominem educare generi monumentum & ſibi.

Itaque deſponderi mihi puellam iſtam ſuſtinui, cùm & nuptiarum onus, & fortunarum meatum vires jugi calculo diſpunxiſſem. Vt in extremos ſumptus paratus eſſem, tot liberos, quot annos computaram; & quaſi huic numero alimentum è peculii proventu ſufficeret, uxorem, & ſimul dotem admiſi. At malum, quæ hæc præpropera & portentoſa fœcunditas! Vix in cornua iterum Luna ſe

curvarat, & jam vagitum cunáſque audiebam. Pater eram, cùm nondum ſponſi nomen poſueram: & quæ ſecundo à nuptiis menſe cœpit eniti, ſeno quotannis partu auctura erat familiam. Ergò à tam crebro puerperio, heu, quantum mox incrementum liberorum! exercitus. ſed an Craſſus ego aliquis, ut alerem? Tam copioſam mehércle habere ſtirpem non poteram, niſi ut inopem. Dii meliora! in triſtem paupertatis ignominiam præcipitare poſteros meos non debui. Itaque ut ignoſcas, rogo, & ut ditiorem puellæ maritum quæras, qui non hornis tantùm, ſed menſtruis continuò gignendis alendiſq; liberis par ſit. Sic ille quidem urbaniſſimo reſponſo & blanditias Præfecti luſit, & ſeveritatem fregit, & impoſturam punivit. Sed ut iſtuc redeam, Tripudium nuptiarum illicium eſt. Caſta, non caſta, virgo, non virgo laſcivis Venerem numeris flagitat, libidinem incendit. Quæcumque ſaltat, ignem ſe fovere, motu indicat: virum ferre poſſe, oſtentato vigore.

Tor-

Torquentur latera,ſinuantur femina: nequid lateat,pedes,tali, ſuræ conſpicuæ ſunt, extra ambientis laciniæ fines. Videre putes,

Quem ſinus abſcondit,-----

membrorum florem,cujus velut imago & modulus tremulo veſtigio ſignatur. Quod reliquum eſt,pallentes illæ in facie veneres, urentes in medullis cupidines, ultimam obſcœni voti voluptatem anhelant. Hi feminarum mores ac morbi ſunt: virorum,nequid gravius dicam, quòd iiſdem delectentur. De ſuo ævo Annæus loquatur, noſtrúmque pungat: *Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur per quæ virilitati fiat injuria; ut traducatur, quia non poteſt exui.* Ac de veſtibus quid attinet dicere? Pelliti pridem eſſe deſierunt Cimmerii, lanam & ſimplicis naturæ beneficium ſpreverunt: uſum

luxus vicit; quaſi è COMI præſcripto, honeſtius ornari, quàm muniri. Ergò ſtultiſſimus corporis ſplendor ingenti pretio quæritur; aſſcita & adoptata undique pompa pænè in ſimulacra migratur. nemo ſatis ornatus, niſi qui admirantium trahit oculos, & cultum ab humiliori extorquet. Etiam fortunas omnes veſte bajulare ac deterere pulchrum eſt: tanta ſtultitia contemnere audent opes, qui jactant; qui gerere, quàm poſſidere malunt. Sic omne in ornatu patrimonium eſt: corporis fines, etiam cenſus. Hoc tam ſuperbo compendio plerique divites, plerique prætextati, purpurati, auro gemmiſque lucidi: quorum in genere & lare nox eſt, ſæpe turpitudo, & ſcelus. Qui ditiores, toto orbe luxum colligunt, à Phrygibus, Æthiopibus, Indis amictum petunt; relucere in tenebris geſtiunt. O perverſitatem! Etiam qui animo libertatem ſpirant, corpus exoticis deliciis induunt vinciúntque, & quid niſi in contumeliam Naturæ? Hæc cùm cetera animantia variè veſtierit,

teſtis,

teſtis, corio, ſpinis, villis, ſetis, pilis, pluma, ſquammis, velleribus; truncos etiam arboréſq; cortice: *hominem tantùm nudũ, & in nudâ humo* (Plinii verba ſunt) *abjecit ad vagitum ſtatim & ploratum.* Sed plerique ita jam veſtiuntur, ut, quicquid Natura negarit, aſſumant, non defendendo corpori, ſed emolliendo. Neque ego Nitorem ſperno, Laſciviam ſperno. *Munda veſtis electio*, ait Philoſophus Romanus, *appetenda eſt homini: naturâ enim homo mundum & elegans animal eſt.* Sed eò ventum, ut munditiem ſola pompa æſtimemus: veſtis non veſtis ſit, niſi pretioſa.

Plura quidem parabat Tabutius,
Cùm domus interior gemitu miſeróque tumultu
Miſcetur, penitúſque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant.

Excitati qui circùm jacebant, nondum penitùs profligato ſomno, in cœnaculum ruerunt. Sed Tabutius non ſine riſu: Hæc ſolennis PHAGESIPOSIORVM cataſtrophe. Vos

ite, videte; ego quietem meam novo ſpectaculo non ſolvo. Dum ſurgimus, imúſque, puer ecce Hylæi cæco in cubiculum impetu defertur, vix præ timore ſpiritum ducens: quem ut adſpexi, Quid tremis, & fugis inquam, Drapetiſce? & cur ſine hero? At ille, Herum, inquit, furor detinet: ego certè periiſſe me ſcio, niſi fugiam.

Spes atque opes vitæ meæ jacent ſepultæ in pectore.

Dic ergò, inquam: an tu neſcis? noſter Hylæus eſt; ſiquid commeruiſti, & acerbiori ſubducis ſcuticæ mollem cuticulam, oratores erimus, noxiámque deprecabimur. Hanc vos operam, puer ait, alibi locate. inſons ego; niſi tamen hoc pecco, quòd ad ſalutem præeam. Herus ſtultiſſimo facinore prœlium orſus eſt, & nunc intus armorum jure nuperam à rivali acceptam injuriam vindicans, validum in ſe potantium agmen concitavit. Quanta, bone Deus, in bona ætate amentia eſt! Poterat feſtiviſſimis Circes amoribus contentus eſſe, ſi ſaperet; & perfidæ Myrtillæ oblivisci.

viſci. Nunc invita Venere, negatos ſuſcitat ignes, & vi cruenta Cupidinem ipſum violat. Sed & à me occaſio aliqua, qui adeſſe Chæreſtratum nunciavi? Ita eſt: herum mihi dum conciliare importuno officio ſtudui, in diſcrimen conjeci. Nunc demum intelligo prudentia opus eſſe, ut dicenda, & tacenda ſcias. Tabutius poſt hæc verba manum puero injecit, rogavitque, diſtinctiùs rem totam, & originem aperiret. Nec difficilis ille, etſi fugere porrò geſtiebat: ſic garrire & deblaterare genus iſtud hominum amat; ſi nihil occurrit, mentiri ſervus mavult, quàm herum non traducere. Reſpirans igitur, & impeditum adhuc metu ſermonem explicans, ſic infit:

Chæreſtratus, opulentus, & generoſi animi juvenis, litterarum armorúmque ſtudio non mediocriter excultus, nobilem in municipio noſtro, & ſcitiſſimæ venuſtatis virginem efflictim deperibat. Sed hæc alio calens igne, impatientem affectum in herum meum pridem transfuderat, le-

viter redamantem. In cupidinis regno iſta obveniunt; nec una omnibus forma placet. Eſt qui fugientem ſequitur, eſt qui ſequentem fugit. Vos expendite: amare ego nondum didici. Chæreſtratus, quod unicum incendii erat ſolatium, durum quotidie limen terebat; & triſtiſſimus ille dies, quo Myrtillam ſuam (hoc virgini nomen) non vidiſſet. Non ille tamen oſtium noctu extincta cum face occentare, ſumptus facere, patrimonii vires rumore ſiniſtro frangere, & reliqua omnia, quæ calentibus annis divitiæ dictant: ſtrepitum vitans, uno animo infeliciſſimus erat. Movit triſtis hæc Amoris ſcena Paneutum neſcio quem, mitiſſimæ ſeveritatis virum: is, ut ex ærumnarum barathro pereuntem extraheret, blandis pellexit litteris; & rus evocavit, ardentibus fomentum flammis quæſita amœnitate ſubducturus. Interea domeſtico jurgio virginis animus à matre exulceratur (ſub hujus enim cuſtodia poſt obitum patris Myrtilla vivebat;) cúmque acerbiorem verborum contumeliam

liam concoquere non poſſet, proſtituere verecundiam decrevit, & clandeſtina fuga in poteſtatem Hylæi ſui tranſire. Dominæ temeritatem calliſſimo ſermone Circe ancilla promovebat, venuſti adhuc floris, ſed maturæ verſutiæ puella. Hæc die quodam, cùm manè ſalutatum iret Venerem, claneculùm in ædes noſtras irrepſit, herum adiit, & fugæ deprompto conſilio, longis blanditiis rogare Hylæum cœpit, ne pulcherrimam, & rigido nimis matris jugo afflictam virginem deſtitueret. Ferret amanti opem: tam excellenti forma cælo moveri Iovem poſſe. Profert & in fidei ſignum, patrium virginis monile, ingentis pretii, in quo Proſerpinæ raptum diſtinctis gemmarum coloribus ingenioſiſſimus labor expreſſerat. Herus tam beato ſimul & nuncio captus & munere, ſtultum putavit lepidiſſimam puellam non amare; ſtultius, non rapere, quæ vellet fugere. Itaque monile exoſculans, & pulcherrimam hanc velut fugæ teſſeram in erectum pilei limbum adoptans, operam ſuam

obſtringit. Sed ancilla dum loquentis excipit verba, & formam miratur, ſcintillam & ipſa amoris hauſit; taléṁque cœpit herum concupiſcere. Fugæ ratio hæc placuit, ut poſt occaſum Solis ad limen Myrtillæ eques Hylæus veniret: erumpentem ex ædibus virginem exciperet, aveherétque. Scena ſic adornata, atque Circe dimiſſa, herus œconomum cum coquo & obſonio in proximum jubet prædium proficiſci, cœnámque Venere dignam inſtruere; quibus & ego comes adjungor. Sodales quoque duos, viæ & fugæ comites aſſumit: eos, ruente jam die, ad urbis portam præmittit, ut liberum cum cuſtode exitum ea nocte paciſcantur. Ipſe mox Theſſalicum concitans equum, ædes Myrtillæ petit. Iam ipſam plateam ingreſſus erat, jam limini imminebat, & contracto freno tardiorem quadrupedi greſſum imperans, fugituram virginem exſpectabat. Illa verò domeſtico præter opinionem opere detenta, nondum ſe matris poterat oculis ſubducere. Sic igitur ſuſpenſum paul-

paulliſper gradum Hylæus impellit, deflectitque in proximum vicum, ut, periodo facta, per eadem veſtigia rediret. Iam verò & altera remora: Circe tandem, quia amare ſe intellexit, fugere quoque voluit: ut Hylæum inveniret, Myrtillam ſuam ſequi. nec color tam piæ deerat cauſſæ, affectus dominæ. Contrà rogare ancillam virgo cœpit, ne importuno obſequio communia ſalutis vota impediret: &, Quomodò, inquit, fallere matrem ego poſſum, ſi unà tu erumpas? fac etiam poſſe: quomodo unus utramque equus capiet? Sed bonum habe animum, eadem tamen nocte venies. Quempiam ex Hylæi ſubmittam famulis, qui pari te quoque induſtria rapiat. Erecta his verbis ancilla, laudavit conſilium, & ſpes ſuas Dîs Vialibus commendavit. Chæreſtratus autem, qui pluſculos jam apud amicum dies ſummo cruciatu exantlaverat, languens amore & liqueſcens, ferre diutius deſiderium virginis ſuæ non potuit. Ergò ad ignem properans, quo ardebat, Paneuto valedicit,

equum

equum conſcendit, & Cupidine ſtimulante, raptim ad urbem devolat. Meta itineris eadem quæ diei, ac jam extremam viam caligine ſua Nox condiderat, opidúmque clauſerat, cùm ad mœnia Chæreſtratus veniret. Cœpit igitur circuitu tentare aditum, & ad portam perveniens, quæ Hylæo patebat, ingreſſus eſt. Tum quidem tanquam à propitio aliquo Genio admonitus, ingenti fiducia votum fecit, ſi durum Myrtillæ pectus miteſceret, aureum ſe Cupidinem Paphiæ femori appenſurum: & ſimul equum ſtimulans, curſum ad Virginis larem direxit, domum ſaltem per tenebras viſurus. Venit igitur, cùm paulloantè Hylæus tranſiviſſet, & exadverſum veſtibulo conſtitit, triſti limen ſuſpirio ſalutans. Ecce autem panduntur eodem illo momento fores, ipſáque ad equi ſonitum prodit accincta ad fugam virgo. Accedit, & ſubmiſſa voce ſe adeſſe indicat: malle in poteſtate amantis, quàm matris deinceps vivere. Nec mora, conſcendit, celerem præbente manum Chæreſtrato,

& ex-

& extremum equi inſiliens dorſum, dextero Centaurum ſuum brachio complexa eſt. Adoleſcens tacito ſenſu Fortunam adorans, retrò quà venerat, equum agit, ſuaviſſimam in tutum prædam avecturus. Neque in porta ab Hylæi ſodalibus obſtaculum ullum: quia non interpellati, quem nō noverant, neglexêre. Pergit ille, & producto ad decimum pænè lapidem itinere, cœpit velle ſuam facere quam rapuerat. Cælum, & amœnitas quædam loci invitabant. Nam Luna jam extulerat ex Oceano vultum, languidisque ſtipata vicinorum ſiderum facibus, horrorem noctis vicerat. Iuxta viam amœniſſimum quoque pratum erat, continua arborum ſerie cinctum, & partim flavis, partim albicantibus florum gemmis relucens. putares æmulatione cæli in ipſam quoque terram ſparſas eſſe ſtellas. Ridere in tam molli & verno gramine ipſa cum Amore ſuo Venus videbatur. Demiſſa igitur in pedes virgine, deſilit felix jam Chæreſtratus, & religato ad arborem equo, Myrtillam ſuam avidiſ-

ſimis

ſimis oſculis invadit. Illa oculos tollens, & in facie complectentis auſpicium quærens voluptatis, cùm Hylæum non inveniret, præ triſtitia propemodum collapſa eſt. Hinc flebili oratione accuſare iniquam cœpit ſortem, pectus lacerare, & infeſtas ungues venuſtiſſimæ formæ inferre. Sed Chæreſtratus, cùm blandam interponeret vocis manúſque operam, primò à lacteo vultu violentiam coërcuit. deinde toto amoris ingenio tentavit dolentis pertinaciam emollire: &, Miſerere, inquit, pereo. graviſſimo pridem vulnere ſauciaſti hoc pectus meum: ne minùs miſericors, quam pulchra ſis, medelam optatam indulge. An etiam repugnare fatorum decretis poſtulas? in amantis veniſti poteſtatem. Quid cunctaris?

----Placitóne etiam pugnabis Amori?
Nec venit in mentem quorum conſederis arvis?

Dona, quod extorquere poſſum, ſi minùs amem. Mille jam ærumnis conſumptum & ſepultum ad novam lucis uſuram reduces. noli mortuum occi-

occidere. tu vita mea, tu anima, tu omnia: tuus niſi ſum, nec eſſe quidem ultrà debeo. Et ſimul complectens iterum puellam, vim lacrymarum effudit, vocémque inter ſingultus ſepeliit. Quid diutius moror? Commota tam manifeſto Amoris teſtimonio Myrtilla, mutavit repentè animum, & tanquam numinibus morem gerens, amantis cupidinem admiſit. Ille jam audacior, deduxit in terram virginem, & prævio baſiorum agmine expugnata tardantis adhuc pudoris ignavia, victor ſpolia legit Veneris, & voluptatibus triumphat. Sed ut de hero porrò narrem: rediit ille mox viæ aliquo abſoluto circuitu; cúmque propiùs ad fores cogeret equum, aureſque arrigeret, ſtrepitus exoritur. Nam intus detecta Myrtillæ fuga, filiam ab ancilla exigebat mœſtiſſima mater, totámque implebat furore domum. Illa verò heriles fugiens minas, reſeratis foribus procurrit, & raptorem ſuum rata, qui conſtiterat, è veſtigio evadit in equum. Contrà Hylæus, tanquam Myrtillam veheret, lætus ad por-

àd portam & ſodales feſtinat. Hi felicem raptum amico gratulati, pari itinere prædium, quod in aditu proximæ erat ſilvæ, petunt. Venientes œconomus excepit; & ejus juſſu, in pontem aditúmque domus ardentem ego extuleram facem: planè ne ſine nuptiali ritu fabula eſſet, & virgo intelligeret in viri manum ſe venire. Iam deſcenderant, & oſculo ſponſam Hylæus ſalutaturus, viventibus oculis errorem ſuum deprehendit. Igitur non levi admiratione confuſus; expoſtulare cum ancilla cœpit, &, Quis hic ludus? inquit: vendis amplexus dominæ, tuos impendis? Itáne amator tibi in urbe, & contubernio deerat? aut tu ex illis, quæ ſpreta ſervili libidine, voluptatem in Equeſtribus quærunt? Circe pariter admirans quomodo ab Hylæo vecta eſſet, Ignoſce inquit, virgo venio; ſed ſequi dominam ancilla potui, & parem fortunæ aleam experiri. Quid, inquit, Hylæus, An Myrtilla igitur præceſſit? Niſi tu quidem, ait ancilla, delicias quæras, & audire à me velis quæ feciſti: a-
vecta

vecta eſt, cùm paullopòſt ad fugam me ærumnarum quædam procella exigeret. Sed ô benignitatem mitiſſimæ dominæ, quæ & Circen ſuam ab Hylæo voluit rapi. Tanti quidem erat fugere, cùm tu veheres; ut dominæ felicitatem ancilla quoque libaret. Tum verò ſeriò intellexit Hylæus, formoſiſſimam Veneris prædam, occulto ſive dolo, ſive caſu, ereptam eſſe. Igitur amoris promiſcuo & injuriæ ſtimulo percuſſus, ſodales interrogat, Num egredientem ex urbe equitem cum puella vidiſſent? Vidimus inquiunt (quis ſuſpicionem admitteret fraudis?) & viam, quæ ad fauces vicini ducit montis, ingreſſus eſt. Addunt: ſequi ſi veſtigia luberet, non longo itinere vindicari puellam poſſe. Bonum factum: repetunt equos, & relicta inibi pulcherrima Circe, ocyſſimè diſcedunt. Nos mœſtam introducimus, & ad cibum porrò capiendum invitamus renuentem. Indulget lacrymis, &, ut liberiùs Hylæum ſuſpiret, Myrtillæ luget infortunium, atque epulas omnes, ſimúl-

que humanitatem noſtram faſtidit. Interim labuntur horæ aliquot, & ad idem illud pratum, in quo nuptias novi amantes fecerant, & adhuc jacebant, Hylæum tandem nox intempeſta perduxit: qui poſtquam ſtantem ad arborem notavit equum, circumtulit oculos: & ecce in molli gramine, mutuiſque implicitos amplexibus juvenem & puellam videt, quos profundus admodum ſopor oppreſſerat. Hanc igitur fugitivam ſuam ratus, in terram venit, ferro ſubdialem rupturus cubantium torum. Nam Myrtillam quidem avellere decreverat: raptorem, ſpectante puella, confodere. Sed tantam crudelitatis audaciam benignior Genius temperavit. Acceſſerant enim ſodales quoque, & agnito Chæreſtrati ſui vultu, veteris amicitiæ memores, ad humanitatem flexerunt animos. Itaque leni ſermone cohibentes Hylæi impetum, Noli, inquiunt, inconſultum præcipitare ferrum, etiam vindictæ jucunda quædam mora eſt: ſævire poſſe, & differre, voluptatem habet.

In

In poteſtate tua ſunt, qui jacent, & crudelis eſſe poteris, cùm injuriam intelliges. Nunc fruere noctis hoc ſpectaculo, dum reſpiras ipſe; & tantiſper indulge ſomni libertatem, quibus propitia Venus fuit, Amor fuit. Ecce inter amplexus formoſi adoleſcentis puella cubat: ſi vim paſſa, quomodo ſtupratorem ſuum ſtringit? imò quomodo dormit? Quid ſi rapi à Chæreſtrato voluit; & ancillæ ſeu error, ſeu malitia ſcenam fugæ inverterit? Quid ſi te ipſa ardeat, dominámque traduxerit, hoc ad amores ſuos ſtratagemate itura? Noſti ſuperbam quarundam libidinem: ultra ſordes florem formæ efferunt. Quid attinet dicere? Scitula hæc quidem nobis viſa, nec minùs concubitu tuo digna quàm quæ fugit. Miſit hæc monile? illa tradidit. utri acceptum referas, dubites. Procumbere hîc & exſpectare, ſi placet, melius: rem ipſi mox vigiliæ redditi ſeu amantes, ſeu non amantes aperient. Cùm placeret conſilium, ſeorſim equos ligant, & proni in inſidias, imò verò mox in ſomnum

procumbunt. Nam itinere feſſos, & ſilentio cinctos moleſtiſſima gravedo invaſit, & expugnatis oculorum cuſtodiis, profundiſſimè merſit. Putares ab amantibus in Hylæum ſodaléſque totam ſoporis nubem transfuſam. Ecce hoc ipſo momento experrectus Chæreſtratus, & eò fortè reſpiciens, ubi modico arborum intervallo diſtincti ſtabant equi, mirari cœpit quis phalerata jumenta in paſcua eo noctis immiſiſſet. Surrexit igitur, & prolato paulliſper greſſu dormientem Hylæum offendit. Tum ad Myrtillam ſuam recurrens, Quid moramur? inquit. Hylæus adeſt, & ut fugiendi iterum faciat poteſtatem, terræ affixus ſtertit. Tu voluptas mea pelle metum omnem; equum iſtum ſcande, & recto tramite viam capeſſe. Faxo ego, ut domum redeant, & labori parcant, qui feliciſſimum nobis ſomnum non inviderunt. Monenti, etſi trepidè, puella morem gerit, animúmque ad fugam denuò maſculat, quæ non jam metuere minùs Hylæum incœperat, quàm priùs amarat.

Tan-

Tantum in virgine nox una potuit; ut certiſſimo argumento colligas ſpurium Cupidinem eſſe, quem Venus non genuit. Chæreſtratus autem de monili jam edoctus, ne pignus quidem amoris eſſe apud rivalem ſuſtinuit: quaſi totam non raperet, non poſſideret Myrtillam ſuam, niſi & pretioſiſſimum fugæ ſymbolum vindicaſſet. Subduxit igitur dormienti pileum, in quo gemmea illa imago reſplendebat, ſuúmque repoſuit. Hinc ad equos ſe conferens, primo & ſecundo frenum detraxit, & in præterlabentem demerſit rivum. Tertium deinde, Theſſalum illum ſcutulatum, qui vel pinnatam Pegaſi vinceret velocitatem, conſcendens, Myrtillam ſuam inſecutus eſt, & rectà in Cimmeriorum regionem deduxit. At Hylæus, cùm gravedine tandem conſumpta evigilaſſet, in pedes ſe erexit; nec leviter nova amantium fuga perturbatus, ſodales increpuit. Mox cùm ereptum monile novam doloris pariter & iræ materiem miſceret, furorem induit, ſtatuitq; non jam rivalem,

ſed hoſtem Chæreſtratum inſequi, & injuriæ vindictam à fugitivo exigere. Ergò itur ad equos; & hîc jam tandem intellexit herus, à domina ad ancillam transferendum affectum eſſe, niſi quidem periiſſe ſibi noctem illam vellet. Quia fatorum poteſtas videbatur alienis amplexibus Myrtillam deſtinaſſe, de reditu cœptum cogitari. Nec mora, è ſectis phaleris nectuntur habenæ, & ſub novam placidi freni legem miſſus uterque equus, tres è ſtulto itinere adoleſcentes domum revexit. Sed herus Circes blanditiis captus, videbatur obliviſci Myrtillæ poſſe; niſi laſſata Venere, Amor ancillæ eviluiſſet.

Venit ergò in COMI, ut vidiſtis, contubernium; & quaſi parum eſſet amare, pugnare etiam voluit: quem dixi Chæreſtratum offendit, Myrtillam iterum vidit. digna cothurno fabula habita. Sed quid audio? gliſcit intus furor. Vos ignoſcite, latebras cæcæ noctis quæro, & cõſanguineam colori meo auram. Nec moratus, per proximas ſcalas in cryptoporti-

cum

cum ſe demiſit. Tabutius autem, cùm feſtivæ ruminaret argumentum narrationis, etiam ſtilo dignum cenſuit. Itaque pugillares proferens, & ad ſcribendum ſe componens, Drapetiſci cœpit ſermonem amœna & curioſa felicitate perſequi. Ego, ne impedimentum lucubrantis induſtria acciperet, Aderbam per vacuum cœpi conclave ducere; &, emenſis aliquot ſpatiis, Cur non ſpectamus iterum? aio: laboret in fine fabula, niſi Chæreſtrati & Hylæi congreſſum arbitremur. Et cum dicto in cœnaculum pergimus, tanquam à limine COMI cothurnum ſpectaturi. Sed quàm nihil adhuc Drapetiſcus dixerat! Non jam Convivium, ſed prœlium erat, cujuſmodi inter Lapithas olim ac Centauros: nec vinum ampliùs, ſed ſanguis fundebatur. Nil tale Sithonii. Ardentem,

Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem

videmus: contrà, formoſum Chæreſtratum, non minùs armis quàm amore jam furentem. In ſumma, ad infe-

rendam quemque vim, aut propulſandam inſtructum. Poſt principia unus è coquis ſtabat, & acerbiſſimis conviciis Circen amicam ſuam ab utroque rivali repóſcebat. Cùm verba non proficerent, ad vim progreſſus eſt, & infelices bellariorum reliquias è menſa rapiens, cœpit artis ſuæ luxum in turbam ejaculari. Sed & Bilbius Sedigitus, notiſſimus apud omnes Cimmerios blatero, planè βόρβορος ἐκ τριόδου, turpiſſimum calonum & ſcurrarum ducebat agmen. diceres totam Regiæ fæcem in tumultum efferveſcere.

Tunc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca
ſacerdos

religiosè inſaniebant. Pari & ille morbo correptus, qui in Porticu Noctem laudaverat, ſæva rotabat æra; & ejuſmodi ab Orgiis petitas voces depromebat; ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. *De tympano edi, de cymbalo bibi, religionis ſecreta perdidici.* Quin etiam, ut impunè linguæ ſuæ veneno graſſaretur, novo & admirabili dogmate, Famæ inſtru-

mentum

mentum Calumniam ſtatuerat, & cum laude poſſe vibrari. O columen magnarum litterarum! ô ſpecimen veræ probitatis! Sed his exemplis ſi juventus ducitur, ſine litteris eruditionem licebit, ſine modeſtia virtutem profiteri. Senex etiam propè Acheronticus, qui dentes faciliùs quàm digitos numeraſſet, Thyrſum, & invitum ſimul Bacchum quatiens, præter ætatem, etiam vino delirare ſe poſſe oſtendebat. Hujus exemplo protervi aliquot adoleſcentes, & qui proximis Bacchanaliis togam virilem ſumpſerant, non tralatitium orſi erant bellum. Alius lance manum armaverat, alius ſcypho: putares jam quoque vulnera propinari. Sed in ipſo hoc pugnantium æſtu, Geſticulator quidam, lauro caput inſignis, moleſtiſſimis deliciis non inelegantis puellæ affectum urgebat: &, ut quàm maximè dignum ſe amore oſtenderet, Poëta videri voluit. Itaq; Citharœdicum componens ſtatum, teſtudinem, ſpiſſo ſulcatam ebore, errantibus digitis impulit, & nervorum harmoniã toto

inſtrumento quæſivit. Cùm mirare-mur, quomodo, fervente Martis tu-multu, vacaret homini Amorem la-ceſſere, ejuſmodi quoque carmen oc-cinuit:

Eſt, mea vita, tibi ſacrorum nauſea vatum,
Nauſea Pieriis ſæpe dolenda choris.
Nec te cæleſtes tangunt Aganippidos undæ,
Quæq; ſolent dia pectora mente regi.
Seu quia non ſanos populus putat eſſe poëtas,
Téque ſinas vulgi mobilitate capi;
Sive quòd Aonium vates Heliconis ad amnem
Ora trahant Scythica pallidiora nive.
Parce tamen, mea vita, mihi; damnata remittam,
Si fuerint odii carmina cauſſa tui.
Nec laudis me fervor agit, nec gloria: tecum
Si mihi contingant otia, ſegnis ero.
Quid moror? Aemonios adeat mea Muſa receſſus,
Proxima Sarmatico quà riget Vrſa polo,

Quód-

Quódve latus mundi ſævis ardoribus urget
Cynthius, aurato dum vehit axe diem.
Sat Dominæ placuiſſe meæ; ſat laudis in illo eſt,
Si mihi det faciles ad ſua colla vias;
Blandáque purpureis figam repetita labellis
Oſcula, cúmque feram plurima, plura petat.
Fortè aliquis noſtros qui tunc ſpectabit amores,
Dulcia in exemplum carmine facta trahet:
Et tua juncta meis minio variata legentur
Nomina, quótque dedi baſia, quótque dabo;
Felicéſque ferent paſſim nimiumq; beatos,
Dum tibi conſtanti detur amare fide,
Eveniántque pares, ſeriq; in amoribus anni.
Dulce etenim tecum vivere, dulce mori.

Finierat ille, & mixtum cachinno plauſum Aderba tollens, Sophoclæas voces ſemel iterúmq; repetiit. quem ego intuens, Quid iſtud? inquam: cœnam

nam ſi ambis,alibi licet operam loces; hic ipſa jam bellaria decollarunt. Imò, ait Aderba, ut Muſis placeam, Apollinem veneror: Deum,non hominem vides.Extra jocum:tantus hic Poëta,peream, ſi carmen unquam fecit; & qui videri poſſit totam jejuno pectore Aganippen hauſiſſe, alieno nunc labore amicam ſollicitat. quicquid audiſti,Laopyrgus tuus compoſuit; qui cùm experiri nuper vellet,an amantis affectum per ludum poſſet exprimere, Elegidium iſtud effudit. Noſti quo jam fonte Muſarum felicitas fluat, & quo cultu amor creſcat BONÆ MENTIS. Videbatur neſcio quid de Litterarum ſtudiis adjecturus, cùm ecce ipſe Laopyrgus oculis noſtris objicitur,vultu quidem minùs ſereno. Tanquam à plagiario pœnas exigeret, audaci impetu teſtudinem jam denuò pſallenti eripuit: ad laurum deinde vindictam proferens, viliſſimum Pſeudopoëtæ caput nudavit. Nec moratus, rectà in nos detractum miſit ſpolium; ut videretur omne ſimul amantis ingenium rapuiſſe.

Excepit venientem Aderba ramum, & nihil tale opinanti tempora mihi cinxit. Ergò coronatus, & tanquam Poëta adſtans, etiam Iovis poteram fulmen contemnere. Sed ô ridiculum Amoris ſchema! Puella tam repentino infortunio perterrita, & malè mulctatum amaſium fugiens, corollam ſecuta eſt; & quaſi ſub eadem Daphnes umbra tuta foret, collum meum invaſit. Ego admirans, & repugnans, Erras, inquam, ô virgo: mea mihi è TVRRIANIS Inſubribus Charite eſt, ſacro & perenni nexu juncta. Sed tu ſi formæ quæris laudem, hic quem vides Poëta eſt; ſi amatorem, nullis adhuc vinculis ligatur: & ſimul ad Aderbam tranſire puellam juſſi. Illa cùm reſpiceret, nec videretur plenam ingenio faciem, primáque adhuc lanugine venuſtam ſpernere, repéte à robuſtiſſimo lixa comprehenditur media, & in accumbentis laſcivum COMI gremium defertur. Interea verò animum Pſeudopoëta collegit, & pugnantium cuidam ollam eripiens, validiſſima manu in Laopyrgum

gum detorſit. Sed ille celeri flexu declinans impetum; ſubduxit ictui caput, & evaſit. Volat teli aut ſaxi inſtar olla, & velut nervo adacta, ac planè è catapulta emiſſa, medium agmen non ſine fragore collidit. Ergò ſternitur ipſe Hylæus, & caſu ſuo proximos aliquot unà trahit, quibus infirmiorem ſtatum natura fecerat, è gente Claudiorum. Hinc acrior pugna, cùm alii majorem à jacentibus vim arcerent, alii vindictæ ſtimulis in Chæreſtratum agerentur. Quid verbis opus eſt?

Pro ſe quiſque id quod quiſque poteſt & valet,
Edit, ferit.

Ac ne mulierum quidem clamor aciem deſtituebat: aliæ ejulatu ſanguinem ſuorum proſequi, aliæ ceu Bacchantes quædam Bacchæ dimicantium furorem accendere, imò pugnare; quas anus, ſimiam iterum trahens, concitabat. Nec contenta turpi clamore rabiem ſuam effundere, oſtiarii perticam, è qua ludos paulloantè exhibuerat, rapit, & in adverſos dirigit.

Quia

Quia ligneus cuſpidem meniſcus obtexerat, & telum parmula obtuſum fecerat; transferre formam ſuam videbatur lena velle, omniúmque vultus umbone complanare. Prorſus, tanquam in hoc ipſo prœlio naſum vindicaret, permiſcebat omnia, & nunc illum, nunc iſtum hoſtili ligno feriebat. Hanc inſaniam cùm & Hylæi ſodales duo non ſine vulnere excepiſſent, validiſſimi juvenes, perrupta acie, anum invadunt, & fruſtra reluctanti, ad exemplum narium, aurem utramque præſcindunt. Illa quiritare & ejulare, quantum voce poterat: & in vindictam ocyùs neſcio è qua latebra, adulterorum manus non ignobilis proſiluit; inter quos & miles ille, qui daniſtæ uxorem corruperat: ac videbatur non aures modò, ſed ipſum quoque aniculæ naſum ab adverſariis exigere; quaſi tam ſtrenuo facinore in complexus iterum dominæ iturus. Vt breviter dicam, Martis hæc quædam ſpectacula erant. Iam menſæ ceciderant, & extrema bellaria proculcata, auxerant triſtitiam ſcenæ.

ſcenæ. Nam paraſiti aliqui

----Moloſſici,

Odorificiq́, & multum incomediſtici,

quibus ſolenne colaphos perpeti, & frangi aulas in caput, amittere vitam, quàm prædam malebant; & pro epulis, imò cum epulis occumbere, dulce & decorum videbatur. Erat etiam qui tripode ictus elideret, qui veru vim arceret, qui pala aut piſtillo injuriam vindicaret. Nemo non armatus ſæviebat. Dum ſpectamus, ecce familiaris noſter PANIPERCHES, rectiſſimi ingenii animique vir (cui non unam Lauream Muſæ Vernaculæ debent) è Porticu in triclinium, & ad nos venit. cúmque repentinum hunc tumultum propiùs miraretur, pænè in diſcrimẽ impetu pugnantium abstractus eſt. Sed accurrens Aderba, ſtrenuámque amico pereunti opem ferens, è media Paniperchidem turba eripuit, & in Porticum reduxit. COMVS verò, miſſis jam deliciis, ut tumultum ſedaret, in mediam ſe furentium turbam immiſit; & exſerta voce, Quid hoc flagitii, inquit, ô Cim-

Cimmerii?

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt: tollite barbarum
Morem, verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Plura in hanc ſententiam erant; quibus tamen leniri exulcerati utrimque injuriis animi nequaquam poterant. Creverant iræ, & extremam aliquam ruinam minabantur. Numen, quia negligi, imò ſperni ſe vidit, cum LVXV LASCIVIAQVE evanuit. Ergò magis miſceri & confundi omnia; & quaſi arma etiam furori deeſſent, ad faces tedáſque itum, & quicquid erat luminis, pugnando extinctum eſt. Tum Nox, Tenebræ, & nigra omnis turba, quæ in veſtibulo Regiæ remanſerat, irrupit; & eſſe, quicquid apud Cimmerios fuerat, deſiit. Ego ex umbra, ſilentio, & ipſo Somno emergens, ad novam lucis uſuram reverſus ſum.

Ad Clariss. et Ampliss. V.

Erycivm

Pvteanvm,

Sereniſſimis Principibus

A Conſiliis;

& Hiſtoriographum Regium,

Nicolai Bvrgvndi

Elegia.

Erycı, *Latiæ cui jam facundia lingua*
Eloquii faſces imperiumq; dedit;
Cujus ab occaſu nomen ſpatiatur ad ortum,
Quáque tegunt Getica rura peruſta nives;
Quo duce ſurgentis tetigi libamina famæ,
Creſcit & auſpiciis gloria vectá ſuis:
Sint quibus utilitas legem præſcribat agendi,
Et ſapiant lucro quod ſatis eſſe putent,
Verſaq; ſollicitas oſtentet charta calendas,
Et repetat digiti mobile fænus iter:

Cùm

Cùm tamen & virtus, & amor te tangat
honeſti,
Aurea Saturni tempora totus agis.
Fortunaq́ minas, animóque admittis eo-
dem
Munera, & ambiguas ſtantis in orbe
vices.
Nec fora, nec leges; rabioſáve jurgia palles,
Fortia nec timidis verba dolenda reis.
Sive Hyades, pluviáſve Noto comitatus
Orion,
Sive minetur hiems, Erigonéſve ca-
nis;
Leniter irriguos demergit ſomnus ocellos,
Plenáque tranquillæ tempora noctis a-
gis.
Nec ſubit Aſſyriâ merces portanda carinâ,
Nec quod in aurato Mæonis amne le-
git.
Sed faciles Divi, blandæq́ Heliconis alum-
næ,
Objiciunt animo Somnia læta tuo.
Obſcuráſque domos luſtras, viduatáque
Phœbo
Tecta, nec obliquis picta ſororis equis.
Aurea quò nunquam tacita ſpatiantia
nocte

Agmina, compoſito tramite veſper agit.
Quò neq; purpureo ridens nitidiſſimus ore
Spectat ab Eois Lucifer ortus aquis.
Nec roſeis Aurora ſubit delata quadrigis,
Vtilius ſurgens à ſene diva ſuo.
Nox ibi perpetua veſtit caligine cælum,
Qualis & Atræas condidit aura dapes.
Nulla pruinoſis errant animalia campis,
Nullaq́; frons tumido ſibilat acta Noto.
Non avis obloquitur, nec opacis abdita ſilvis
Mæſta ſuum repetit Daulias ales Itim.
Sed tamen & teneri paſſim ſpectantur amores,
Et Jocus, & verbis gratia mixta ſuis.
Lætaq́; criſpantes Hebe turrita capillos,
Et quotquot comites aurea Cypris habet.
Hîc quoque (quis credat?) tardis convivia lychnis
Inſtruit à Como ducta caterva ſuo.
Qualia Threiciæ Rhodopæo culmine matres
Orgia nocturni plena furoris agunt.
Quæritur è denſis piſcoſi Phaſidos umbris
Rara avis, ut tardam provocet aſſa famem.
Siquid Orontæis tempeſtas miſit ab oris,
Hoc

Hoc ſapit, intactas nec ſinit eſſe dapes.
Pocula collucent variis cælata figuris,
Pérque manus patrio more frequenter eunt.
Fit ſtrepitus, ſertisq́ nitent, myrrháque capilli,
Cumq́ ſuo Cōmo turba ſepulta madet.
At juvenes lepidiq́ ſedent, mixtiq́ puellis
Liberiùs madido quælibet ore ferunt,
Vdáque confundunt pugnantibus oſcula linguis,
Vt numerum perdant continuata ſuum.
Mille ibi nequitias placidi meditantur amantes,
Mille jocos, cauſſas mille lepôris habent.
Mille Venus, totidémque puer citus excitat ignes,
Mille pharetratus fœdera nectit Amor.
O mihi ſic faciles ſi ſint in amore puellæ,
Blandaq́ laſcivo baſia dente premam;
Si tibi Neſtoreos veniant, PVTEANE, *per annos*
Candida fatali ſtamina ducta manu;
Si tibi ſit ſoſpes conjux, ſi dulcia nati
Pignora, perq́ ſui facta parentis eant;
Vtque facis, tardum producas nomen in ævum,

Effugiatq; avidos pars tibi magna rogos;
Caſtaliaſque petam duce te felicius undas,
Cultaq; Theſpiacis culmina ſacra choris;
Tunc ego votivas ſuſpendam mille tabellas,
Nec paries noſtri non memor ullus erit.
Ante deos omnes verno de flore coronam
Crinibus imponam Cypria Diva tuis,
Aſſyrioq; madens lacrymata cortice myrrha,
Concipiam tacitas non ſine thure preces,
Teque tuumq; colam toties Amathuntia natum,
Quot mihi purpurei ſunt in amore dies.

ERY.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM

DIATRIBA X.

CONSOLATIO CÆCITATIS,

Ad Ampliſſimum Virum

GVILIELMVM CRIPIVM Cancellarium,

SENATVI GELDRIÆ *inſcripta.*

AD plures mittere, quæ ad Vnum ſcripta ſunt, Viri Ampliſſimi, fas puto: præſertim cùm ab Vno illo non recedam. A Capite ſi in reliquum (ut ſic dicam) Corpus blandam affectus cultûſque

mei auram derivem, magis amare Caput videar. Hoc Corpus Concilium veſtrum eſt: & Vos illi Plures, etſi pauci; & ſic boni, Doctrina, Virtute, Dignitate ſublimes Iuſtitiæ Arbitri, qui publicam Patriæ meæ tranquillitatem ſecuritatémque conſilii, officii, fidei fulcris ſuſtinetis. Stamus Sugambri, & ſtetimus in tanta rerum procella (quidni fatemur?) ope & induſtria veſtra: ferre mala noſtra nos potuimus; quia vos lenire. Iam verò Vnus ille, numeri veſtri pars eſt, Corporis Caput GVILIELMVS CRIPIVS, bone Deus, quantum decus & lumen viri! Ita dico: neque officere aut obtenebrare Cæcitas poterit, illa à Deo, propitio magis quàm irato, immiſſa. Bonam viro bono eſſe, clarum ſcripto iſto feci: ſed poſtquàm planxi. Sic primo ac repentino mali nuncio ceſſi, meúmque publicis lacrymis dolorem ſociavi. Quis culpet? Læſa ipſa Patria videbatur, oculisque deſtituta: in Patria ego, qui, etſi lare & munere ſecretus, voto tamen & obſequio veſter ſum; animó-

que

que vivo, ubi primam vitæ uſuram hauſi, lucis, & telluris. Sic igitur tanquam preſens ingemui: mox, conſumptis primis ſuſpiriis, expendere malum ipſum cœpi, an dolorem mereretur. Breviter: repperi malum non eſſe: & CONSOLATIONEM ſcripſi, ut præcipuè eum erigerem, qui fortaſſis ex aliorum opinione vulnus ſuum æſtimabat. Deinde, ut vos quoque, Viri Ampliſſimi, ejuſdem Corporis (libens repero) membra, quos eadem offuſæ ſortis nebula involvebat. Totum hominem capitis affectio concutit; nec poteſt pars illa celſior ferre malum ſuum, niſi ut diffundat. Cælum & Concilium veſtrum pariter pono. Iſthic ſeptem Deorum nominibus illuſtres ſtellæ Principem unum & Rectorem habent, communem ſuæ lucis fontem: hîc eundem numerum, & eodem ornatum myſterio invenio venerórque. Septemviri eſtis, Stellæ eſtis; ſed qui eminet, clariſſima Solis imagine inclytus, ſingulari dignitatis lumine reſplendet, velut *Dux, & Princeps, & moderator* Concilii, *Mens* Sena-

 tus,

tus, *& Temperatio.* At verò Soli ſi Natura lumen neget, reliqui ignes languent: ita omnino à nocte & velut deliquio veſtri Phœbi, univerſo objectæ Senatui tenebræ viſæ ſunt; ſed viſæ. Objectas non eſſe, nec tenebras eſſe, Libellus iſte meus dicet: rectè ſic quidem ad Vnum ſcriptus, ad Plures miſſus. Itaque legite, affectum meum & cultum admittite: in Cæco quidem jam Oculos inventuri, nullam in Cæcitate noctem, ſi legetis; me verò ad majora excitaturi, ſi admittetis. Valete Viri Ampliſſimi, & in malacia hac armorum feliciter Patriam regite, quam in ipſa non ſemel tempeſtate ſervaſtis: tranquilla etiam Litterarum & Sapientiæ ſtudia fovete, quæ horridus ille Mars per tot jam annos non mediocriter attrivit.

APVLEIVS IN FLORIDIS.

SI magis pollerent oculorum, quàm animi judicia; profectò de Sapientia foret aquila

aquilæ concedendum. Homines verò neque longulè diſſita, neque proximè adſita poſſumus cernere: OMNES QVODAMMODÒ CÆCI SVMVS.

IN rebus humanis quicquid triſte & acerbum eſt, Vir Ampliſſime, aut iniquitas opinionis facit, aut impoſtura adauget. Mala ſua quiſquis intelliget, etiam feret: intelliget autem, mala non eſſe quæ putat, ſi velum illud perſuaſionis tollet, & circumlitum à vulgi vocibus terrorem. Percellimur rerum quibuſdam velut larvis, & omnem etiam fictæ injuriæ imaginem animus induit, quaſi honeſtū, ſqualloris obſequio mentientis Fortunæ acerbitatem ſequi. Ratione igitur, & præparatione quadam opus, in omni tempeſtate mali: illa, ut vera trutina expendamus, quæ ferenda ſunt: hac, ut excipiamus jam præviſa & feramus, quæ corrigi aut vitari non poſſunt. Calamitatibus obviam eundum eſt, & leviores erunt: rumpetur impetus, priuſquàm invadent: ubi invaſerint,

vaſerint, magno robore neceſſitas mali mitiganda. Sic philoſophari apud te audeo, qui in repentino Fortunæ tumultu, & Cæcitatis ærumna, parem utrique Conſtantiam attuliſti. Vinci non poteras, lædi tamen poteras. claris Virtutum radiis animus ille tuus lucebat, & oculis nox objecta: tanquam experiri Sors infeſta voluerit, an tanta Senectutis majeſtas Cæcitate poſſet obfuſcari. Quæ origo morbi, quis progreſſus, BONERUS meus; imò tuus, bonæ mentis & ingenii juvenis, à reditu explicuit: te verò per ipſos hos gradus, velut conſuetudine quadam obfirmatum; imò erectum eſſe, cùm omnis fugitivæ ſpes lucis exſpiraſſet. Alloqui igitur quid ni te audeam, ego pietatis affectu Tuus, & remedium non morbo, ſed dolori adferre, ſiquæ reliquiæ ſunt; illæ brevi & amico magis, quàm docto & laborioſo ſermone profligandæ? Nemo mortalium eſt, qui oculos non æſtimet, nemo qui lucis uſuram non amet, tenebrarum ipſo nomine, velut horrore, exploſo: ut etiam boni malique

que diſcrimen à calculo & colore diei noctisq; ſtimamus. Nimirum vitæ vitam lumina quiſque habet, & quæ cariſſima, iſto quoque nomine cenſentur. Sic cum vulgo loquor, & dolorem indulgeo, ut deprehenſum tollam: latentem provoco, ut ſtirpitùs evellam. Hærere jam ne reliquias quidem ſino. Quæ verò dixi, meliori judicio exploranda ſunt, ne in ipſa luce felicitas, ſi in luce ponitur, caliget. Cæci ſumus, ſi boni non ſumus, ſi à Virtutis via declinamus. Cæci ſumus, ſi præter oculos in homine nihil æſtimamus. Cæci, ſi ob horrorem Cæcitatem pertimeſcimus. Cæci, ſi a die, & luce vitam cenſemus. nam quo loco & nomine noctes erunt? Non omnes tenebræ ſomno cedunt: & quantam plerique lucis partem quotidie dormimus! Tuam illam oculorum Orbitatem qui deplorant, exacuunt: fingunt ærumnam, uti lugeât. Sic partim amore, partim imbecillitate peccatur. Amor dolorem poſcit, imbecillitas gignit: & Amici malum ſuum quiſque putat; nec diſputat, an ma-

malum. Alioqui quorſum lacrymæ & querelæ, niſi ut miſerum faciant, qui non eſt? Virum negent, qui ſpernere miſeriam ſuam poteſt? Cæcum, ceu defunctum plorare, nefas. citra ſepulchrum tenebræ ſunt: nox in omni vita. Hoc age, & nunc querelis quoque aures nega, quorum lacrymis oculos clauſiſti. Hanc ſeveritatem infortunio tuo debes, ut audire nolis, quod videre ſine cruciatu non poſſis. augent enim ſæpè & exulcerant affectum ſuum, quòd videri nequeant, qui lugent. Ergò deflent calamitatem tuam, nec oſtendere dolorem ſuum poſſunt. atque hic primus Cæcitatis fructus eſt, alieno dolore non cruciari. Sed tuum ego (ſiquis eſt) facili παραμυθίᾳ leniam; quippe viri Sapientis, ſi hîc quoque ſurdus es, & alienum excludis: imò alienum potero, ſi nihil te paſſum dixero, quod dolorem mereatur. nam inter mala Cæcitatem non eſſe, faxo cæcis & Homericis planè oculis liqueat. Hæc fiducia non ingenii, ſed cauſſæ eſt: deinde, quia eum Virum alloquor, qui ferre

ferre malum ipſum, nedum Conſolationem mali poſſit. Ordior igitur, & rogo tantiſper oculorum ponas deſiderium, dum loquor. Aliter, conſolari quî potero, niſi ut contriſtem? Nam accuſabis Cæcitatem, & in doloris argumentum hæc ipſa trahes quæ ſcribo, quia non leges: imò legere voles & haurire oculis, quia ſcribo. Suſtine: per aures ad animum quoque via eſt; atque utinam ipſe nunc voce mea calcem! Non licet. alius igitur ſubibit deſiderii mei munus; & ſimul intelliges, etiam ſine oculis litterarum librorúmque uſum eſſe.

Excute & examina naturam & conditionem tui mali: *Quidnam ſit, Vnde ſit, Quale ſit*: invenies profectò nihil hîc peculiari dolore dignum. Cæcitas eſt, id eſt animi à rebus vanis, variis, fortuitis, uno verbo, externis ſubductio. Communi luce privatus es; & quid niſi picta quadam calamitatis ſcena? imò luce privatus es, ſed vivis tamen, & ſapis. Vin' dicam quid ſit? luce non indiges. Et quid refragaris, aut opponis? Naturæ hoc ne-

gotium

gotium eſt,ſed à Deo. Quid Romanæ Porticus Zeno præcipiat, audi, epiſt. CVII. *Optimum eſt pati quod emendare non poſſis,& Deum,quo auctore cũcta proveniunt,ſine murmuratione comitari.* Solus hanc ærumnam non ſuſtines, nec ærumnam quidem. Cæci omni ævo fuerunt, omni erunt, nec ideò re aut nomine infelices. Sub dio agas, an ſub tecto, reſpiras tamen : aëre, non lumine anima fovetur. atqui hujuſmodi quoque videntis, & non videntis diſcrimen eſt; lumine non aëre ſecernuntur. Solem non conſpicis, & frueris; non cælum, & contemplaris; non terram, & calcas. etiam Cæcitatis bono odioſum Silicernii nomen evâſiſti. Hæc in rebus libertas eſt, in ætate quies,in miſeriis felicitas:atque adeò optanda, niſi contigiſſet. Cùm tuis careas, nihil eſt quòd cujuſquam oculos verearis. Tuus eris, quotieſcumque voles,& tutiſſimo hoc tenebrarum velut amictu ſeptus,tanquam Vlyſſes Regiam ſubibis Alcinoi;tanquam Æneas,Didonis: id eſt ſine impedimento ſecuritatem & tranquilli-

tatem

tatem capeſſes. Quæ in Heroibus illis denſati aëris caligo, in te Cæcitas eſt; ſed Veneris opera, & Minervæ. Vlyſſem Minerva duxit; Venus Æneam. & quæ Minerva? Prudentia atque Sapientia. Quæ Venus? ἡ πρεσβυτέρα, ut cum Platone dicam, Convivio, καὶ ἀμήτωρ οὐρανίου θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ οὐρανίαν ἐπονομάζομεν. *Illa antiquior, & ſine matre, Cælo nata, quam Vraniam ſive Cæleſtem nuncupamus.* Vtraque hæc Dea Cæcitatem comitatur; & ſic liber, quietus, felix, quiſquis Cæcus: ſed ſi pectore videre non deſinit; ſi ad Prudentiæ & Sapientiæ normam ſe componit, ſi Deum & divina cogitat. Te verò (ut à capite & ſtirpe reſumam) nomen ipſum terreat, miſerúmque putes, Cæcum, Orbúmque luminibus dici. Nequidquam: etiam qui non tales, uſurparunt. Apud Romanos quidem (humilia exempla negligo) Cæci, Cæcilii, Orbilii (ſic enim derivo) imò Scipiones fuêre; & quæ lumina Vrbis! De ultimis hiſce mirum fortaſſis: ſic tamen Macrobius tradit, lib. I. cap. VI. *Non aliter dicti Scipiones,*

piones, niſi quòd Cornelius, qui cognominem patrem, luminibus carentem, pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine poſteris dedit. Nomen omittamus: in re quid mali eſt? Quid mali? ut etiam in deliciis hodie oculorum vitia ſint, & oſtendantur. Qui cæcultant, vitreos lividis hypopiis orbes in publicum efferunt: nimirum, ut videri & monſtrari poſſint, vultum deformant; ſed cùm videre volunt, Cæcitatem indicant. Sic in ambitionem defectus venit, oculisque luditur, quos nos ecce deploramus. Antigonus quidem, ut Plutarchus in Sympoſiacis refert, lib. 11. quæſt. 1. ſuam ipſius πήρωσιν extra jocum non habuit; cúmque edictum offerretur, ingentibus perſcriptùm litteris, ταυτὶ μὲν, ait, καὶ τυφλῷ δῆλα. *Vel Cæco hæc clara.* Lepidè quidem: at ex adverſo, quàm multa in rebus his humanis, quæ ne oculatus quidem videt! Peſſima videntium Cæcitas eſt: & quotum ea quemque non premit! In clariſſimis hallucinamur, in facillimis labimur, in planiſſimis impingimus: ſi

rectè

rectè calculum ponis, ubique Cæcitas eſt. Animum ipſum carcer ille corporis ſepſit, tenebriſque velut vinclis ſtrinxit; miſerum quidem, quamdiu liberari nequit; niſi miſeriorem etiam, quòd oculorum beneficio miſeriam deprehendat. Quàm pulchrè Seneca, Conſolatione ad Marciam! *Hæc quæ vides oſſa circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultúmque, & miniſtras manus, & cetera quibus involuti ſumus, vincula animorum tenebræq; ſunt. Obruitur his animus, obfuſcatur, inficitur, arcetur à veris & ſuis, in falſa conjectus: omne illi cum hac carne grave certamen eſt, ne abſtrahatur & ſidat: nititur illò, unde dimiſſus eſt: ibi illum æterna requies manet, è confuſis craſſiſq; pura & liquida viſentem.* Adjicio parem ejuſdem locum, ex epiſt. LXXIX. *Quis oculis glorietur qui ſuſpicentur diem? quibus Sol per caliginem ſplendet? licet contentus interim ſit effugiſſe tenebras, adhuc non fruitur bono lucis. Tunc animus noſter habebit quod gratuletur ſibi, cùm emiſſus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & red-*

di us cælo ſuo fuerit. Non eſt igitur quod tenebras tuas accuſes: eadem omnes nocte urgemur. ipſa hæc vita nox eſt, Cæci quotquot vivunt. Ab incunabulis ad ſepulchra quicquid ſpatii & viæ eſt; error occupat; imò ipſa hæc vita error eſt: nec ſedem vivendo habemus, ſed quærimus. Alium ambitio ducit, alium avaritia, alium libido, luxus, dolus, livor. Breviter, pravi affectus, & vernaculæ animi perturbationes homini tenebræ ſunt; ſcelera, velut παρώπια quædam, ſive oculorum velamenta: quibus hoc etiam accedit mali, quòd Opinionis fræno ſive capiſtro regimur, rectæ Rationis obliti. Hinc ſpes metúſque cæca mortalium pectora lancinant, inde dolor gaudiúmque.

Quid dubitas, quin omne ſit hoc rationis egeſtas;
Omnis cùm in tenebris præſertim vita laboret?

Lucretii verſus ſunt, lib. II. & audebo cum eodem philoſophari:

Hunc igitur terrorem animi tenebráſque neceſſum eſt,

Non

Non radii Solis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioq;.

Tu quidem hanc poſſides, Clariſſime Ampliſſiméque Vir, & quia illuſtrem virtutibus Mentem habes, facili radio omnes iſtas corporis tenebras diſpellis. Et quas tenebras? uſu & opinione quadam ſacra bonas. Etenim ſi veteres audimus, Vmbræ Religionis miniſtræ & indices, & in tali horrore numina olim culta. Seneca epiſt, XLI. *Proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ fidem numinis facit.* De Germanis Tacitus: *Lucos ac nemora conſecrant, Deorúmque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Iam verò ſcribentium deliciæ umbræ ſunt, maximè Poëtarum: quod tu quoque nomen felici Muſa conſecutus. In tenebris carmina divini viri meditantur ac pangunt. Quid igitur? Ad teipſum redis: quocumque te vertis, lucum aut locum invenis, & aptum dicatúmque Apollini antrum. Bœotiam alii petant: tu in Muſéo tuo & Parnaſſum & Heliconem habes. Dubitare poſſis, an

 lucis

lucis uſuram amiſeris, niſi tui tè interdum res & curæ familiares ac domeſticæ admonerent. Nimirum mutata illa corporis munia vitium indicant; Non ire jam domum, ſed duci; audire tantùm, quos contueri ſoles; cibum capere; lectum ſcandere, quem non vides. Sed ſi seriò rationes diſpungis, nihil hîc præter novitatem offendit. Sic duci, pompam auget. Aſclepiades ille Eretricus Philoſophus ſcitè & ad rem. nam interrogatus, quid ſibi Cæcitas attuliſſet, *Vt puero*, ait, *uno eſſem comitatior*. At non contueri quos amas, miſerum eſt: animo complecteris, & videris tamen ab iis qui amant. Carior nunc uxor, quæ in locum ſucceſſit oculorum: & magis maritum ipſa diliget, quem in parte quæret. In uxore lumina tua habes, ſua in te uxor amiſit: imò & ſua uxor impendat potiùs, quàm Cæco non fruatur. Denique, ut illud addam, nec cibus oculis indiget, nec lectus. Sine moleſtia prandium cœnámque habes, utrobique voces famulas, divina quadam ſorte. Ad Somnum

vero

verò non accerſis noctem, ſed adfers. Cognata tenebris quies eſt, faciliórque, quia nullæ lucis imagines impreſſæ; quas prævio papaveris rore conſumas. Agit Natura officium ſuum, nec face, nec jubare impedita. Vniverſæ lucis potentiæ ſecurum caliginis vallum obſtruxit. Mens è ſoporis nebula redit, cùm reſpiraſſe ſatis; & ad vitæ munia reſurgis, qui lucem non exſpectas. Nullum tibi cum Sole negotium eſt: ratio diem findit, horas notat, momenta dividit: à Sole ratio non aberrat. Ampliùs dicam: tu tibi Sol es, quotidie oreris; è ſomno, velut nocte, ſurgis; diem non accipis, ſed facis. Magnum illud ſidus, ille mundi oculus, etſi nube obductus, lucere tamen non deſinit: nec tu, etſi Cæcitatis quodam velo. Domi foriſque eamdem rerum faciem invenis, & invenis quam facis: facis autem pulcherrimam, cùm ipſe animus pulcherrimus, qui facit. Sic igitur non vides, & luces tamen: ſpargunt ſe longè latéque virtutis, doctrinæ, dignitatis tuæ radii, & vel ipſam hanc

Cæcitatem cum magno Famæ incremento illuſtrant. Deinde, viſne annum ſine hieme, ætatem ſine ſenecta eſſe? Canis rugiſque ferè vitium hoc adhæret,& aut laborant oculi, aut deficiunt, cum ipſo totius corporis vigore. Sic paullatim ad ſe homo ducitur,ut meliorem illam partem æſtimet, qua vivit, & qua victurus etiam cùm deſierit. Omnis in penetrali theſaurus locatur: atqui animus theſaurus eſt,& in corpore latet,æternus in caduco fragiliq́; in tali autem vitium aliquod cur doleamus? Domum facilè quiſque negligit, quam mox relicturus eſt, Confringat tempeſtas tegulas imbricéſque, imber parietes lavet: inquilinus ſum, & migro; imò hoſpes, & proficiſcor. Convaſo ſupellectilem, compono ſarcinulam,ut quæ mea transferam,& evadam. Hæc domus, hoc hoſpitium corpus eſt, in quo quicquid præter animum, alienum eſt, injuriæ aëris obnoxium, & ævi. Sapientis mei verba profero, è Conſolatione ad Marciam: *Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas,& quodli-*

bet fragile. jactatu, non tempeſtate magna ut diſſiperis eſt opus: ubicumque arietaveris, ſolvéris. Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, aliena opis indigens, ad omnem Fortuna contumeliam projectum. Addam ego, Quid eſt Oculus? Infirmiſſima corporis totius pars, imbecillitatis imago, aquea ſcintilla, quam ſpirans aura extinguat, lumen radians conſumat, digitus aut culmus effodiat. A luce & tenebris, à calore & frigore pericula ſunt: ſua ipſius nebula mergitur & perit. Iterum, Quid eſt oculus? Flamma caduca, humor in orbem concretus, diſſolvi facilis, vulneris impatiens. Lapis aut clavus inſiliat, conteritur; ſtilus aut acus compungat, effluit. Fragile corpus eſſe oculus indicat; aliàs morbo, aliàs etiam ſomno aut per ſomnium amiſſus. De morbo quidem exempla paſſim ſunt: de ſomno aut ſomnio Plinius lib. VII. cap. L. *Publius Cornelius Rufus, qui Conſul cum M. Curio fuit, dormiens oculorum viſum amiſit, cùm id ſibi accidere ſomniaret.* Naturæ hæc opera, non mi-

racula ſunt, & fruſtrà exclamamus. Nuper factum fuit, fit hodie, cras fiet. Et ſanè novi ego, qui pura ac robuſta lumina ad lectulum ferrent, nulla referrent. ſic repentinæ ſæpè ſenſibus tenebræ oboriantur, & quem inſtauratum imus, unius noctis quiete vigorem, veluti nebula, ſepelimus. In te verò benigna Cæcitas ipſa fuit, præmonuit; lento venit gradu, ne percelleret; & ferre jam poteras, priuſquàm veniret. Illi verò ſic ex improviſo oppreſſi, & in exilium lucis, cùm dormirent, non miſſi, ſed lapſi, quo animo tenebras ſuas ferant? Hæret ſtupétque in ejuſmodi caſu ſenſus, ac de infortunio dubitat: è ſomno experrecti, quia lucem non inveniunt, etiam ſomniare ſibi videntur. ac tum planè crudeſcit è dubio malò dolor, cùm in plenam aperti vigiliam oculi, caliginem deprehendunt, nec diſcutiunt. Sed ut iſtuc redeam, fragile corpus eſt, in corpore oculi: quemadmodum domus aliqua aut tugurium, & hîc feneſtræ è cornu, vitro, papyro. Quid me aut muri rima, aut pendentis fornicis

nicis

nicis vitium, aut obſtructi luminis ſervitus cruciet? æternam manſionem, æternam lucem cogito; hanc quam incolo ruituram, qua circumfundor extinguendam. Quàm ſalutaris in omni fortuna cognitio ſui, ſcire, quid in nobis noſtrum eſt, quid alienum; & quàm nihil firmum ſolidúmque, niſi quod noſtrum! Ergò nec corpus, nec oculos meos puto, animum puto: ut Cæcitatem poſſim, mortem ipſam contemnam. Mors ipſa Cæcitate diſcenda, ne acerba ſit; & paullatim moriendum, ut animus vindicetur. Hoc ſi contenti ſumus & fruimur, robur in omne malum paratum eſt. Ita Seneca epiſt. LXXVIII. *Illud autem eſt quod imperitos in vexatione corporis male habet: non aſſueverunt animo eſſe contenti, multum illis cum corpore fuit. Ideò vir magnus ac prudens animum deducit à corpore, & multum cum meliore & divina parte verſatur; cum hac querula & fragili, quantum neceſſe eſt.* Tecum igitur nunc eſſe incipis, oculis amiſſis, aut potiùs omiſſis: ea agere, quæ Sapientis ſunt, & ex intervallo, atque adeò ſine intervallo

tervallo cæleſtia ac divina contemplari. Id nimirum mentis munus eſt, ut peritura ab æternis diſtinguat, & tranquilla meditatione in ſe Deum quærat, in Deo ſe, quantum licet, inveniat, rerum aliarum ſecura. Etenim qui eò felicitatis ſcandit, contemnere facilè poterit, quicquid in humili Natura compreſſit. Minima ſunt quæ ima; & his occupari miſerum dicet, quiſquis ad originem ſuam redit. Quò oculi non perveniunt, mens penetrat: atque tum ſua, & rebus terrenis altior, ſeriò deſpicit, quodcumque anguſtiæ oculorum admirantur aut ambiunt; facilè contemnit, quodcumque illæ pavent. Ridet injurias, contumelias, omnémque humani furoris ſtultitiam. Spondeat Fortuna proſpera, non movetur: minetur adverſa, negligit. Cæcum numen mens oculata calcat. Divitias in ſe reperit; quicquid extra ſe, glorioſa contentione faſtidit. Sic verò ut animus ſe contempletur, oculis non indiget, ſibi ipſe oculus eſt. Nemo lucente Sole faces accendit, ut tenebras diſcutiat; actum agit:

cur

cur oculos adhibeas, cùm Mens ipſa fulget? Noctem fuiſſe cogita, quamdiu oculis velut facibus uſus es: diem nunc eſſe, & in ipſo pectore Solem tibi natum; non caſurum, ne ſi ipſe quidem occidas. Solem, inquam, corporis dumtaxat nube impeditum, quominùs libera & divina luce refulgeat, & perfecta felicitate fruatur. Ergò Virtutis occaſionem tenebræ iſtæ nunc præbent, ut bonus ſis, qui ſemper fuiſti; imò ut nunc magis videaris, poſtquam oculorum uſu deſtitutus es. Suavem invenies Cæcitatem, ſi intelliges; illuſtrem etiam, ſi feres. Et quid ni intelligas, quam prævidere potuiſti, ut contemneres? quidni feras, quæ ſine dolore ullo corporis aut cruciatu? Talem enim ἀμαύρωσιν Medici tradunt, tale ὑπόχυμα, πτερύγιον, & univerſam oculorum noctem. *Quidam etiam diſputant* (verba Ciceronis, lib. v. Tuſc. Quæſt.) *ceteras voluptates in ipſis habitare ſenſibus: quæ autem adſpectu percipiantur, ea non verſari in oculorum ulla jucunditate: ut ea quæ guſtemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipſa ubi ſenti-*

ſentimus parte verſentur. In oculis tale nihil fit: animus accipit quæ videmus: animo autem multis modis variisq́ delectari licet, etiamſi non adhibeatur adſpectus. Vt igitur veram oculorum fruitio voluptatem in ſe non habet: ſic nec dolorem privatio. Lucis ac tenebrarum vices animus negligit: ſæpius ridet, cùm caligine ſtipatur, ſæpius gemit ac ſuſpirat, cùm lucida ac Phœbæa face cinctus. Et quis ille, qui infelicem hominis vitam cenſeat, quia noctes intercurrunt? *Etenim* (iterum cum Cicerone dicam) *ſi nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti ſimilis adimat?* Sine verecundiæ damno eloquar: Habet & ſuas nox voluptates. Id lepido atque libero reſponſo Antipater ille Cyrenaicus mulierculis perſuadere conatus, quæ Cæcitatem ejus deplorabant, *Quid agitis?* inquit; *an vobis nulla voluptas videtur eſſe nocturna?* Abeant igitur, qui & obſcœnitati oculos conſecrânt, ſpecula optant aut adhibent, & conſciam nocturnæ Veneris lucernam. Monſtra, non homines! Extra Naturam voluptas quæritur; nec in
ipſa

ipſa voluptate reperitur. etiam libidinis luxus eſt. Itaque videre cupiant, quibus nihil præter oculos Natura dedit. Viro prudenti, togato, uno verbo, Seni, in pectore dies eſt; iſtic cernit, ubi ſcire & intelligere datum eſt. De Blemmyis Plin. narrat, lib. V. cap. VIII. ſine capitibus fuiſſe, *ore & oculis pectori adfixis*. Blemmyas ego Cæcos dixerim, ſed qui ſapiunt; luminum adminiculo nequaquam egere. Pectore vivunt cernúntque, quia ſapiũt, & ſcire Naturæ opera malunt quàm videre: etſi hoc ipſum videre, ſcire ſit. Scitè Quinctilianus, Declam. IV. *Cæcitatis ſolatium eſt, habere rem videntium*. Imò ſolatium eſt, aliunde defectum hunc ſupplere. Reliqui tibi ſenſus validi, & oculorum munia manus ſubeant, ut tangas quæ videre jam negatum eſt, & ſic quoque ſcias.

Nam cùm cæcigenæ Solis qui lumina numquam
Adſpexere, tamen cognoſcunt corpora tactu:

Cognoſcere tu perfectiùs poteris, quæ oculis tot jam annos uſurpaſti, & ipſa

& ipſa mente cernis. Cerno inquies, ſed non diſcerno, ut quæ alba, quæ atra in rerum varietate, deinceps ſciā. Ita eſt, alba & atra non poteris: *at verò bona mala, æqua iniqua, honeſta turpia, utilia inutilia, magna parva poteris* (quemadmodum de Democrito magnus Orator dicebat, lib. v. Tuſc. Quæſt.) *& ſine varietate colorum licebit vivere beatè, ſine notione rerum non licebit.* Hæc cùm ita ſint, Tranquillitati amicam Cæcitatem dixerim, & inter prima vota habendam, ut à funeſtis, atque etiam ſceleſtis animus abducatur. Per oculos enim curarum ægritudinúmque quædam cruces, tum ipſa quoque flagitia ſe inſinuant; nec infelices tantùm videndo reddimur, ſed mali; ut contrà non videndo boni beatiq́;. Vita mortalium velut via eſt; ſed aſpera, incerta, ſcrupoſa, in qua lutum, ſordes, & lacunæ, plus moleſtiæ quàm gaudii, doloris quàm voluptatis. Sic imus, & ad miſeriam hoc accedit mali, quòd mala videamus. Siquis etiam lætioris Fortunæ radiis adfulget, eccè minantis ſimul umbra adeſt, & ve-

ſtigia

ſtigia premit, aut excipit.

Ita Diis placitum, voluptati ut mæror comes conſequatur;

Quin incommodi plus malíque illico adſit, boni ſi obtigit quid.

Nihil facilius quàm felicitati ſyllabam unam accedere. Ac tum altius ab oculis vulnus eſt; nec indicant illi animo quæ ægra ſunt, ſed infigũt. Acuuntur adſpectu malorum ſtimuli: Fortunæ tela opinionis veneno oculi imbuunt; augent mala quia nunciant, & mentiuntur maximè ubi nocent. Ita quidem (ut Cicero ad Trebatium ſcribit, lib. VI. epiſt. IV.) *in omnibus malis acerbius eſt videre quàm audire.* Nimirum, ut idem ait, epiſt. I: *Oculi augent dolorem, quia ea quæ cæteri* (aptè hîc dixerim *quæ Cæci*) *audiunt, intueri coguntur, nec avertere à miſeriis cogitationem ſinunt.* Te appello, Vir Ampliſſime, & Cæcitatis tuæ fidem. Annon ſuaves animo tranquillitatis amanti hæ tenebræ, quæ quotidianas publicæ calamitatis imagines opportuno velo involvunt, & emolliunt? Tempora cogita, nec depulſam

adhuc malorum nubem. Bellum reſedit, pugnare deſiimus; ſed vulnera ſuperſunt. Quid paſſi ſimus, nunc demum videbimus,poſtqum paſſi, oculis in tranquillitatem redactis. Ab iris minisque ad lacrymas ibitur: pãdent ſe mala, quæ tuliſſe mirum ſit, niſi facere quoq; non puduiſſet. Miſeriarum laſſitudo indicabit dolorem, ut remedium impetret. Tu verò pro munere tuo dabis remedium, nec dolorem hauries: ſubvenies miſeriis, nec corripieris. Vt ſine morbo eum eſſe oportet, qui medelam parat: ſic tu eris in publicis his malis; alienis quidem, quia non videbis; tuis tamen, quia tollere voles, tamquã ipſe ſentias. Pia igitur Cæcitas illa, quæ robur ſubminiſtrat, conſilii, imò & auxilii vires: niſi impia tamen, quę lacrymas negat, & dolori oculos ſubtraxit. Sed te ſupra communem affectum conſtituere Natura voluit, ut videre publica mala deſinas, poſtquã Pacis & Induciarum exortu videntur deſiiſſe; tollere autem & curare incipias, poſtquam ad remedia ventum.

In

In ſumma quid eſt? Erepti tibi oculi, ne doleant. Nunc de flagitiis quoque dico; & patieris paullïſper hunc à te Sermonem abire, ut malitiæ ſuæ cauſas oculis imputent, qui Cæcitatem ceu leto diriorem & duriorem exhorreſcunt. Prima ſceleris omnis officina oculus eſt: hîc ignis, incus, mallei, & affectus velut Cyclopes. Avaritia, luxuria, crudelitas originem hîc habent & cuduntur. Nimirum corruptiſſimum iſtud animi limen eſt, ſi in turpitudinem proſtituti. *Oculi ſunt* (Quinctiliani verbis dicam, decl. 11. *oculi, per quos paupertatem ferre non poſſumus: oculi tota noſtra luxuria: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant; mirantur, adamant, concupiſcunt.* Et quid multis? verbo ſententia poterat exprimi, *conficiunt.* A virgine procos & laſciviam arcebit, qui oſtium concludet, feneſtram obturabit, & prodeuntem velo flammeóque muniet. Proci, cupidines ſunt, ad animum irrepunt irrumpúntque, ſed ſi inveniunt viam: per oculos inveniunt. unde non fruſtra Fabius, decl. 1. *Vitiis enim noſtris*

nis furorem lumina accendunt; *nec levis animis accedit inſania, quoties quem exſecreris adſpicias*. Nihil ad te quidem hæc verba, Vir Ampliſſime, qui nec odiſſe potes, cùm liberum à perturbationibus animum habeas; nec exſecrari quemquam, cùm adſpectu careas: tamen de diſſidio ſuggerunt (permitte uti dicam) inter te Patrem Filiúmq; tuum nato. Quis error ſanctiſſimum Naturæ vinclum aut ſolvit, aut ſollicitat; ut colliidi velint, quibus vel diſjungi nefas? Complectere Pater Filium, cole Fili Patrem: Amor diluat, quicquid offenſæ ſive cauſſam, ſive imaginem repræſentat; Pietas deniq; tollat, quicquid irreverentia peccatum eſt. Hærere ſimultas non debet, poſtquam cæca nocte affectum paterni luminis Natura condidit, ne à Patre Filius conſpiceretur. Quid ampliùs exigis? Viciſti iram, imò puniiſti errorem ejus, qui inſurgere non debuit: & amorem tuum petet, qui oculos non impetrabit. Age & lenitate injuriam omnem vindica: ſeverus eſſe in filium non potes, niſi ut

teipſum offendas. Vnicum hunc heredem habes, & ſcribere velis, niſi habeas; quia ex te natum. Vitam dediſti, cur fortunas neges? nomen largitus es, cur affectum ſubtrahas? Genuiſti filium, feciſti Virum; hoc nunc accedere beneficiis tuis debet, ut genuiſſe, ut feciſſe juvet. Quid ille? ſubibit pietatis legem, (& ſpondere audeo) imò faſces poteſtati ſubmittet patriæ, ſic culturus ſacrum genitoris nomen, ut offendiſſe deteſtetur. Ergo videbit ille patrem, ut vereri poſſit; in pœnam, quia vereri neglexit, à patre non videndus. Tu modò naturam tuam, & hanc Cæcitatem cogita, ab ira, odio, vindicta, omnique prava affectione alienam. Graviter Latinus eloquentiæ magiſter, decl. 11. *Cæcus non iraſcitur, non odit, non concupiſcit! & cùm corpora noſtra vigorem de luminibus accipiant, pereunt cum ſuis vitia cauſſis*. Deinde defectum tuum cogita, & ſcipione opus eſſe, quo nitaris. Ergo Romanum illum Cornelium tibi propone, filium Scipionem habe; ut tanti nominis & ex-

exempli decus à familia adoptetur: imò benignum pietatis admitte obſequium, quo & Cæcitatem tuam lenire, & Senectutem ille tuus paratus eſt; ſed quò tu leniùs libentiúsque utramque feres. Nam quos amiſiſti oculos, recuperare in filio poteris, ſi dignum affectu judicas, & indicas: at bis jam amiſiſſe videaris, ſi indignum. Liberi parentum lumina ſunt; ſed liberorum quàm luminum peior orbitas eſt. Liberos non habere, cùm habeas, miſerrimum puto: ac profectò expoſtulare nobiſcum Natura poſſit, Patria, Poſteritas; claudere ſi familiam velimus, & ſuperſint qui propagent. Da Naturæ igitur, Vir Ampliſſime, quod te per Senectutem, & per Cæcitatem tuam rogo; da Patriæ, quod Natura poſcit; Poſteritati, quod Patria & Reſpublica flagitant. Hoc enim jam omnium votum eſt, ut qui de omnibus bene meritus es, etiam de tuis, ac de teipſo velis; & ambientem amplexus tuos admittas Filium, quem rejicere ſine noſtro dolore non potes: admit-

tas Filium, in quo cum nomine paternas Muſarum elegantias admiramur, & ingenii dotes. Quid ampliùs dicam? Pater es, diſſidere diutiùs non licet: Cæcus es, ſolatium à Filio admittes. Si complecteris quem procreaſti, Orbitatem pellis: ſed magnum ego Scriptionis meæ fructum capio, ac planè Conſolationem impleo, ſi complecteris, ſi pellis. Qua ſpe fiduciáque progredior, & quia malorum illices & velut cauſſas oculos dixi, acriori nunc etiam ſermone fodio & configo. Invidia, livor, atq; ipſe etiam faſcinus eumdem fontem habent, tanquam odio agnata. Nam qui aliena virtute cruciantur & tabeſcunt miſerè ambitioſi, hæc etiam tacitæ malignitatis arma inveniunt, ut aſpectu tutiùs noceant. Ab oculis in oculos virus animi diffunditur, & defixi luminum radii, velut tela penetrant, veneno oculario tincta. Tam diro malo quod amuletum objicias? Cæcitatem: ac ſecurè quidem, cùm & innocentiam poſſis. Clama igitur: *Oculos perdidi*, & admitte ſimul has voces:

voces: *Quàm multis cupiditatibus via inciſa eſt, quàm multis rebus carebis; quas ne videres vel eruendi erant! Non intelligis partem innocentiæ eſſe Cæcitatem? Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic urbem & mala omnia: certè irritamenta ſunt vitiorum, ducéſque ſcelerum.* Quid mali igitur in hoc malo? imò quid non boni? Democritus non vanè: *Vultus ille perpetuâ nocte coopertus ac timidus nõ concipit nefas, ad quod ducibus oculis pervenitur.* Nimirum monſtrant ſcelus; aut ſi non inveniunt, generant. Si verum fateri volumus, nulla corporis parte faciliùs peccamus. Vt enim ad lucernæ flammulam pyralles, culices, & id genus inſecta convolant: ſic ad oculos alati iſti cupidines vitiorum. Sed cum diſcrimine tamen: inſecta, ut exurantur & pereãt; cupidines, ut ſedem & fomenta capiant, & in mẽtem invaleſcãt. Quid? ipſi oculi cupidines ſunt, animúmqne torrent, ſauciant, cruciant. Sic loquimur: *Adjicere oculos*, & ἐποφθαλμιᾶν, cùm in rem quampiam pravo deſiderio ferimur.

ut & ἐνοφθαλμιᾶσθαι, aut potiùs ἐποφθαλμιᾶσθαι, τὸ ἐπιθυμεῖσθαι, id eſt, *deſiderari*, ab Hyperide adnotatum Pollux adnotat. De livore diximus; nec mirum in oculis eſſe, etiam ab oculis Invidus apud eumdem Pollucem peculiari voce nominatur, ἐποφθαλμιῶν, ὁ φθονῶν. Sed non perſequor aut examino vitiorum reliquum agmen. Plerique oculis mali mortales ſumus, oculi ipſi mali. In fabulis quid aliud myſtica Iûs metamorphoſis, à Poëtis decantata? Inachi filia (lubet enim referre) in nebula à Iove comprimitur: ut pellex lateret, in bovem transformatur. Nec latuit:

—— *petit hanc Saturnia munus,*

& obtinet. Quid deinde?

Anxia Areſtoridæ ſervandā tradidit Argo,

qui oculeus totus fuit. Mittitur à Iove Mercurius, ut Io vindicet. Cuſtos occiditur,

—— *quódq; in tot lumina lumen habebat,*
Extinctum eſt, centúmque oculos nox occupat una.

Quid Iuno? exarſit: dicam ejuſdem Poëtæ verbis:

Horri-

Horriferámque oculis animóque objecit Erinnyn
Pellicis Argolicæ, ſtimulóſque in pectore cæcos Condidit.

cuius tandem iram blanditiis Iupiter expugnavit.

Vt lenita Dea eſt, vultus capit illa priores,
& candidos Memphiticóſque ſimul honores impetrat. Imaginem dedi: nunc rem educo, & μυθολόγημα expono. Iupiter Mens eſt, quæ divina origine corpori ſociata humano, velut in nebula mortalitati miſcetur. Homines abuſi mente, & voluptatibus ebrii, juvencam, aut potiùs belluam induunt: qua quidem ratione à divinis & cæleſtibus (hic Iupiter eſt) ad vana & peritura (hæc Iuno) tranſlati, toto flagitiorum agmine, velut Argo, obſidentur.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Centum oculi, centum illecebræ ſunt, corruptelæ, peſtes, & voluptatis negotium agunt; miſeram ac deformem mẽtem, haud aliter quàm juvẽcam habent, de ſcelere in ſcelus ducunt.

cunt, per ſenſuum illa, ut ſic dicam, prata,. Venit Mercurius, id eſt Ratio, Argum conficit, in longum oculos ſoporem ducit, cupidines extinguit aut frenat. Oeſtrum tandem ſive furor à Iunone immiſſus, flagellantis conſcientiæ vibex eſt, qua mortales urgemur: & ſic divinis iterum igniculis excitati, virtuti & felicitati poſtliminiò reddimur, & de tota liberi lætique calamitate triumphamus. An ſatis hæc verbosè? equidem Mercurium ſic nunc egiſſe videor, omnémque oculorum laudem obduxiſſe. Reliquum eſt, ut in bonis Cæcitatem tuā numeres, tanquam Sapientia dignam, Litteris, Rebus, atque adeò ipſi Muneri tuo aptam. De his enim nunc ſupereſt ut dicam. Pauci omnino homines ſunt, quibus philoſophari poſſe datum eſt; quia velle nondum didicerunt. Suave cuique cùm vitiis ſuis eſſe; morbum alere, quem ſine dolore non exſcindas. Alium avaritia tenet, alium ambitio, neminem non voluptas; quam excuſem tamen, niſi & in avaritia; & in

in ambitione, aliiſque malis ponatur. Sic Mens neglecta errat potiùs in corpore, quam habitat; ſervit, non imperat; & quod miſerrimum, ſepulta vivit. Siqui verò tam mali, ut tegere & occultare malitiam ſuam audeant, inſcitiam poſſint; ad Philoſophiæ neſcio quam umbram confugiunt; & ſi res dicenda eſt, virtutem fuco, doctrinam aſtu mentiuntur. Horum verò ſapientia omnis verſutia, & ἐυτϱαπελία mera eſt: ipſi ſenſu, non mente, vultu non pectore, Socrates aut Zenones. Paucis: videre & videri, & *Os populi meruiſſe*, Philoſophari eſt. Tolle perſonam, ſtolidi ſunt, Hermæ ſunt; deme oculos, miſeri ſunt. imò tolle perſonā, negabis latere tam inſignitam improbitatem potuiſſe; deme oculos, non invenient lacrymas, quibus infelicitatem ſuam deplorent. Nondum ſuſpexêre cælum, & miramur cogitare non poſſe? nondum divinorum corporum harmoniam, ſiderumque ordinem ſcrutati ſunt; & miramur ſine lege mentes iſtas errare, ſine exemplo divi-

divinitatis ferri, ab origine naturæ ſuæ non disjunctas tantùm, ſed alienas? Iſtiuſmodi homines ſapere an putamus? ne vivunt quidem: uti animo neſciunt. Ergo qui ſciunt, ſine oculis vitam & felicitaem habent: Philoſophia digni, quia ſpreto oculorum commercio, aut potiùs contagio, ad divinæ ſortis ſimilitudinem ſe componunt. Hoc eſt vivere, partem illã colere qua vivis; illam, qua ſupera, infera, medioxuma accedis & penetras; qua rerum fines tranſſcendis, æternitati occurris, numen invenis. Sed citra cælum etiam quæri Deus voluit, neque tamen cognoſci, quòd magnam naturæ partem abſcondit. *Neque enim* (lubet Senecæ verbis ſententiam producere, lib. VII. Nat. Quæſt.) *omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti noſtris oculis committitur? Ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit, deditque circa ſe, majórque eſt pars operis ſui, ac melior, effugit oculos; cogitatione viſendus eſt.* Atque hæc ſumma hominis felicitas eſt, rerum inquam

Aucto-

Auctorem contemplari; imò hæc vera philoſophia, cui quàm aptiſſimum te Natura reddidit, quia oculos ſubduxit. Beneficium eſt, quod damnum alius vocet; ſed cui cum Deo eſſe grave eſt. nimirum videre, quàm cogitare mavult; anguſtiis oculorum compleсti Numen, quibus non capitur. Qui videre Deum cupit, cogitet; imò qui audire Deum cupit, cogitet. Mente videbit, mente audiet, ceterà, atque adeò in ceteris, cæcus & ſimul ſurdus. Vetus, ſed elegans dictum Plutarchus refert, lib. de Solertia animalium, meritò hìc aptandum: Νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει· τὰ δ᾽ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά: *Mens videt, mens audit: reliqua omnia ſurda & cæca.* Sic verò vera Ciceronis verba ſunt, lib. v. Tuſc. Quæſt. *Loquor autem de docto homine & erudito, cui vivere eſt cogitare. Sapientis autem cogitatio non fermè ad inveſtigandum adhibet oculos advocatos.* Audacter dicam: negligit, fugit, ſpernit; ne animi illa acies externo aſpectu hebetetur. Fecit Democritus, illud Sapientiæ ſine luminibus vene-

venerandum lumen, & impedimentis cogitationum repudiatis (neque enim Plutarchum hic audimus, qui negat, lib. de Curioſitate) Cæcitatem ſibi conſcivit. Mirare factum, mirare modum ipſum ſollertiámque, qua conſcivit, mundè graphicéque à Laberio apud Agellium deſcriptam, lib. x. cap. xvii.

Democritus Abderites Phyſicus Philo-
ſophus *(perionis,*
Clypeum conſtituit contra exortum Hy-
Oculos effodere ut poſſet ſplendore æreo.
Ita radiis Solis aciem effodit luminis.

Subdit autem Poëta, & diverſam cauſſam ingeniosè affingit:

Malis bene eſſe ne videret civibus.

Aliter etiam Tertullianus Apologetico: *Quòd mulieres ſine concupiſcentiâ aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus.* Placet verò illorum ſententia, qui Sapientiæ amorem interpretantur. quò & reſpexiſſe D. Hieronymus videtur, epiſt. ad Caſtrutium: *Quoſdam etiã mundi Philoſophos legimus, ut totam cogitationem ad Mentis cogerent puritatem, oculos ſibi eruiſſe.*

Quod

Quod Natura negaverat, crudeli induſtria Democritus obtinuit: at quanto felicior, ſi tuam uſurpare ſortem potuiſſet! ſi abſque labore, abſque vulnere, abſque injuria corporis commentationes ſubtiliſſimi ingenii acuere! Habes quod in Cæcitate tibi gratuleris: accepiſti beneficium, quod Democritus quæſivit; nec accepit, ſed rapuit. Cæcus verò invenire εὐθυμίαν ſuam potuit, ἀπειρίαν ſive infinitatem perluſtravit, etiam quę non ſunt complexus. Philoſophari tum demum verè auſus eſt, cùm oculos ſpernere: ſuus eſſe cœpit, poſtquam diei & luci repudium miſit. Sed quod hic in Sapientia, alius in reliquis Litteris faciet, & ſine oculis videbit. Tedæ noctis & tenebrarum beneficio, ingenium Cæcitatis relucet; & vis illa animi vehementior, cùm per oculorum meatus non exſpirat. unde noctem quoque Veteres εὐφρόνην haud fruſtrà dixerunt. Quia de litteris ago, Patrem litterarum ducere in exemplum quidni lubeat? Homerum enim Meleſigenem, illuſtre omnis Antiquita-

tis miraculum, Cæcum fuiſſe nomen indicat: & quid ille tamen non vidit, atque ideò, quia non vidit? Pinxiſſe, non ſcripſiſſe putes omniſcium opus. Rectè Cicero, eodem lib. v. Tuſc. Quæſt. *Ejus picturam, non Poëſim videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut videremus effecerit?* Omitto Tireſiam Thebanum virum egregium, & quia videre deſierat, vatem augurémque. Omitto Steſichorum, Thamyram, & è fabuloſo Alcinoi convivio Demodocum ἐρίηρον ἀοιδὸν, carmine, lyra, cantu neſcio, an Cæcitate clariores. Diodorum item Stoicum, Xenarchum, Dydimum Alexandrinum, alióſque: quorum iſte etiam fidibus, Pythagoreorum more, uſus eſt, & Geometriam docuit, *verbis præcipiens diſcentibus, unde, quò, quámque lineam ſcriberent:* ille Cæcitatem ornamentum ſcientiæ habuit, & auxilium: hic perfectam haurire Geometriæ notitiam potuit, ipſámque

adeò

adeò ὀπτικὴν, ſive oculorum ſcientiam, ſine oculis adeptus eſt. Quid vetuſta, nec plenam inventura fidem proſequor? Doctiſſimorum poſſum exempla hominum ab ævo etiam noſtro exigere, & doctrinæ laudem Cæcitati adſignare; poſſum clariſſimis viventium nominibus ſolari ſortem tuam: ſed tuo aliorum malo; nec tam ſolari ſortem, quàm teſtari, felicitati conjunctam. Quem loco tamen, velut ævo ſejunctum, in admirationem mortalium Natura produxit, Fama extulit, nominare fas ſit; & formoſiſſimo Cæcitatis monſtro ſermonem meum ditare. Is M. Ant. Bonciarius eſt, familiari litterarum commercio mihi Amicus, cujus ſi corpus ſpectes, de homine dubites; ſi animum, doctrinæ quoddam numen admireris. Oculorum orbitas miſero membrorum omnium defectu ſtipatur. & quid opus iniquæ ſortis injuriam enarrare? in deformi corpuſculo ſolam Mentem & linguam vir optimus illæſam retinet; & cùm reliqua ſtudiorum inſtrumenta deſint, glorioſa induſtria

videris, ut ipſa quoque corporis forma quàm ſimillimus Iuſtitiæ eſſes. Ad munera & minas, ad lacrymas & terrores, quos nunquam reſpexiſti, nunc Cæcus es. ubi nullum oculi habere uſum poterant, deſierunt. Sic verò animus ille tuus perfectiſſima Iuris cognitione imbutus, verus Iuſtitiæ oculus eſt; videt, ſcrutatur, penetrat (amplius dicam) audet etiam, quidquid Leges jubent. Breviter: Ipſam integerrimo pectore Aſtræam exprimes; quales Iudicum apud Thebanos ſtatuæ erant, tu eris. Abeant igitur, qui Cæcitatem rei munerique publico ineptam arbitrantur, nec ſine ſenſuum miniſterio velut myſterio Eunomiæ Sacra eſſe. Sapiens, ut oſtendi, carere oculis poteſt: à Sapiente autem optimè Reſpublica adminiſtratur. Olim quidem apud Romanos trabea & latoclavo Cæcitas reſplenduit; imò in rebus ſæpè dubiis & obſcuris viam ad Salutem prudentiæ face diſtinxit. C. Aufidium Prætorem Cicero ſcribit, lib. v. Tuſc. quæſt. aliquoties jam ſignato, etiam

Cæcum *in Senatu ſententiam dixiſſe, nec amicis deliberantibus defuiſſe.* Et quid ni addo? C. *autem Druſi domum compleri conſultoribus ſolitam, cùm quorum res eſſet ſua ipſi non videbant, cæcum adhibebant ducem.* Imò hic idem oculis orbatus, Valerio referente, lib. VIII. cap. VII. *Ius Civile populo benigniſſimè interpretatus eſt; utiliſſimáque diſcere id cupientibus monumenta compoſuit. Nam ut ſenem illum Natura, cæcum Fortuna facere potuit: ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret, & vigeret.* Te verò eôdem Natura & Fortuna duxêre, ut Senex, ut Cæcus eſſes, & gemina iſta corporis adfectione venerabilis: ſed Virtus, Doctrina, Dignitas, ut reapſe Druſus. Non eſt oculorum iſtud negotium quod geris, eſt animi; nec impedit Cæcum eſſe, ubi ſine oculis videas. Longus id tibi rerum uſus præſtat, & anni publico iſto in munere conſumpti: experientiam eripere Fortuna non potuit. Et pone, apertis pleroſque oculis cæcutire, ætatis aut ingenii cruditate: tibi contigit clauſis videre; ut ſuperfluum eſſe cognoſcas

quo

quo carere potes. Romæ quondam gliſcente cauſſarum rabie, (aliàs Quinctiliano notatur) etiam ad oculos Eloquentiæ fucus ſe convertit, & à pictura auxilium petiit. Oratores enim tabulis repræſentare triſtem rei ſcænam cœpêre; & coloribus atrocitatem complexi, non tam dicebant aut librabant ore crimina quàm oſtendebant. Sed quid, niſi ut ſeveritate, aut miſericordia judex peccaret? Cæcum judicem, aut certè tribunal eſſe oportuit. De tribunali opportunè; atque illud ſanctiſſimo inſtituto ſic quidem in Areopago Athenienſes uſurparunt. Ne à ſquallore lacrymiſque reorum periculum Iuſtitiæ eſſet; aut nequem adfectum oculi admitterent; nocturna judicia, & ſine vitio Cæca habuêre. Sed ut ad Romanos redeam, Appium Claudium è memoria Latina quis vetuſtatis ſitus deleat? Grandis ac decrepitus fulcrum Reipublicæ ſuæ fuit, Cæcus lumen. Pace enim à Pyrrho Rege oblata, deferri in curiam lectica voluit: cúmque ſententiæ omnium inclina-

filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & Senex & Cæcus. Intentum enim animum tamquàm arcum habebat, nec langueſcens ſuccumbebat Senectuti (addo, Cæcitati:) *tenebat nonmodò auctoritatem, ſed etiam imperium in ſuos. Metuebant eum ſervi, verebantur liberi, carum omnes habebant. Vigebat in illa domo patrius mos & diſciplina.* Non dubitamus: vigere in tua quoque poterit; tu verò auctoritate, prudentia, doctrina, eloquentia in ipſa curia, ſanctiſſimiſque muneris tui CANCELLIS. *Reſpice* (& hoc videre certè cæcus poteris) *quo nomine nuncuperis* (Caſſiodori verba ſunt, lib. XI. variarum, epiſt. VI.) *Latere non poteſt, quod inter* CANCELLOS *egeris. tenes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas januas; & quamvis ſtudioſè claudas, neceſſe eſt ut te cunctis aperias. Nam ſi foris ſteteris*, populi *emendaris obtutibus: ſi intùs ingrediaris, obſervantium non potes declinare conſpectus. Vide quò te Antiquitas voluerit collocari: undique conſpiceris, qui in illa claritate verſaris.* Vlpianus ait, (lib. V. Digeſt. tit. I.) *Cæcus judi-*

candi officio fungitur. Quod nonnulli accipiunt, ſi fungi non Cæcus incœperit. In ſimili controverſia Metelli Sacerdotium, apud Senecam Rhetorem. Lex enim erat: *Sacerdos integer ſit.* Metellus Pontifex, cùm Veſtæ arderet templum, Palladium rapit, ſervátque, ſed oculos perdit: an igitur Sacerdotio ſpoliandus? Declamator negat: *Veſta mater, fortaſſis nullum Sacerdotem haberes, niſi Metellum habuiſſes. Sacrorum cauſſam ago, non Metelli. Plus eorum intereſt, ne Metellum Sacerdotem; quàm Metelli, ne Sacerdotium perdat. Non erat tantus Metellus, cùm illi Sacerdotium dedimus. Civitas ſollicita pendebat. Duo periclitabantur, quibus nihil populus habebat pretioſius, Sacra, & Metellus. O faciendum Sacerdotem, niſi eſſet!* Lex Integrum *ad animum refert, non ad corpus. Lex æſtimari hoc voluit, tunc cùm quis peteret, non cùm haberet Sacerdotium. Habes Veſta duplex Pontificis tui meritum: ſervavit Sacra, nec vidit.* Quod in Metello Sacerdotium, in te Dignitas: ille Veſtæ, tu Iuſtitiæ Myſta: magno auſu Palladium ille ſervavit, tu conſilio Rempublicam,

publicam, in longo & atroci incendio rerum. Verbo abſolvam: Munere dignus es, in quo oculos conſumpſiſti. Nec ſolenne illud edictum, quod Vlpianus refert, lib. III. Digeſt. tit. I. quidquam ad te ſpectat, *Dum Cæcum utriſque luminibus orbatum Prætor à poſtulando repellit: videlicet quòd inſignia Magiſtratus videre & revereri non poſſit.* Ad te inquam non ſpectat, Vir Ampliſſime, qui publico beneficio inſignia ipſe Magiſtratus geris, videndus atque reverendus: qui CANCELLORVM *pompa decoratus*, ut iterum cum Caſſiodoro loquar, lib. XII. epiſt. I. *& glorioſâ gravitate præcinctus*, faſces Iuſtitiæ perges & ſecures meritò poſſidere. Et fac poſtulare te non poſſe; apud te alii poterunt: non hæc pœna, ſed prærogativa eſt & rectè Iuriſconſultus ſubdit: *Quamvis autem Cæcus pro alio poſtulare non poſſit: tamen & Senatorum ordinem retinet, & judicandi officio fungetur.* Sed addamus porrò, quæ ſequuntur; Appii hic quoque nomen occurret: *Numquid ergò & Magiſtratus gerere poſſit? ſed de hoc deliberabimus: exſtat quidem*

exemplum

tui dotes nudæ & conſpicuæ ſunt, poſtquam oculi obducti; & ſicuti in cælo ſtellas nox profert & oſtendit: ita perennes in pectore illo tuo virtutes hæc caligo Cæcitatis. Non vides: quid refert? hoc magis jam videris.

—Spectant oculi te mille loquentem.

Cæco vultu ampliſſimi tui muneris imaginem, & auctoritatem indicas; & CANCELLORVM *Septa*, ſive *Secreta*, ut Scriptoribus appellantur, ipſo defectu repræſentas. Ac ſanè formoſa hæc Cæcitas, & ſenectutis quædam majeſtas eſt. Facies integra; oculi, nec lippitudine ſtillantes, nec vulnere hiantes, nec evulſione horrentes. Nullo corporis damno Cæcus es, nullo animi. Quid ſi ne Cæcus quidem? Audebo dicere; etſi fortaſſis ſpem novam viſus accendam. Non extinctum illud oculorum tibi lumen, ſed lenta duntaxat Suffuſione ſive Cataracta, ut Medici appellant, impeditum. nubecula è defluente humore concrevit, uveam tunicam ſepſit, rerum ſpecies intercepit. Perita manu tolli

populus Romanus, quod numquam ulli alii ab condito ævo, ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam. Magnum & ſublime, ſed pro oculis datum. Ergò jam æſtima luminum tuorum deliquium, & cum Plinio *oculos partem corporis pretioſiſſimam* cenſe, *qui lucis uſu vitam diſtinguunt à morte:* æſtima inquam, ut quid Sapientia tibi debeat, quid Litteræ, quid Leges & Reſpublica intelligas. Æſtima, ſed ne amiſiſſe pœniteat. Publicum beneficium vultu indicas, & qui te adſpicit obligationem confitetur. Meminiſſe hujus caliginis non potes, niſi ut merita ſolentur. Vt enim glorioſa ovanti militi cicatrix: ſic tibi Cæcitas, quæ laboris, induſtriç, imò virtutis publicitùs imago eſt. Pugnaſſe nobilem illum Laconem, formoſiſſimum indicium erat, quia ex vulnere claudicabat. O decorum hunc inceſſum! nec potuit ſanè, ut eſt apud Plutarchum, auguſtiore voce Mater compellare Filium, aut acriori ſtimulo remittere in hoſtem: Τέκνων, ait, κατὰ βῆμα τῆς ἀρετῆς μέμνησο: *Fili ad ſingulos greſſus virtutis recordare.*

veo, Vir Ampliſſime; & ut prudentia, virtute, atque ſapientia tua utaris; exemplo autem Cæcitatem ferant, quos minùs aut Ratio erigit, aut Oratio conſolatur.

MANTISSA.

De Cæcitate, & præſertim ad talem Virum, ſatis ſic multa; etſi non omnia, quæ facili inventionis impetu & ambitu complexus eram. In magna & læta, ut ſic dicam, copia ſelectiora ſtilus digeſſit: imò deletæ pagellæ aliquot, quarum ab aliis animadverti argumentum præoccupatum. Mea, non aliena ſcribere volui: & brevi tantùm, fidóque Antiquorum teſtimonio firmare quæ ſcripſi. Nunc etjam paucorum dierum ſubſecivam hanc operam adoptiva ditatum mantiſſa eo; è Mamerco. Qui amare Cæcitatem incipis, pauca nunc iſta quoque lege.

CLAVDIANVS MAMERCVS,

Lib. III. *de Statu Animæ, cap.* XI.

VISVS animi per corpus (qui homini belluæque communis eſt) intendit ſeſe atque [1] exſerit in iſthæc puncta pupillarum, [2] vaporato cerebri anteriore ventriculo, inviſibilibus [3] viſcerum flammis; inque radios porrò uſque promanans, ſiquid coloris aut formæ obvium ceperit, concipit; & uti curſu, ita etiam recurſu, rapidis linearum meatibus recipit. Itaque hoc illud eſt quod vocatur Viſus, ſicuti in primo libro diſſeruimus. Per hunc ergò [4] cum bellua humanus quoque animus nota ab ignotis, alba ab atris corpora ſecernit. [5] Sed in eo tenùs eſt humani Viſus animi, quòd juſta ab injuſtis, à falſis vera dilucidat. An forſan [6] vecordes oculati corporaliter, judicio credentur cæco anteire Sapientes? Sed vel Appium de Romano Senatu

tu, vel Hermophilum de Græco Gymnaſio, vel Tobiam de Prophetarum numerò, ſuper ambiguo præſenti, teſtes habeamus. quorum vel Appius eis qui extrinſecus clarerent oculis, & interiùs cæcutirent, conſilii lumen præbuit; vel Hermophilus Theopompum, Geometricam ſine radio docuit; vel Tobias, filio dum cælo prævius iter pandit, angelum comitem dedit. Videt igitur animus abſque corpore, [8] non corpulentum aliquid, aut coloratum, aut per loca diſtentum: ſed ipſam veritatem ([9] quæ ſummè incorporea Deus eſt) incorporeo contemplatur obtutu. Patet, ut arbitror, animum & per ſe incorporea, & per corpus videre corporea. Sed illud adhuc propter [10] tepidi jecoris homunculos diſcur ſupereſt: Vtrúmnam corporea per ſ poſſit humanus animus videre ſine corpore? Nunc igitur ades totus, & quàm potes præſens fito. [11] Nempe, humanus animus (& ipſe, ut adſtruis, corporeus, & ſepto corporis exterioris incluſus) ſiquid per ſe videre

corporeum poteſt: nihil illi ſcilicet videre promptius eſt, quàm corporis interna, quîs clauditur. Agè quæſo intende viſcera tuà, & in omnes admodùm corporum partes iſtum quem dictitas animi corporalem viſum; & de temetipſo renunciato tibi, nobíſque dicito, Quibus modis, quóve ſitu [12] triformitas cerebri coëat, jecoris amuſſis jaceat, regula lienis hæreat, ſtomachi libra pendeat, cordis plectrum feriat; qui venarum tramites, quaéve textura; quæ nervorum origines, quaéve compages; quæ oſſium coitio, quaéve compactio: quæ pulmonum cava; quæ [13] tortuoſæ botulorum, enodibúſque ligaturis explicitæ inflexiones, ac reflexiones. [14] Et ſiquid negas, arbitror ſuper his reſponſa redhibere. Quid igitur negas? quia videlicet animus per ſe corporea nequaquam videt? Sed cur videre corporea nequaquam poſſit, quem non ſine viſu eſſe jam conſtitit? Nemo quidquam corporeum videt, qui corporalem viſum non habet: Animus autem qui habet viſum, & corporale

rale nihil videt; incorporaliter videt & incorporaliter videre poſſe, incorporalis eſt viſus; & incorporeum viſum niſi incorporeus non habet; & incorporaliter humanus animus videt: Incorporeus igitur eſt humanus animus.

AD HVNC LOCVM BREVES NOTÆ.

1. EXSERIT IN ISTHÆC] *Sic reſcripſi, cùm eſſet,* Exſerit iſta hæc, *fallaci ſenſu.* Puncta *non invenuſtè dicuntur, tamquam* κέντρα, *& ſic in oculi orbibus ſe pupula habet.*

2. VAPORATO CEREBRI ANTERIORE VENTRICVLO.] *Subdiſtinctionem, quæ poſt vocem* Cerebri *erat, ſuſtuli, & claram ſententiam feci. Tres in Cerebro ventriculi, (etiam* κοιλίας *Græci vocant) anteriores duo; tertius, meatus ad cerebellum, niſi hoc ipſum numerare malis. Atque ita de* anteriore ventriculo gemino *hæc verba accipienda. Rectè etiam* vaporato. *Viſus enim à ſpiritibus eſt: hi, vapor: & è vapore quo-*

 que,

que, ſed ſanguinis, in anterioribus cerebri ventriculis generantur.

3. VISCERVM FLAMMIS] *Hæ flammæ jam dicti ſpiritus, à viſceribus orti, natura ſua ignei flammeíque. Viſcera verò, hepar, cor, & cerebrum.*

4. CVM BELLVA] *Quemadmodum & bellua ſecernit.*

5. SED IN EO] *Concinnare ſic auſus ſum, cùm nullo priùs ſenſu verba fluctuarent:* hoc in eo tenus eſt humani viſus animi, quo igitur juſta ab injuſtis, *&c. Fortaſſis etiam poſſis:* Hoc in eo tenùs eſt humani viſus animi. Quo igitur juſta ab injuſtis, à falſis vera dilucidat? *Nimirum, in homine, ut in belluâ viſus eſt, aptus alba ab atris diſcernere: in homine verò peculiariter, juſta ab injuſtis. Ita verò particula* igitur *retinetur, quam eliminavi. Ciceronis verba confer, lib.*v.*Tuſc. Quæſt.* Democritus luminibus amiſſis, alba ſcilicet & atra diſcernere non poterat; at verò bona mala, æqua iniqua, honeſta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat.

6. VECORDES OCVLATI CORPORALITER] *Stolidi iſti, qui ſole*

ſolo corpore vident.

7. GEOMETRICAM] τέχνην. *Alia exempla in Conſolatione produxi.*

8. NON CORPVLENTVM] *In libro* ne *erat.*

QVÆ SVMME] *Summè incorpoream Veritatem rectè Deum vocat. Parentheſi ego à corpore orationis ſeparavi.*

10. TEPIDI IECORIS] *In iecore Sapientiam quoque Veteres collocarunt. Notus verſiculus;* En cor Zenodoti, iecur Cratetis. *Tepor igitur jecinoris, inſipientia eſt.*

11. NEMPE] *Levi verborum metatheſi an planam periodum fecerim, comparatio libri dicet.*

12. TRIFORMITAS] *Ariſtoteles lib.* I. *de Hiſt. Animalium, cap.* XVI. Διφυὴς δ᾽ ἐν πᾶσιν ἐστὶν ὁ ἐγκέφαλος, καὶ ἐπὶ τούτου ἡ καλουμένη παρεγκεφαλίς. Bipartitum, omnibus cerebrum eſt, jungitúrque quod cerebellum vocatur. *De tribus ventriculis ſuprà notavi.*

13. TORTVOSÆ BOTVLORVM] *Malè liber:* quæ tortuoſa batulorum e nodibus, quæ ligaturis explicitæ inflexiones ac reflexiones. *At*

mihi & vaſculorum *in mentem veniebat.* Vaſcula *hîc, ſanguinis receptacula ſunt, ut & ἀγγεῖα apud Græcos: quo nomine Venæ, atque etiam Arteriæ ab Æſculapii poſteritate dicuntur. Ariſtoteles Ventriculum quoque comprehendit, lib.* III. *De Partibus Animalium, cap.* IV. *Ἀγγεῖα γὰρ καὶ ἡ φλὲψ, καὶ ἡ κοιλία.* Vaſa ſunt, & vena & ventriculus.

14. ET SIQVID NEGAS] *A libro hîc quoque receſſi, ingenio obſecutus. Erat enim:* Ecce quid negas, arbitror ſuper his reſponſa redhibere. *Non ſatis aptè aut clarè ad ſequelam; niſi priora tria verba interrogationis flammula irradies.*

ERYCI PVTEANI
AD
GVILIEL. CRIPIVM
V. A.

παραμυθητικόν.

CRIPI *virorum maxime,*
Prætexta GELRÆ *quos togæ,*
Canúmque veſtit curiæ
Decus; quid ultrà ſedulum
Exulcerato conficis
Dolore pectus? quid gemis?
Lacrymáſque dulci inſania
Quæris negatas? ſic Deus
Voluit, Deus, caligine
Fuſcare miti annos graves,
Vſúmque lucis nubilâ
Suffuſione condere.
Nec ſortis hanc injuriam
Voces iniquæ, aut impiæ:
Si mente perges utier,
Emancipato corporis
Videre perges lumine.
Nam qui ſapit, Cæcus videt;
Cæcutit is, qui deſipit.

Qui non videt, nec invidet:
Qui non videt, ſecurus eſt,
Diri ſolutus lubricâ
Occaſione criminis.
Videntium miſerrima
Eſt Cacitas, cùm quæ vident,
Ea non vident, aut perperam.
Fallace gens mortalium
Hallucinamur pupulâ:
Mens una cernit, cælico
Imbuta rore luminis;
Mens, aureo æternæ facis
Radio coruſca; Mens, Deum
Quæ cernit, hoc eſt cogitat.

ERYCI

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA XI.

BRVMA:

CHIMONOPAEGNION,

Ad Nobilem Clariſſimumq́; V.
DAVIDEM FLORITIVM
RIQVEBOVRG-TRIGAVLTVM,
Principum AVRAJCI & CONDAEI
Conſiliarium & Medicum.

IN frigore æſtum eſſe, Vir Nobilis & Cariſſime, ipſi vel Scythæ ſciunt: animo calent, cælique injuriam agendo vincunt. Atque ego FLORIBVS nuper tuis, illis inquam CASTIS, ad carmen in caluẽram

lucram, cùm adulta jam Hiemis eſſet; eodémque mox impetu univerſam deſcribere BRVMAM, & CHIMONOPAEGNIO amœnus eſſe conatus ſum. Veris quidem, Æſtatis, Autumníque Encomia à viris olim, ac nuper doctis adornata ſunt: qui ad Gelu Muſas deduceret, prorſúſq; faceret Hiemales, nemo adhuc, quod ſciam, exſtitit. Neglectã igitur partem, & velut repudiatam ſuſcepi, illam quotidianis mortalium querelis diriſq; obnoxiam. Simplici, (& an frigido) poëmatio, non homini gravem eſſe Brumam, ſed hominem Brumæ, adumbrare conatus ſum. Si tamen frigido, excuſa: ſic indicari potuit, quod fortaſſis non ſatis aptè ſcribi. Verumenimverò, ita ſe res habet. Poſtquam liberalitas Sereníſſimi Principis mei ALBERTI, Arcem Lovanienſem, meum eſſe Parnaſſum voluit, è colle tam amœno, & domicilio tam auguſto deſpicere, quicquid cæli rigor peccaret, quivi, ac propemodum ignorare. Itaque dedi tempori, quod loco debebam, BRVMAMque velut benignam celebravi.

bravi. Et cur in Poëtâ reprehendas quod nemo unquam pictori vitio vertit? Hic annum, annique partes promiſcuè imitatur, tantúmque coloribus audet, ut in ipſis tabulis linteiſque, nunc frigus, nunc calorem, nunc mixtam ex his temperiem exprimat. Cùm omnia nive candida ſunt, tamen umbram invenit; cùm vernant omnia, etiam odores pingit; cùm calent omnia, ignem quoque penicillo accendit; plena denique maturitas ſic exhibetur, ut decerpere velis & eſſe, quæ in æmulationem naturæ ingenioſa manus produxit. Inſpice hæc miracula, & negabis quicquam pulchrius Hieme eſſe: nihil ſuavius, quàm in ſterilitate amœnitatem, in ſenio florem, in frigore delicias invenire. Ad hunc fortaſſis modum, cùm aliorum de aliis anni Horis verſus leges, in meis Hiemem amabis. Hiemem, ſed neceſſariam, negotioſam, ſalubrem, utilem, formoſam, lætam, atque Genialem. Quod reliquum eſt, tam hic benignus, Clariſſime FLORITI, eris, quàm doctus,

ingenioſus, facundus es; : & qui optimum ſcribere ſoles carmen, malum excuſabis: qui univerſum nobis annum Muſarum coloribus potes depingere, aliquid in Hieme non limatum feres. Et quidni dicam? familiarem vel ideo quoque Apollinem habes, quia filium ejus Æſculapium tam feliciter colis. Prorſus, magnum te Hygiæ Myſtam eſſe, etiam liberiùs omnes prædicant; quia egregius eſſe Poëta potuiſti: magnum Themidis; quia litterarum peritiam Suadámque tibi vindicare. Hygiæ (nam ſuave eſt repetere,) & ſic Magnis Principibus AVRAICO & CONDAEO, quod optimum eſt in vitâ humanâ, toties reddis: Themidis, & ſic conſiliis quoque tuis Magnorum fortunam temperas; ſed bonis, ſed prudentibus, ſed virtute & doctrinâ tuâ dignis. Vide nunc igitur hanc BRVMAM, & qui nihil in pectore habes frigoris, amoris mei ignem ama. Tanquam non rigeat Hiems, mihi deſcripta eſt: calidam eſſe affectus tuus oſtendet.

VIR-

VIRGILIVS

LIBRO I. GEORGICORVM

Ad Argumentum
CHIMONOPAEGNII
velut præit.

FRigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuáque inter ſe læti convivia curant.
Invitat Genialis Hiems, curáſque reſolvit.
Ceu preſſæ cùm jam portum tetigêre carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.
Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tempus,
Et lauri baccas, oleámque, cruentáque myrta.
Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritóſque ſequi lepores: tum figere damas
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina trudunt.

CHIMONOPÆGNION.

LAnguida, FLORITI, cælo pugnantibus Auſtris
Cedit HIEMS, alióque ferens ſua frigore regna,
Adverſo poſitas quærit ſub cardine gentes,
Et gelidâ regione, Lares, à Sole relictos.
Sponte fugit, noſtris nimiùm laſſata querelis;
Qui triſtem molles, pigram, generiq; ſiniſtram
Dicimus humano; immemores quo munere terram
Exhilaret, plenóque ſinu quæ gaudia fundat.
Hæc mihi dicturo, facilem largire favorem,
Si quid Phœbe potes: ſi duri ſceptra rigoris
Paulliſper pateris, blando exardeſcere verſu
Incipiam; magnúſque tuum FLORITIUS annum
Carmine nobiliore canet. FLORITIUS

TIVS ille,
Ætas quem loquitur præſens, quem ſera loquetur,
Et quotquot venient laudato frigore Brumæ.
Omnis habet, fateor, terras quo torqueat annus,
Humanumq́; genus: nihil omni parte ſerenum eſt.
Denſis Ver pluviis, ſæviſq́; caloribus Æſtas,
Autumnus morbis mundum pallentibus urget.
Quicquid Hiems peccat, minus eſt: incommoda penſat.
Sed Deus æternus, cùm vaſti tempora mundi
Conderet, atque ſuo vellet res ordine volvi,
Solis iter varium, totumq́; æqualibus annum
Exegit ſpatiis; in ſe ut natura rediret
Sæpiùs, útque ſuos repararet Phœbus honores,
Deficiens naſcensq́; ſibi, cælúmque pererrans,

Nunc puer, & vernæ tamen ille ſimul pater auræ,
Nunc juvenis flammâq; potens, nunc luce virili
Maturus, tandémque ſenex, laſſúſque labore
Concedens Hiemi, gelidâ perſtrictus ab aurâ.
Canitiem veneror: niveis formoſa capillis
Tollit Bruma caput, rerum grandæva poteſtas,
Pax anni, unde olim Pacalia feſta Quirini,
Temporis auſpicium felix, eadémque ſenectus;
Quâ, velut emenſo ſpatio, natura quieſcit.
Frigore tunc volucres, lenti tunc frigore ſtertunt
Agri, tunc querulæ ceſſant convicia ranæ;
Deſertiſque Ceres migravit in horrea glebis.
Picta jacet nivibus terra, & ſuſpendit aratrum
Palo ruricola emeritum, tecto & lare gau-

gaudens.
Eſt igitur, dum rura coli concreta recuſant,
Et læta & genialis Hiems, Hiemiſque voluptas:
Vt totum impendat, totum ſibi vindicat annum.
Tunc ſuave aucupium Faunus, ſuavéſque Diana
Suggerit inſidias, & cani prœlia ruris:
Tunc ſapit & piſcis concretâ captus in unda:
Tunc juvat exſtructa dapibus diſcumbere menſa:
Tunc juvat & gelidi ſpumantia pocula Bacchi
Circumferre manu, madidáque caleſcere flammâ.
Nec veteres abeunt. Effuſo Agnalia Circo,
Saturnique dies, & lauta Chariſtia faſtis
Bruma dedit Latiis, fortunatáſque Kalendas.
Eſt læta & genialis Hiems, Hiemiſque voluptas.

Nec tamen ignava eſt: urbemq; ſcholamque fatigat
Frigida ſedulitas : algentis tempore Brumæ
Mens animuſq; vigent, curis melioribus apti,
Et ſtudiis ; facileſque fluunt Permeſſidos undæ.
Mercurius Pallaſque, meæ tutela PALAESTRAE,
Sumunt frigoribus vires, doctique Lycei
Sparſam nobilitant famam. Quid ſingula narro?
Et quid nota ſequor? Requietas colligit artes
Bruma nova, extremum gelido Autumnum pede calcans,
Auræ relliquias calidæ. Tunc pulchra juventus
Vndique concurrit, doctos hauſtura liquores
Muſarum, & Sophiæ; doctos hauſtura liquores
Naturæ, Themidiſq; bonæ. Velut agmine facto,
Sauromatæ veniunt, veniunt Daciq; Scythæ-

Scythæq;:
MENTIS amore BONAE ſuccenſi frigora quærunt,
Queis caleant: veniunt jam culto ex orbe Britanni,
Hiſpani, Auſonii, Galli, Germania multa,
Atque mei veniunt gaudentes Marte Sicambri.
Sed veniunt,noſtraſque petunt in frigore Athenas.
Et veniunt,cùm ſevit hiems,cùm pulpita fervent;
Frigore quæ fervent medio, frigentque calore.
Ergo cùm premit alta domos nix, atque pruinis
Horreſcunt ſilvæ, eximiâ pietate Magiſtri
Grandia præſenti ſubſellia numine ſcandunt,
Gymnaſiiq; litant Genio : pia dogmata Patrum
Virtutéſque frequens juvenúmque virúmque caterva
Excipit. Ipſe Deus loquitur, quid frigora poſſint?

Sed clari Themidos Myſtæ pro more Latinas
Auribus inſtillant leges, queis publica conſtat
Res hominum, queis, lite procul, privata quieſcat.
Agmine tum ſolito Medicus venit unus & alter:
Vnus, & inſignis doctrinâ; inſignis & alter.
Hic ſuo, & ille ſuo Phœbo, ſed fervet uterque,
Nec patitur ſteriles Aſclepi areſcere laurus.
Quin ubi nunc paſſim ſuſpenſo membra theatro
Corporis humani enodat, ferróque perito
Perſequitur ſector venas Chirurgus, & exta
Inſpicit (ars multùm Grudiis optanda cathedris;)
Sola tibi gelidæ capiuntur tempora Brumæ.
Hos fidus ſequitur cæli, terræque, mariſque
Menſor & interpres, qui doctâ voce Mathe-

Matheſin
Explicat, & facilem radio percurrit arenam.
Ad Sophię tandem florentem prœlia pubem
Virgo Minerva vocat: pugnant, frontemque pudicâ
Ornati lauru, ſtudiorum præmia libant.
Sed cùm ferventi mortales Sirius igne
Conficit, atque Ceres maturis languet ariſtis,
Labitur in partes varias jam laſſa juventus;
Limine Gymnaſium clauſo ſilet; omnia frigent.
In mediis etiam nivibus, Brumæque rigore
Sudorem gnavæ inveniunt operæ, calet omnis
Artificum fervetq; domus: quin ſanctior implet
Templa Deûm pietas; ſunt pulvinaria plura:
Major Relligio, faſtis ſollennia Feſta.

Iurgia ſolliciti adde fori : tunc plurimus ardor
Collidit cauſſas, tunc & calidam locat iram
Legicrepus, rabidáque incendit prœlia lite.
Prœlia, ſed damnanda tamen, ſi plena vetuſti
Majeſtas juris vigeat, probitáſque fidéſque;
Vivere ſi paucis, quàm diſceptare velimus
Legibus innumeris, & avaritiæ velut armis.
Sed volumus, veterique novos molimur ab ævo
Mores, & ſolâ gelidi virtute calemus.
Ergo Aſtræa redit; nec jam faſtidit inertes
Et vacuas ſcelerum in terris Hiemes: riget ipſa,
Scitis inconcuſſa ſuis, & pondere juſti.
Sed quia jam gelidos Muſæ calor incutit artus,
Non patiar reliquas Hiemis frigeſcere lau-

laudes.

Corpore quid melius ſano? hoc tibi Bruma ſerena,
Hoc Boreáſque bonum, gelidus largitur & æther.
Defœcata nitet tellus, quia frigida: ſquallet
Illuvie, & fœdam exhalat calfacta mephitin.
Tolle gelu, da Auſtros Hiemi, Boreæque calorem,
Et Iovis Hiberni tepeat violentia; totum
Quot morbi crucient annum? quo Parca furore
Sæviat! heu, denſi pereant juvenéſque ſenéſque,
Nec ſpatioſa ſinu capiat tot funera tellus.
Omnia tabeſcant, rerúmq; elementa recuſent
Naturæ imperium, & fatalem ſidera legem.
Frigore ſtat magnus, ſtat parvus frigore mundus:
Sic viget, & corpus, validæq; in corpore vires.

Quid? vitam dat Bruma homini, dat
Bruma ſalutem.
Iuſpice naturæ reliquum: tenet omnia Bruma.
Sol radiis parcat: ſiccatur frigore
tellus.
Poſt imbres pluviáſque putres purgantur, & omne
Exſudant campi vitium, ceu frigore
aduſti.
Frigore ſtant fluvii: ſed poſtquam induruit unda,
Pervia fit plauſtris, celerem modò
paſſa carinam.
Æterio denſata gelu ſtant culmina
mundi,
Sidereóſque gerunt ignes, glaciemq;
revolvunt.
Arderet cælum, rutilas niſi frigore
flammas,
Ceu freno premeret. Iovis hæc eſt
magna poteſtas.
Iupiter eſt gelidus: læſas tamen igne
medullas
Extinguit Venere, & mox alget. Frigore numen
Servat, proſtituit numen violátque
calore.

calore.
Sic quoties celeri jaculatur fulmina dextra,
Vltrici indulgens iræ, vim frigore ſumit.
Sol quoque tunc propior lucet, licet orbe remotus
Obliquo, inſinuet lentos radios, face terram
Manſueta feriens. Nil jam vicinia lædit.
Libratur geminus glaciali ſidere vertex
Ætherei mundi: fines telluris & undæ
Claudit Hyperboreos concretus frigore Pontus.
Omnibus in rebus Brumam, friguſq; geluque,
Naturæ invenies nexum: ſine frigore cuncta
Diſſiliant, primumq; chaos morientia reddant.
Frigore nos ipſi mortales, frigore vitam
Extrahimus, preſſoque foras emittimus ore

Pectoris

Pectoris impulſum frigus, ſpirante ſuſurro,
Aëris impulſum frigus, ſpirante ſuſurro.
Vulnerat acre gelu, fateor: ſed ligna vetuſta
Diſſolvunt Hiemem, & lucentes igne Penates.
Nil opus eſt cælo; ſpirant penetralia Phœbum,
Et calfacta fovent extorrem hypocauſta teporem
Egelidi veris. membris riguiſſe ſuave eſt,
Vt rurſum caleas: non eſt jucundior æſtas.
An ſterilis Bruma eſt? ſed fœti temporis auram
Inducit. Sterilis? ſed gignit. Frigoris arte
Pulchrum prodigium conſtat: cryſtalla gelantur,
Succineuſq; liquor: flavam dant frigora gemmam.
Eſt glacies gemma; è glacie ſibi mollis adoptat
Luxuries cyathos, nec terrent frigora

Bacchum

Bacchum.
Pulchrior & glacies vitro eſt; vincitque lapillos
Eoos niveo dependens ſtiria tecto.
Ipſe adamas glacies, omníque potentior igne eſt,
Aut glacies adamas: melior, quia frigore mollis,
Sexu, non genio: alter enim mas, altera virgo eſt.
Damna recenſemus Brumæ: quis commoda? nemo.
Pigram dicit iners, triſtem querulus; ſibi quiſque
Quod culpet fingit. Non creſcunt vina? bibuntur.
Non matura tibi Pomona ſub arbore ludit?
Eſtur. Non tibi flava Ceres turgeſcit in arvis?
Horrea condecorat, mundatur, & arte ſubacta
Fit cibus, & lautæ celebratur gloria menſæ.
Non Zephyrus depingit humum? tamen aurea Flora

In

In pictis ludit tabulis, luditque tapetis;
Et vario oſtendit conſperſum ſidere cælum.
Namque polo lucent cæleſtes ſidera flores,
Et vincunt vernos cæleſtia ſidera flores.
Claudit Hiems pelagum? ſed & improba vota coërcet.
Merx aliena deeſt? quid tum? laſcivia ceſſat.
Attamen hibernis Pontum violare carinis,
Grande nefas quondam: ferrum nos duximus ævo
A noſtro duri & chalybem, nullamque timemus
In pelago Brumam, nullos in gurgite fluctus.
Aër quid læſus faciat? ſuperavimus aſtra:
Tempora quid faciant? totum confudimus annum.
Omne jacet magnis ventoſi puppibus æquor
Oceani domitum, & roſtrato ſternitur

tur ære .
Spumea Neptuni rabies; maris otia fœdum
Pellit avaritiæ crimen: mors temnitur ipſa.
Horridus inſurgat Nereus cum gente marina,
Cæruleumque fretum nimboſus turbet Orion;
Ver agimus, fragilemque ratem ſtridentibus undis
Objicimus, tanto nil moti turbine fati.
Infracto minus eſt animo quodcumque timetur.
Vt noſtras alienum Hiemes ducamus in orbem,
Iuſtitium Oceano nullum eſt; nec Bruma quieſcit.
Delicias dicam? blandum dant frigora luxum.
Sol cùm gramineam ferventibus urget habenis
Tellurem, in pretio Bruma eſt, atque ære paratur.
Frigore tum multo inficimus vinúmque dapéſque,

Et

Et querimur nimio langueſcere corpora Phœbo.
Pocula nulla placent; duro niſi cincta rigore
Difficilis; nec non alieno tempore Brumæ,
Perverſo petimus fugitivæ gaduia vitæ
Mortales ſtudio: matris vocéſque vicéſque
Naturæ violare bonas; ſibi ducit honori,
Quiſquis deliciis immerſus agit, miſeróſque
Præcipitat ſine lege dies, ſine mente iuventam.
Bacchus amat gelidas concreto frigore Nymphas,
Nec calet abſque gelu; madidis defoſſa hypogæis
Nix glacieſq; jacet; moritura, in luminis auram
Promitur hoſtilem; & ſtillat: ſic rore liquente
Obſeſſi calices, hilarant convivia: lances
Et patinæ Brumámque ferunt Hiemem-

mêm que miniſtrant.
In vinum glacie ardeſcunt animi, nive flammam
Concipiunt roſeam: multa glaciéque gelúque
Menſatum ridet Genius: ſic frangitur æſtas;
Et dulcis reparatur Hiems, Hiemiſq; voluptas.
Sed quoties ex Arce mea (atque meam meus eſſe
Princeps ille bonus voluit) campoſq; domóſque
Vrbis formoſæ, & purâ gravidos nive colles
Contemplor, glaciéque pigrum cum fratre minore
Vicinoque Furâ Diliam, qui ſtagnat in arva;
Hei mihi, quàm recreor! Sic poſſum Veris amœni
Spernere delicias: non eſt formoſior annus.
Vna placet facies Hiemis, Hiemiſq; voluptas.
Quid nive candidius? tam pulchro ſplendet amictu,

Et laſcivit Hiems: acris; ſed amoribus apta:
Cana quidem; lepidis tamen exoptata puellis.
Quæ niveum formæ pretium, ſpumæq; colorem
Quærunt, & Veneris cupiunt albeſcere vultu.
Nix Venus eſt, divina Venus, ſed frigida cælo;
Quæ caſti tutela tori, tutela pudoris,
Candida conjungit genialis fœdera lecti.
E ſpumâ Venus eſt, Aphrodite, mater amorum.
Aëris & cæli nix ſpuma eſt: frigidus alto
Cùm ningit, madidam deſpumat Iupiter iram.
Deſpumat, glaciemq; poli demittit in almum
Telluris gremium, dulcíque in ſede quieſcit.
An nive quid levius? Sparſi ſunt æthere flocci,
Plumeus éſtque vapor; ſed plumbum pon-

pondere vincit:
Incubat hæc quoties domibus vis, tecta fatiſcunt.
Mollius an quicquam? ſed duri marmoris omne
Ludunt ingenium facili formata labore
E nive ſigna, hominum, Heroúmque deûmq; coloſſi.
Et ceræ ingenium ludunt: nam Sole liqueſcunt.
Omnia frigus habet: calidos ſic ludit amores
Frigore ſepta Venus, Brumámque incendit amore.
Ad dominæ limen riſus lenéſque ſuſurri
Horâ compoſitâ repetuntur; gaudia gliſcunt.
Quos glacies luſus, & quæ ſpectacula donat!
Hos juvat Oebalii jaculari pondera diſci,
E glacie moles: illos propellere Græcum
Orbe trochum. Exercent alios ferulæque, pilæque,

Malleus & teretis plumboſo robore clavæ.
Hi curſu inſolito faciles, ſoleáſque ſecante
Suppacti ferro, per marmoreos pede campos
Pegaſeo volitant: iſtas, jam non-celer, alas,
Talia Atlantiades cupiat talaria, Belgæ
Ingenio cedens, ferrato munera divûm
Aurea concedens ligno. Namque ulmea roſtro
Baxea procurvo erigitur, geminúmque carinâ
Conjungit mediâ latus, & compagine fixi
Libratur ferri. Concretum acies arat æquor
Obliqua; ut vomis glebam, grave robur aratri.
Sed digitos, mediúmque pedem, calcémque recurrens
Conſtringit lorum, plantíſque immobile lignum
Affigit. Pueri paſſim pueræque gelatos

latos.
His fluvios carpunt ſoleis, ferróque vehuntur:
Et rectos cùm poſſe neges conſiſtere membris,
Aut proferre pedem, currunt, glaciémque patentem
Remigio alterno ſuperant, neque crure fatiſcunt.
Non ſic effuſis ſonipes feſtinat habenis,
Atque gradum præceps glomerat, cùm pulvere certat:
Non rapidi citiùs venti, celeréſve ſagittæ,
Aut liquidum volucres diffindunt aëra pennis.
Quid magis oblectet? Curvis pars magna feruntur
Lintribus, & geminâ nitentes cuſpide greſſum
Accelerant. Stimulata ſuo ſic machina ferro
Dirigitur, finditque viam, & veſtigia linquit.
Mirantur Superi, veniunt è rupibus udæ

Et laſcivit Hiems: acris; ſed amoribus apta:
Cana quidem; lepidis tamen exoptata puellis.
Quæ niveum formæ pretium, ſpumæq; colorem
Quærunt, & Veneris cupiunt albeſcere vultu.
Nix Venus eſt, divina Venus, ſed frigida cælo;
Quæ caſti tutela tori, tutela pudoris,
Candida conjungit genialis fœdera lecti.
E ſpumâ Venus eſt, Aphrodite, mater amorum.
Aëris & cæli nix ſpuma eſt: frigidus alto
Cùm ningit, madidam deſpumat Iupiter iram.
Deſpumat, glaciemq; poli demittit in almum
Telluris gremium, dulcique in ſede quieſcit.
An nive quid levius? Sparſi ſunt æthere flocci,
Plumeus éſtque vapor; ſed plumbum

pon-

pondere vincit:
Incubat hæc quoties domibus vis, tecta fatiſcunt.
Mollius an quicquam? ſed duri marmoris omne
Ludunt ingenium facili formata labore
E nive ſigna, hominum, Heroúmque deûmq; coloſſi.
Et ceræ ingenium ludunt: nam Sole liqueſcunt.
Omnia frigus habet: calidos ſic ludit amores
Frigore ſepta Venus, Brumámque incendit amore.
Ad dominæ limen riſus lenéſque ſuſurri
Horâ compoſitâ repetuntur; gaudia gliſcunt.
Quos glacies luſus, & quæ ſpectacula donat!
Hos juvat Oebalii jaculari pondera diſci,
E glacie moles: illos propellere Græcum
Orbe trochum. Exercent alios ferulæque, pilæque,

Et laſcivit Hiems: acris; ſed amoribus apta:
Cana quidem; lepidis tamen exoptata puellis.
Quæ niveum formæ pretium, ſpumæq; colorem
Quærunt, & Veneris cupiunt albeſcere vultu.
Nix Venus eſt, divina Venus, ſed frigida cælo;
Quæ caſti tutela tori, tutela pudoris,
Candida conjungit genialis fœdera lecti.
E ſpumâ Venus eſt, Aphrodite, mater amorum.
Aëris & cæli nix ſpuma eſt: frigidus alto
Cùm ningit, madidam deſpumat Iupiter iram.
Deſpumat, glaciemq; poli demittit in almum
Telluris gremium, dulcique in ſede quieſcit.
An nive quid levius? Sparſi ſunt æthere flocci,
Plumeus eſtque vapor; ſed plumbum pon-

pondere vincit:
Incubat hæc quoties domibus vis, tecta fatiſcunt.
Mollius an quicquam? ſed duri marmoris omne
Ludunt ingenium facili formata labore
E nive ſigna, hominum, Heroúmque deûmq; coloſſi.
Et ceræ ingenium ludunt: nam Sole liqueſcunt.
Omnia frigus habet: calidos ſic ludit amores
Frigore ſepta Venus, Brumámque incendit amore:
Ad dominæ limen riſus lenéſque ſuſurri
Horâ compoſitâ repetuntur; gaudia gliſcunt.
Quos glacies luſus, & quæ ſpectacula donat!
Hos juvat Oebalii jaculari pondera diſci,
E glacie moles: illos propellere Græcum
Orbe trochum. Exercent alios ferulæque, pilæque,

Malleus & teretis plumboſo robore clavæ.
Hi curſu inſolito faciles, ſoleáſque ſecante
Suppacti ferro, per marmoreos pede campos
Pegaſeo volitant: iſtas, jam non-celer, alas,
Talia Atlantiades cupiat talaria, Belgæ
Ingenio cedens, ferrato munera divûm
Aurea concedens ligno. Namque ulmea roſtro
Baxea procurvo erigitur, geminúmque carinâ
Conjungit mediâ latus, & compagine fixi
Libratur ferri. Concretum acies arat æquor
Obliqua; ut vomis glebam, grave robur aratri.
Sed digitos, mediúmque pedem, calcémque recurrens
Conſtringit lorum, plantíſque immobile lignum
Affigit. Pueri paſſim pueræque gelatos

latos
His fluvios carpunt ſoleis, ferróque vehuntur:
Et rectos cùm poſſe neges conſiſtere membris,
Aut proferre pedem, currunt, glaciémque patentem
Remigio alterno ſuperant, neque crure fatiſcunt.
Non ſic effuſis ſonipes feſtinat habenis,
Atque gradum præceps glomerat, cùm pulvere certat:
Non rapidi citiùs venti, celeréſve ſagittæ,
Aut liquidum volucres diffindunt aëra pennis.
Quid magis oblectet? Curvis pars magna feruntur
Lintribus, & geminâ nitentes cuſpide greſſum
Accelerant. Stimulata ſuo ſic machina ferro
Dirigitur, finditque viam, & veſtigia linquit.
Mirantur Superi, veniunt è rupibus udæ

Malleus & teretis plumboſo robore
clavæ.
Hi curſu inſolito faciles, ſoleáſque
ſecante
Suppacti ferro, per marmoreos pede
campos
Pegaſeo volitant: iſtas, jam non-ce-
ler, alas,
Talia Atlantiades cupiat talaria,
Belgæ
Ingenio cedens, ferrato munera di-
vûm
Aurea concedens ligno. Namque ul-
mea roſtro
Buxea procurvo erigitur, geminúm-
que carinâ
Conjungit mediâ latus, & compagi-
ne fixi
Libratur ferri. Concretum acies arat
æquor
Obliqua; ut vomis glebam, grave ro-
bur aratri.
Sed digitos, mediúmque pedem, cal-
cémque recurrens
Conſtringit lorum, plantíſque im-
mobile lignum
Affigit. Pueri paſſim puceræque ge-
latos

latos

His fluvios carpunt ſoleis, ferróque vehuntur:

Et rectos cùm poſſe neges conſiſtere membris,

Aut proferre pedem, currunt, glaciémque patentem

Remigio alterno ſuperant, neque crure fatiſcunt.

Non ſic effuſis ſonipes feſtinat habenis,

Atque gradum præceps glomerat, cùm pulvere certat:

Non rapidi citiùs venti, celeréſve ſagittæ,

Aut liquidum volucres diffindunt aëra pennis.

Quid magis oblectet? Curvis pars magna feruntur

Lintribus, & geminâ nitentes cuſpide greſſum

Accelerant. Stimulata ſuo ſic machina ferro

Dirigitur, findítque viam, & veſtigia linquit.

Mirantur Superi, veniunt è rupibus udæ

Viſum Nereides tanta hæc miracula rerum.
Et timet Oceano (longæ ſi frigora Brumæ
Hunc quoque conglacient) ſalſis Neptunus ab undis.
Sed quia lintre ſcapham pueri juveneſque biremem
Fingunt, & teneros nimiùm labor occupat artus;
Vota alii remis ſociant, cælúmque laceſſunt.
Vt ventis animent curſum, vaga carbaſa tendunt.
Et plauſtro dubites volitent, celerive carinâ;
Terrâ, an aquâ; an ſuſpenſa feratur in aëre pennis
Machina. Quid reliquum eſt? homini mox arte negatâ
Æthereum carpemus iter, cælúmque petemus.
Ludicra ſic Belgæ diviſo prœlia cœtu
Inſtituunt, regéſque creant, pugnantque ſedentes,
Productis pedibus: furor & violentia
in-

in iſtis.
Victor agit,validum curru qui depulit
hoſtem.
Victor agit; ſed quâ pugnavit lintre,
triumphat.
Hi glaciem oppugnant, & duræ vul-
nera cruſtæ
Infligunt, manátque liquor;gelidi un-
da cruoris
Effluit, & ſtagnat. Laticem ſic viſce-
ra clauſi
Gurgitis ejiciunt: ut quondam læſus
equino
Mons pede fudit aquas, Muſis & A-
polline clarus.
Exſiliunt glacie fontes, fonteſque bi-
buntur:
Nam ſitis in glacie eſt, calidúſque in
frigore ſudor.
In glacie eſt Phœbus; naſcuntur fri-
gore verſus:
Inq; meo Phœbo fortaſſis frigida ve-
na eſt.
Frigida, ſed laudanda tamen, ſi Bru-
ma placebit.
Altis è nivibus nonnulli mœnia con-
dunt:

Pro quibus & pugnant: dicas ſine frigore frigus.
Caſtrorum ſpeciem pelles fixæque tabernæ,
Et ſtructi faciunt ignes. Miracula rurſum:
Ignes in glacie? & lucent. Si dicere fas eſt,
In luſum veniunt veteris tentoria belli,
Et Mars ipſe venit; non Mars tamen ille cruentus,
In noſtras Hiemes qui longo ſæviit igne;
Sed lenis, glaciéque rigens, canáque pruina
Hiſpidus, & quem nemo timet; quem ſchemate pugnæ
Vrbibus in totis pueri, miſtæque puellæ
Ludentes referunt. Iocus eſt & frigore fervet.
In globulos coguntq; nivem, jactúque minantur
Vulnera, non faciunt; feriunt, feriuntur, & omnes
Illæſi tandem ſua riſu prœlia ſolvunt.

yunt.
Illæſi, & madidi; non ſanguine, ſed nive multa.
Heroum luſus varios, Hiemiſq; calores
Virgineos addo. Cano cùm incruſtat adulta
Frigore Bruma vias, dominam complexus amator,
Stans trahea, vehit: illa ſedet, rapitur: Venus alma
Terga premit, nivibusque ſuos interſerit ignes,
Virginis incendens animum. miratur & illa,
Agnoſcitq; faces; nec dulci pugnat amori.
Illud ſuave vehi eſt. Pariter ſi rapta fuiſſet
Perſephone, thalamum lethæi ferre tyranni,
Et ſtygias poterat non exhorreſcere flammas.
Omnia quid refero? quid lætæ munera pompæ,
Priſci delicias Circi, diſtincta colore

Agmina? ſunt Albi, Praſini, Rubei, Venetiq;.
Sicanni partes, ſic ipſa exordia mundi
Quatuor, una tenet variatis Bruma figuris:
Luditur & totus tibi mundus, luditur annus.
Attamen hic quoque pompa viget, pretioſa voluptas.
Fictus mentitur trahea Lyciamque Chimæram
Bellerophon, Sphingemq; novam, formoſa ferarum
Monſtra: ferit glaciem niveis hîc Pegaſus alis.
Deſino, jam nimia eſt, nec duratura voluptas.
Deſino, Bruma fugit: tepidis nix ſolvitur Auſtris,
Solvitur omne gelu. Quis cælo pugnet iniquo?
Vim parat infeſtis vector Nepheleïdos Helles
Cornibus: & Taurus, valida qui fronte minatur.
Vim parat & Zephyrus, Boreæ molliſſimus

iſſimus hoſtis;
Agmina ſed numeroſa trahens, denſáſque phalanges
Veſparum & culicum. Leviore proboſcide Muſcæ
Auſpicium belli faciunt, gens ſanguine caſſa;
Sanguinis at ſitiens, nullis arcenda flagellis.
Bruma fuge: aſt ubi languidior converterit annum
Hora novum, tum Bruma redi, tua ſceptra capeſſe:
Noſtra tibi regio, noſter tibi ſerviet axis.

ERYCI PVTEANI
FLORES CASTI:
EPITHALAMIVM
RIQVEBOVRG-TRIGAVLTIANVM
DAVIDIS FLORITII,
ET
IOANNÆ FLORENTIÆ,
Viri Nobilis Clariſſimique,
Virginis Lectiſſimæ.

Eræ hiemis rigorem vici, Nobilis Clariſſiméque Vir, ut tuo ſaltem Hymenæo Poëta eſſem: ſparſi flores, quos legeres, imò quos calcares. Cùm Virgo mulier fit, aliquis etiam flos perit; ſed quem in tua Sponſa ſemper tu invenias; & ſemper ipſe ſpargas. Tu FLORENTIAM, *illa te* FLORITIVM *habet. Vterque quam faciet ſtirpem, adfert; quem ſparget florem, carpit. Sed* CARMEN *meum, quia veſtro veſtitum eſt Vere, fortaſſis non flacceſcet: ut elegantia deſit, Florido utriuſque nomine pulchrum erit. Salve.*

FLORA

Flora veni, ſed caſta veni, quam mitior annus,
Frigore quam pulſo tepidi vehit aura Favoni;
Dexter tu quoque Phœbe veni, tua munera junge:
In thalamum tranſit Floriti virgo Trigaulta,
Formoſas inter virgo caſtiſſima Nymphas;
Et toto roſeum vultu veſtita pudorem,
Explicat occultos, queis ſuſpiraverit, ignes.
Ac niſi Flora venis, facilem niſi Phœbe furorem
Suggeris; ipſe dabit teneros cum virgine verſus,
Et faciet pulcher vernum Floritius annum.
Virgo feret flores, & ſponſus fiet Apollo:
Virgo dabit verſus, & flores ſparget Apollo.
Ergo tu mihi ſponſe veni cum virgine ſponſa:
Sponſe veni, & tu ſponſa veni, con-

jun-

jungite vota,
Carpite virgineum, pudor abſit, carpite florem.
Hanc ego de veſtris violis contexo corollam
Vobis, purpureáſque roſas, & lilia ſpargo:
Sed tibi virgo roſas, tibi candida lilia ſponſe;
Et tibi ſponſe roſas, tibi candida lilia virgo.
Conveniunt etiam confuſo Vere colores:
Vt nubem Phœbus, niveum lac purpura tingit,
Atque lapis Parius fulvo blanditur in auro,
Luminibusq; placet. rerum mixtura venuſta eſt.
Sponſe veni, & tu ſponſa veni, conjungite vota,
Carpite delicias fugientis molliter ævi,
Carpite virgineum, pudor abſit, carpite florem.
Quæ mora? ſponſe veni: lætam pia fœdera noctem,

Nox reliquos ſine nube dies, ſine lite ſerenos,
Et curis vacuos ducet feliciter annos.
Nomina junxit Amor, RIQVEBOVRG-de ſtirpe TRIGAVLTA:
Vivite: perpetuum ſociabunt aſtra cubile.
Aude, ſponſa tua eſt, FLORITI: audebit & ipſa;
Atque voluptatem quæret fugiens, fugiétque
Quærens: ſcit neſcit genialis præmia lecti.
Mixta dabunt animos mellitis oſcula verbis,
Et licitæ in Venerem venient vires, Amor addet
Caſtos pectoribus caſtis ſtimulóſque facéſque,
Et vincent timidum riſusque jocuſq; pudorem.
Aude, ſponſa tua eſt, FLORITI: audebit & ipſa;
Pugnabit Veneri, ſed non pugnabit Amori;
Et cedet Veneri, quæ nudo ceſſit Amori

Amori.

O felix nimiùm, felix ô virgo TRICAULTA,
Divinum complexa virum! complexa maritum,
Quem nudæ cupiant Charites, quem caſta Diana,
Theſſala quem cupiat, damnato cortice, Daphne,
Quem cupiátque Venus. Nimiùm ſed tu quoque felix
FLORITI! nimiùm, tali nunc conjuge, vultu
Quæ comptam Venerem, quæ caſta mente Dianam,
Ingenio Daphnen ſuperat, Charitéſque lepôre.
Tali digna fuit, tali pia virgo marito;
Et tali dignus (faveamus) virgine ſponſus.
Te volo FLORITI, totum nec dicere poſſum:
Cedunt parva tuis, cedùnt mea carmina rebus.
Qui vigor ingenii! quæ vis, quæ pondera linguæ!

Quod

Quod fluit ore decus! Docto perfuſa ſapore
Vox animum loquitur, magnæ miracula mentis.
Sed majora facis. Vireſque arteſque medendi
Mirandas ſtupeo, & facili tua pharmaca ſucco,
Queis triſtes inhibes morbos, queis cruda refigis
Audax fata deûm, & maturos Principis annos,
PRINCIPIS AVRAICI inſtauras, tua numina ſervans.
O mihi de Patriis ſi tu quoque ſancta cathedris
Verba ſenis præeas Coi! quæ lumina ſæclo
Dones! ô quanto jactet ſe flore juventus!
Non ego te totum, FLORITI dicere poſſum:
Et ſimul hoc fateor: non te FLORENTIA poſſum:
Cedunt parva tuæ, cedunt mea carmina formæ.
Quis nitidos oculos? quis amœnæ

frontis honorem,
Purpureáſque genas, os pulchrum, & pulchrius ore
Pectus depingat? nihil hîc mea carmina poſſunt.
Flora veni, & tu Phœbe veni, contexite laudes.
Flora veni, nec virgo veni. nam deſinet eſſe,
Quæ nubit, virgo; faciet, facietque, quod omnis
Iam natura facit; faciet, quod caſta voluptas
Læto concedit thalamo, quod mitior annus
Suadet. Sponſe veni, propera, decet eſſe maritum.
Et tu ſponſa veni, propera; blandire marito.
Te quoque jam matrem, matrem te jam decet eſſe.
Nonne vides, ut verna ſinum venientibus Auſtris
Det tellus? reparétque novo connubia rore?
Hoc age, ſponſa veni: ſunt hæc Floralia caſta.

Spon-

Sponſe veni & tu ſponſa veni, conjungite vota,
Et ſparſam dulci Floram violare palæſtra
Auſi, fœcundo thalami inſudate labori,
Et date longævam generoſo ſanguine prolem:
Prolem, quæ patriſq; boni, matriſq; venuſtæ
Mores & genium referat, quæ laude perenni
In longa extendat victurum ſæcula nomen.

FAC MAGNE REX DEVS.

AD

Ampliſſ. Clariſſimumq; V.
ERYCIVM PVTEANVM,
Principibus Belgarum à Conſiliis,
HISTORIOGRAPHVM REGIVM, &c.
FLORES CASTOS ſcribentem.

QVI gemino texis PVTEANE *ex flore corollam,*
FLORVS *es, & ſerto dignus odorifero.*
Qui geminos flores in metri fœdera cogis,
PHOEBVS *es, & lauru dignus Apollineâ.*
Sic Florus, ſic Phœbus ades: ſic te tua Pallas
Victuro ſeris carmine dicet avis.
Sed vos, ô niveo frondentia pectora flore,
Vivite: quas fertis, carpite floris opes.
Vivite, ſed longâ ventura in ſecula ſtirpem
Tendite: quas legitis, ſpargite floris opes.

IO. CHRISTOPH. FLAVIVS,
Typographus.

ERYCI PVTEANI

AMOENITATVM HVMANARVM DIATRIBA XII.

STRICTVRÆ IN IS. CASAVBONVM.

Ad Ampliſſimum V. REMACLVM ROBERTIVM, *Annonæ Militaris per Belgium Curatorem Regium, &c.*

BENE de ingeniis ſentire, Vir Ampliſſime, & honeſta laude eruditionem proſequi; Candoris lex eſt: nemo tamen tam præpoſtero judicio benignus fuit, ut vitia doctrinæ indulſerit, & propitio famæ calculo dignatus ſit, quicquid

mis, doctiſſimis, modeſtiſſimiſque injurioſus & infeſtus. Nam ut graviſſimè DVCÆVM læderet, Symmyſtas ejus omnes vulneravit; & ad Amicum ſcripſit, ut tutiùs noceret. Sed quid hoc aliud, per Deum immortalem, quàm unius modeſtia & bonitate abuti, ut nemo non laceretur? lacerare omnes, ut pœnam effugias? Solus enim ſi hanc cauſſam diſputet, qui amico nomine compellatur; leniori vindicta oppugnantis audacia vapulet. & quia mitiſſimum DVCÆI ingenium nôrat CASAVBONVS, amicam adverſarii vim excipere ſine ſtigmate poterat. Quis autem probus ingenuúſque, quis doctus & prudens, quis Catholicus & pius Epiſtolam eam perlegat, nec offendatur? amet DVCÆVM, nec traductum judicet? Siccine CASAVBONVM ſcribere! &, quod gravius, edere! Hactenus induſtria in Grecis Latiniſque Scriptoribus recenſendis utilis fuit; aliena protulit, & illuſtravit: quia ad ingenium venit, & ſeipſum ſtilo oſtendit, malignitatem expreſſit. De ſuo magnus

eſſe non potuit, niſi ut perverſus eſſet; nec à FRONTONE diſcedere, niſi ut amicitiam deſtrueret. Non verò prodidit hucuſque vulnus ſuum, qui læſus eſt; ut poſt injuriam quoque acceptam benignus eſſet. Deinde non potuit honeſtiùs adverſarium vincere, quàm ut aut tardè vindictam ſumeret, aut prorſus omitteret. Et fortaſſis ipſo quoque ſilentio CASAVBONVS cruciabatur: contemptus eſt. Sic faciliùs lædere potuit, quàm offendere virum, à Candore ipſo & Virtute factum. Et tamen placebat neſcio quibus hominibus hæc Epiſtola; vel ideo, quia à tali Auctore. imò verò tanquam adverſarios ſolum nomen vinceret, ſuccubuiſſe credebantur. Sed profectò præter nomen nihil fuit quod terreret: atque avium ſimiles exſtitere, qui ſic territi. Illæ enim ùt inanis fundæ ſono percelli ſolent: ita hi non glandis ictum, ſed lori crepitum exhorruerunt. Talibus armis Balearis noſter inſtructus, ne plumbum quidem torſit: fecit ipſe quod telum

ſolet;

ſolet, excanduit. Orator verò fuit, ingenium & ſimul cauſam cruciavit: copioſus fuit, ut nihil diceret; & acerbus, ut affectum indicaret. Quaſi tutiſſimam audaciam loquentia faceret, ſatis habuit, repetito conviciorum ſtrepitu ſcriptionem extendere: & hoc omnino perſuadere multis conatus eſt, ſeriam diſſertationem longo ſermone conſtrui; longum ſermonem eſſe, qui quodcumque contineret ac repeteret. Ergò piſtillum, quod dicitur, circumvolvit; & vano tantùm terrore veſtivit imbecillitatem, cùm nec adverſariis par eſſet, nec argumento ſufficeret. Quia de POTESTATE PONTIFICIS agit, in Societatem inſurgit: quia hæc pro Eccleſia depugnat, Regeſq; Dei Vicario minores facit, turbarum, proditionum, cædium, parricidiorum accuſatur. Ipſa jam ſanctiſſima Religionis auctoritas vapulat, tanquam ſcelerum myſteriis ſæva, tyrannica, cruenta. Sed quid eſt? omnis impietas impudentiam habeat: & quia in Litteris nuper ſibi viſus hic Scriptor Dictatu-

Eee 5 ram

ram gerere, impune putavit, quicquid in ſummis ac divinis delinqueret. Itaque ſtilum ego ſumpſi, aliquid temporis cauſæ publicæ impendi; ut Chriſtianum affectum meum promerem, morémque Viris maximis gererem, STRICTVRAS in aberrantem miſi: ubi præcipuè aut malignus ille, aut ineptus fuit, oſtendi. Nunc verò, ut adverſarium me conſtitui ſcribendo; ita diſſimilem quoque præſtare volui. Vnum ille allocutus eſt, tanquam amicum; ut quid in amicum auſus, omnes legerent: ſed cùm omnes ego alloquar, tanquam judices; unius patrocinio ſtare potiſſimùm debui, qui incorrupta prudentiæ voce publicum velut ſuffragium formaturus, facilè omnibus perſuadere poſſet, pro Eccleſia & Pontifice neminem importunè loqui. Tu igitur unus ille es, è magno magnorum mihi virorum numero ſelectus: ea pietate & animo, ut ames optima, ſanctiſſima, veriſſima; ea prudentia & ingenio, ut intelligas. vel ideo rebus meis ſtudiiſq; peculiari quodam affe-

ctu

ctu fautor & amicus, quia præter Literas quoque (ſi licet dicere) in PVTEANO tuo, inveniſti, quod amares & extolleres. Atque hanc ego præcipuam ſemper doctrinæ partem, exiſtimavi, ad honeſtatem modeſtiámque Chriſtianam mores vitámque componere; non ſcire tantùm pulchra, ſed facere; Deo & Veritati dare calamum, linguam, mentem; imò, ut hoc obiter addam, tibi Optimo, Humaniſſimo, Prudentiſſimo placere. Hîc certè conatus ſum, pulcherrima occaſione, & ut imagine priſcæ hiſtoriæ conſilium aperiam, tanquam in vaſtum corpore Gallum Manlius pugnare auſus ſum, quia hactenus nemo prodibat. Equidem laſcivientem contumeliam Terrigenæ hujus, & linguæ petulantia ſævi, diutius ſpectare non potui. Prodii igitur, & ita Manlium expreſſi tamen, ut aliter pugnarem. Ille namque, vt cum Quadrigario dicam, *non paſſus virtutem Romanam à Gallo turpiter ſpoliari, ſcuto pedeſtri, & gladio Hiſpanico cinctus, contra hoſtem conſtitit, ſcutum ſcuto percuſſit,*

atque

atq;ſtatum Galli conturbavit: eo pacto ei ſub Gallicum gladium ſucceſſit, atque Hiſpanico pectus hauſit; ego mero Religionis igni excitatus, & velut incẽſus, Strictvras in hoſtẽ miſi, nudam molem, armorumq́; fucum deprehendi & exuiſſi. Totum jam Casavbonvm alius me fortior aut præſtantior invadet, conficiet; imò ſpoliabit, nomen fortaſſis Torquati ſumpturus. Nimirum plures hîc Romani ſunt: & qui ſic ſcribit, omnes provocat. Hæc Epiſtola, laceſſentis Galli vox fuit: Si qvis secvm depvgnare vellet, vti prodiret. & ſubſannatio alibi addita, ſed imprudenter atque infeliciter, terrorem effeminavit. Itaque hæc mea duntaxat velitatio fuit: oſtendi proſterni hoſtem poſſe, quem ſic vici: imò qui ferox præſultavit hoſtium ſignis, ut occumberet. Quid ſi dicam, occubuiſſe, priuſquam procederet? Quem oppugnavit, priùs victorem fecit: quantum ſcripſit, in ſpolia Apologiſtæ conceſſit. Hoc pulchrum eſt, confutari ab eo, quem protervâ cenſurâ vexas. In hoſtem,

ſed

ſed ſimul in telum irruit; tam fortis,ut citiùs caderet quàm dimicaret. Argumentum repeto: *De Reſponſione adverſus Anticotonum communi Ieſuitarum nomine editâ diſſeruit:* ſed rejectus ab eo, in quem diſſeruit. Confer Apologiam cum Epiſtolâ,id eſt, flammam cum fumo,lumen cum umbra. Eliſæ ac pulſæ ſemel criminationes, nova in ſcenam perſona productæ fuêre. Hoc egit CASAVBONVS, quod ANTICOTONVS egerat; ſed ut audaciore ſchemate percelleret, latére noluit;ut extrema tentaret,prodigus famæ ſuæ fuit. Iterum igitur, Epiſtolam cum Apologiâ confer,& ſerio, id eſt ſolito examine tuo utramque expende. Tu ille es,cui verum placet;ille

---dignoſcere cautus,
Quid ſolidũ crepet,& pictæ tectoria linguæ:

ille, de quo verè poſſum dicere, VIR EST; deprehendes profectò, talem Apologiam eſſe, qualem accuratiſſimi judicii, candidiſſimæque mentis FRONTO DVCÆVS eam cenſuit talem Epiſtolam, quæ non STRICTVRIS tantùm configatur, ſed flamma

&

& fulmine pereat, vindicta hominum atque Dei. Quia homines lædit, ſeditioſa eſt; quia Deum, impia: culpa culpæ jungitur, pœnámque extendit. Amplius tamen peccare Auctor potuit; ſcribere fortaſſe auſus non fuit: imò ne repentè turpiſſimus videretur, petulantiæ cohibuit impetum, & ſuſpenſo adhuc gradu ivit: in omnem ſcribendi licentiam, obſtaculum niſi perpetuum inveniat, erupturus. Vale Vir Ampliſſime, & amari humanitatem, coli à me virtutes tuas ama, quibus Belgarum tibi animos devinxiſti.

SCOPVS AVCTORIS.

HOC *te rogo*, LECTOR, *ut, dum Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem* IACOBVM *veneror, reprehendi* ISAACVM CASAVBONVM *patiaris: & ab eo, qui Litteras virtuti & veritati mavult, quàm ambitioni conſecrare.* CASAVBONVM, *inquam, virum Clariſſimum; ſed non extra omnem ingenii aleam*

aleam poſitum, pòſtquam Philologiæ limites ſprevit. Tantus enim ille non eſt, ut ſi quid ſcribendo peccet, extra cenſuram ſit: ſi noceat, extra notam. nec tantulus ego, ut loqui metuam, ſiquid non ſine publica calumnia proferatur. Omnium hoſtis eſt, quiſquis urbi incendium molitur; imò quiſquis vim Principi inſidiáſque parat: & à quocumq; repelli poteſt. Ecce CASAVBONVS *molitur,* CASAVBONVS *parat: incendium Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ, & quod mireris, è medio mari: vim & inſidias Sacrorum Principi, Pontifici inquam Maximo, dum Principes ſcilicet propugnat. Quia urbem nominavi, & Eccleſiam expreſſi; tu me hic civem* LECTOR *puta, Chriſtianus ſum: quia Principem dixi, & Pontificem explicui; tu me militem puta, Catholicus ſum; etſi non Prætoriæ, quod dici ſolet, cohortis: laxiori ſacramento utor. Hominem igitur è Litterarum caſtris profugum, & jam ſtilo damnoſum,* STRICTVRIS, *velut telis, petii. Ingenium objeci, calamum acui, cùm fortaſſis impunitatem ſibi adverſarius promitteret. Redeat ad Litteras, & magnum etiam habebo; ad modeſtiã, & venera-*

rabor. Sed hic jam quantum vides, ſcribi citiùs potuit, celeriùs non potuit. Quia ſuperiori demum menſe manum operæ huic admovi, feſtinandum fuit: & admovi demum; quia & ſerò Epiſtolam vidi; & FRONTONEM ipſum, aut alium, hac militia clarum exſpectare cœpi, qui hoſtem conficeret. Ergo ne longiores ferocia ferias induciáſque haberet, amœnam indulſi ſeveritatem animo, & hoſtilem impetum enervavi. Vt breviter dicam: pro Religione, Pōtifice, Societate IESV *ſteti. Triplicem enim cauſam & ſic laborem una calliditas diſtinguit: & militiæ exemplo malitiæ conſilia adverſarii circumducunt; faciliùs Religionem deſtructuri, ſi Pontificem proſternant; & de hoc triumphaturi glorioſiùs, ſi Societas debelletur. Quid verò potiſſimùm configam, ſcripturæ diſtinctio indicat. Examina igitur, & ut magis Epiſtolam* CASAVBONI *damnes, totam vide: inter Apologiam & has* STRICTVRAS *dices evaneſcere.*

ERYCI

ISAACVM CASAVBONVM, Virum, ſi Litteras ſpectemus, magnum; ſi vitam moréſque, non malum, quid nunc tandem mutaverit, à quiete ad turbas, à Muſis ad prœlia, à modeſtia ad furorem deduxerit, ſuſpicari malo, quàm dicere. Laudabit conſilium, quiſquis ferre fortunam ſuam non poteſt: alius morbum animi credet non ſedati. Lugete viles jam Litteræ; ſcribere vobis hic alumnus deſiit: & quantum mutatus!

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς.

Vilibus eſt prudens pannis exutus Vlyſſes.
Sed quid eſt? ut maximus eſſet, è ſolio decidit; ut nihil ageret, occupari in ſummis voluit; ut mirari jam ceſſemus virum, in PONTIFICEM ſurrexit, multorúmque vindicandam manibus veritatem pupugit. Omnes, omnes hîc vapulant, quibus priſca & erudita Pietas hoſtes conciliavit. Nequis injuriæ exemptus eſſet, læditur ille ipſe, ad quem velut Iudicem itur: læſit qui blandus eſt, & amicum ſibi e-

legit, quem poſſet offendere. adeóne familiariter? Sed profectò hæc ſi libertas Amicitiæ legibus conceſſa, periit: & prorumpere ad injuriam calamus poterit, quoties conjunctiſſimus Vir aliquis, Clariſſimúſque compellatur: ab ISAACO CASAVBONO FRONTO DVCÆVS, à Philologo Theologus, à profano ſacerdos; &, ſi ultrà comparetur, à deteriori maximo intervallo præſtantior. Reliquum eſt, ut aut non fuiſſe amicum DVCÆI CASAVBONVM dicamus, cùm eſſet; aut ſi eſſe non deſierit, ab homine ingenuo & probo hujuſmodi ſcribendi modum alienum eſſe. Itáne è Gallia in Britanniam navigari non poteſt, niſi ut candor fidéſque deſerantur? Enimverò amavit hic homo, ut odiſſe poſſet, quem cœperat fallere: Litteráſque didicit, quibus abuteretur. Si rectè examinamus,

Alterâ manu fert lapidem, panem oſtentat alterâ.

EPISTOLAM ſcribit, ad DVCÆVM mittit: non amicam, ad Amicum. Titulum

tulum inſpice, panem oſtentat: argumentum ſcrutare, lapides occultantur. In Deum, in Eccleſiam, denique in Societatem univerſam qui iniquus & contumelioſus eſt, non eſſe in DVCÆVM non poteſt. Magni corporis hoc quoque membrum eſt: quamcumque plagam Societati Epiſtolographus infert, DVCÆVS ſentit; aut ſi hoc agitur, ut diviſum à reliquis ſenſu & animo credamus, optimi & innocentiſsimi viri fama maiori vulnere deformatur.

Sed quanti hanc Diſſertationem facere debeant, qui non legerunt, vel qui titulo contenti, pulchrum & ſupra cenſuram omnem habuere, quicquid CASAVBONVS exararet; ipſe fatetur: INVITVS, ſeu COACTVS edidit, contra animi ſui ſententiam egit, id eſt damnavit quicquid ſcripſit. Non potui ſanè mirari ſatis, cùm id in litteris ejus legerem; & tanquam in excuſationem promptum, in litteris; quæ ad ipſum quoque FRONTONEM miſſæ, ſervilem eorum conditionem repræſentant, *qui apud Reges vi-*

vivunt, καὶ γὰρ ἐλεύθεροι μόλοισι, δοῦλοι γίνονται. Ergo in Britannia libertatem CASAVBONVS amiſit? miſer eſt, ubi felix eſſe debuit? ecce Principem jam ſuum accuſat ac traducit: coactum ſe cõqueritur. Id, inquit, *ſi affirmanti mihi credere non vis, candorem meum utique non nôſti.* Nos credimus, & candorem nihilominus tuum deſideramus; cùm edi paſſus, quæ ne ſcribi quidem debuerunt. Si tamen *non tua voluntate, ſed alieno iuſſu* (lubet enim verba tua ſequi) quid niſi ſtramentum exſpectamus? Limpida & perennia omnia natura ſuua fluunt. Turba & concute dolium; quicquid promes, fæculentum erit: coge animum, infelix ſermo etiam ſub fuco morbum indicat. *Malè reſpondent*, ut ille ait, *coacta ingenia.* Et quid verbis opus? ad Scriptum provoco. expendant docti, prudentes, ſedati; & nomine, & ingenio, & modeſtia dicent Auctoris indignum. Bone Deus! quis crederet tam imprudenter, tam malignè, tam turbidè ſcribere CASAVBONVM potuiſſe, niſi fœtum ille ſuum, aut potiùs

Ca-

Calumniæ abortum agnoſceret? Sibi & famæ ſuę injurius, quantam inurere notam Eccleſiæ & Societati invitus ſtuduit, ſcribendo accepit. Cùm ignem accenderet, & flammas adornaret, in fumo conatus hæſit. Nam profectò caligare debuit, qui, ut maximè iniquus eſſet, invitus prodiit. Invitus, & ſic infelix. Ad malam cauſſam hoc quoque acceſſit: perperam egit. cùm pugnam capeſſeret, adverſarios non expendit; cùm arma tractaret, miles nondum erat. Vt omnino dicam, Aries emiſſus in torquentem rediit, & Auctorem vulneravit: qui ſpicula vibrabat, verba dedit; ut maximè læderet, pulverem excitavit; ut Pontificem obrueret, convicia ſparſit.

O Reges, plus jam quàm parricida fecit, qui ſic ſervarę voluit: induxit ſcelera, ut pericula tolleret. Si rectè calculum ponitis, deſtruit potentiam veſtram, qui ſic aſſerit: & ad turbandam Galliæ inprimis ac deinceps Europæ pacem hæc amentia tendit, aut ut leniori vocabulo efferam, ſtili inge-

niſque immodeſtia.

Vos quoque quotquot eſtis, ô cordati, & Chriſtianæ quietis ſtudioſi, vos inquam appello, ad veſtrum tribunal quæcumque dicam, defero, ut judicetis. Videte quę CASAVBONVS ſcribere ſuſtinuit, ut invitus ederet: conferte quæ ego opponere, ut turbulentum coërcerem: venena & pharmacum, maculas & ſpongiam, caliginem & STRICTVRAS. plus accuſabitis hominem, qui invitus ad malitiam venit; quàm laudaſtis hactenus, qui modeſtus fuit, quamdiu peccare præmio non potuit.

TECVM igitur nunc ago, CASAVBONE, & quā dediſti omnibus Epiſtolam, verbis conviciiſque lacinioſam, obiter PERSTRINGO. In anteceſſum verò, ne tuus, quid peccares, FRONTO neſciret, culpam deprecaris. Et quæ excuſationis ſumma? *Pernitioſum Dogma* (DE POTESTATE PONTIFICIS,) *& exitiabilis doctrinæ Auctores acrius fortaſsis aliquid dicere coëgerunt.* Quid dixeris hîc quoque oſtendis, cùm excuſas. Sed ô lenem

hanc

hanc acrimoniam, & ſalem merum è vicino mari hauſtum! Dicis ea quæ ſine horrore non legimus, & verborum impietatem audaciſſimo veneno imbuis. Omnino ita eſt.

Malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Vulnera infligis, innocentiſſimos paſſim viros diſſimulata rabie diſtrahis, denique ut Regibus parcas, in Eccleſiæ tamen Magnatibus purpuram laceras.

Iam qua inclementia ac pænè feritate in Apologiſtam incurris! Felle, non aceto tibi pectus acre eſt: quod hauſiſti, reddis. Sed Veritatis negotium tractari virtutis ſermone debet: is rectus eſt, & innoxia libertate ſe inſinuat, cum aculeo blandus, cum ſeveritate amabilis: uno dicam verbo, γλυκυπικρίαν habet. Tu quid? De iis, *quæ ad Principum jura, dignationem, ſecuritatem, ſalutem denique & vitam pertinent*, loqueris: an ut acer? imò ut malignus & amarulentus ſis, & committere planè poſſis quod negas. Credemus igitur, quod ais, *ſimplici te animo*

ſorum ac dominationem alienæ potentiæ amplificandæ ſtudio, multimodis, quoties ſe daret occaſio, ſcriptis, factis, irent imminutum. Aberras à ſcopo, & jam acer eſſe incipis. Sed revera, prodis hîc ingenium; & nequis deinceps neſciret, quod pondus cauſſa haberet, quam ut deſtrueres, videris propugnare, à Calumnia ordiris. Itaque nõ *in errore* DVCÆVS, cui Apologia placuit: ſed tu in morbo, qui negas, *aut ulli Principi, aut cuiquam omnino placere eam ſic ſcriptam poſſe, qui Principi ſuo & dignitati, ſecuritatique ipſius optet eſſe conſultum.* DVCÆVS optat, nos optamus: librum tamen rejicere non poſſumus, niſi à recto judicio recedamus; nec veritati litare, niſi nefandas calumnias, non ſine horrendo ſcelere in Societatem IESV ab Anonymo contortas, deteſtemur.

Nunc quod de te ipſe faſſus, amico impingis: Cùm Apologiam laudaret, *non tam judicium ſuum ſecutum, quàm alienæ voluntati obſecutum.* Imò & judicium ſuum ſecutus eſt, & alienæ tamen voluntati obſecutus: à Sym-

myſtis ſuis non diſſentit: imò ſic non errat, quia non diſſentit. Vides igitur, quo fructu ſimilem tui DVCÆVM facias; ut ſervum dicas, ut candidum probúmque neges. Et laudas tamen, tanquam *publicæ tranquillitatis ſtudioſum*, *ſubditum* φιλοβασιλέα. quo fine? ut & virtutem, & modeſtiam, & pietatem lædas. quaſi dicam, & mirum dicam: ut offendas, quem diligis. Planè per amici pectus hoſtem Societatem pėtis.

Quid præterea? hac occaſione, *in Controverſias* ſcilicet *ante pauca ſecula natas, noſtro hoc acerrimè agitatas, quæ ad jura Principum pertinent*, incurris. Breviter: ut exulceres. *Exitiabilis* (formula hæc tua ſolennis) *doctrinæ auctores defenſoréſque* arietas: & licet? bonæ doctrinæ infeſtus. Sic verò ut opinionis petulantia ſcutum inveniat, ad Sereniſſimi Potentiſſimíque magnæ Britanniæ Regis nomen confugis; tantò confidentior, quantò faciliùs ille tutiſſima religioſæ potentiæ conſilia amplecteretur, niſi tu quoque obſtares. Sed move, quantum potes,

ſedi-

ſeditioſum calamum, bellum ſummo Pontifici infer; nos tamen, quem liberaliſſimum eruditionis tuæ Mæcenatem nactus es, ſtilo venerabimur; ejus Virtutem, Doctrinam, Majeſtatem *omni maximarum exquiſitiſſimarúmque laudum genere*, quibus digniſſimum ſcribis, extollemus. Rex eſt, & hoc ſatis eſſe poterat: ὁ βασιλεὺς ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων. Divinæ accedunt dotes animi ingeniíque: noſtrum, putamus quoque, qui ſic eminet; & non jam hominem in homine ſuſpicimus. Ergo quia Rex quicumque διοτρεφής; Chriſtianum quemcunq; φιλοβασιλέα facimus: quia Magnus IACOBVS poſſidet quoque quod pauci Reges; tribuimus, quod ſingularis ille diadematis ſplendor purpuræque dignitas merentur. Atque hunc affectum Catholici ſumunt; illi, qui ſummi PONTIFICIS poteſtatem ſacroſanctam habent; illi, qui Societati IESV favent & addicti ſunt; illi, qui Apologeticum adverſus Anticotonum toto CASAVBONO majorem cenſent. Societas ipſa (tollite calumnias & criminatio-

nes

nes tandem, ô exulceratæ mentes) Reges Dominóſque terrarum amat atque veneratur. annon audacter efferam? quicquid facit impetrat; reddunt Reges, quicquid accipiunt Reges, ſed Catholici, ſed Eccleſiæ veræ veri filii, qui ſe Pontifice minores gerunt, ſic maximi. Non recenſeo. Suſpice cælum; in oculos, ut ſumma ſunt aſtra, ſtatim incurrunt: luſtra terram; eminere ac florere videbis regna, in quibus aliquam partem Societas facit; imperio tamen ſubdita, & prompta ubique pro incolumitate ſuorum ſtare, excubare, imò perire Principum.

Quid igitur? ut omnia ego Magnæ Britanniæ Regi Feliciſſimo, Sapientiſſimo, Clementiſſimo tribuam; nihil certè Majeſtati ejus detracturus ſum, ſi pro Religione, pro Societate, pro Concordia publica loquar; nihil in cauſſa peccaturus, ſi à CASAVBONI temeraria cenſura multorum innocentiam vindicem. Concedet hanc ingenio meo libertatem, qui, ut in maxima fortuna Doctiſſimus eſſet, ſuum excoluit: cùm veri-

tatis

tatis audiet patrocinium, magis magiſq; nominis ſui gloriam propagabit.

Feliciſſimum dixi; ſed quia verè potui: diviſa hactenus regna & ſceptra admirabili Dei beneficio copulavit, & nunc circumfuſum undique Oceanum, velut alter Neptunus novo Tridente temperat.

Sapientiſſimum verò; & verè iterum: oſtendit enim, bene cum populis rebúſque publicis agi, ſi Reges ipſi, Platonis oraculo, darent operam Litteris, atque Philoſopharentur.

Etiam Clementiſſimum; & pari fide: prorſus, ut omne videatur genus virtutum amplexus, quia quod maximum in homine, auguſtiſſimum in ſe fecit: ne in vindictam quidem optimæ Parẽtis, & poſt hominum memoriam illuſtriſſimæ ſanctiſſimæq; Principis, atque eò infeliciùs necatæ, ſceptrum cruentavit. Vtantur hoc exemplo, qui crudelitatem proſcribunt; & perſuadebunt omnibus, unicum mitiſſimæ naturæ ſpecimen hunc Regem effulſiſſe. Ignoſcere potuit, cùm pænè immanitate uti: tulit & perpeſſus

peſſus eſt; neque hoc ſatis: promovit ad honores ornavítque, quos quoties adſpiceret, verè hoſtes & parricidas poterat appellare. Sic non ſine maxima virtute ſtimulantis alioquin ille igniculus animi repreſſus eſt. Regem igitur, quiſquis pro veritate, pro innocentia loquetur; non offendet: ille potiùs, qui hoc ipſum agit, quod ſe negat agere; qui, ut efferat tamen quod audire debuit, *in deteriorem partem interpretatur omnia, & in malæ mentis argumentum rapit.*

Quid tu ais? *Salus Principum & apertâ molitione & per cuniculos in diſcrimen adducitur, quia Dicta quædam & Sententiæ nonnullorum è Societate ab Apologiſtâ defenduntur?* Quæ illa Dicta & Sententiæ? pulchrè & tuo penicillo depingis: *Vnicum eſſe mundi univerſi Dominum, unicum Vice deum, unum Imperatorem, unum Regem, unum verè Principem, Pontificem nempe Maximum.* Quid præterea? *Reliquorum falſam eſſe imaginem Principatus.* Quinimò, *Hos, ſi parum morigeros ille habeat, ſive in Spiritualibus, ſive in Temporalibus, ipſo jure,*

etjam ante prolatam ſententiam, vel certè ſtatim à prolatâ ſententiâ, illâ quoque falsâ imagine Principatus excidere. Et plura hoc colore promis, ſed ut deformes. Siccine acturus hanc fabulam? Etiam miſerabili cothurno IOANNEM Regem Navarræ inducis. Scilicet Ieſuitæ, cùm nondum eſſent, inſtigare Pontificem potuêre (tu *Iovem Capitolinum* impio ſcommate appellas,) ut in terrigenas fulmen ſuum vibraret: & qui triginta deinde annis loqui in Societate adhuc non cœperant, *clarâ* jam tum *atque altâ voce* (ſic ſcribis) *contendebant*, CORNVA QVÆ VINCAT QVE TVBAS. Si omnino exprimam quod ingenioſè deſignas, *contendebant*, IOANNEM *Navarræ Regem è ſolio detrahendum, & tanquam piacularem victimam finibus ditionis, aut etjam è numero viventium eſſe exterminandum.* Sed benignè tamen agis, quia ſic lædis: cum adverſariorum laude nugari incipis. Crevit retrò tam gravi pipulo Societatis antiquitas, tantúmque ferè jam annorum origini adjectum eſt, quantũ ego vixi.

Ergo

Ergo diſputabis tu nobis hanc cauſſam De Poteſtate Pontificis, quam ut proponeres, errare, & ſimul calumniari debuiſti. Neque etiam à IVLIO II. ordiris (altior hæc plaga eſſe potuit, poſtquam ab anno ſtatim ∞.IƆ. Societas accuſari:) GREGORIVM VII. crudelitatis idéam non obſcurè appellas, atque tum temporis *hanc de infinitâ Summi Pontificis potentiâ mirificam doctrinam*. Adde hoc quoque: Quia ſimul Ieſuitæ fuêre. Potes: ſemel enim jam fuerunt, cùm non eſſent: toties & erunt, quoties Pontificem proſcindes: hunc GREGORIVM, & priorem quemvis, atque ipſum, ſi libuerit, PETRVM. Sic verò tutò dicturus, omnium munus eſſe, *Dominationis ſuæ cauſſâ cælum terræ miſcere, & univerſam Europam cædibus & parricidiis implere*. Addis enim:

Hoc videlicet non obſcurè BARONIVS *ſignificavit.* Ac deinde; *Cardinalis verò* BELLARMINVS *quantum in ſimili negotio urgendo ſuadrit, quantâ contentione & ſtudio negotium geſſerit, tot edita ab ip-*

ab ipſo lucubrationes, tot libri abundè teſtantur. Quorſum iſta, niſi ut cædium ac parricidiorum auctores facias, & immaniſſimos humani generis hoſtes, quos accuſas? E quo pectore iſta manant? ubi pudor; ubi candor? Niſi furorem dicam, nimis leniter de effrenata hac ſcribēdi licentia judico: In Viros optimos, leniſſimos, ſanctiſſimos quid niſi virus effundis? Tu hîc ipſe ſæviſſimus es, & plus jam ſcribis, quàm accuſas: verba vulnera ſunt; hoſtes habes, quibus diſſimilis es; & in calumniam calamum acuis. Itáne de Pontifice loqui non potes, niſi ut impietatem effundas? nec Cardinales compellare, niſi ut ſcelera objicias? Si Chriſtianum te neſcis, hominem cogita; & in ſcriptis tantorum virorum ſiquid non ad tuum guſtum, citra furorem nauſeam indica: medelā promittimus. Colore ſanguinis vinum vides, & ſanguinem exhorreſcis: Poteſtatem audis, & cædes atque parricidia inclamas. quia malam adfers mentem, etiam extra diſcrimen metuis: & quia in Cardinales Illuſtriſſimos

delinquere auſus, veſte jam terreris; adeò ut quicquid rubeat, cruentum putes.

Hæc quoque purpura eſt, agnoſce; ſacra eſt, venerare, ſed omni ſævitia & barbarie ſpoliata, ſi bonus accedis. Atque in ipſo ſummo Pontifice, rectum modò iudicium adfer, tranquilla omnia, & paterno affectu magnifica ſunt, quæ in ſuperbiam & dominandi libidinem à ſeditioſis trahuntur. ut multa complectar, inſignia nomenq; Dignitatis reverearis potiùs, quàm Poteſtatis verearis. Verearis tamen, ſervi ſi ingenium malis, quàm filii aſſumere; & odiſſe pergas, quod deſtruere non potes.

Hoc agis verò, & ex eodem velut albo accuſas *Martam Neapolitanum, infrunitum*, ut appellas, *hominem*; tum eiuſdem doctrinæ *Alanum, Sanderum, Philopatrum, Treshamum, Carerium, utrumque Bozium, Moſconium, Mancinum, Peſantium, Verunam, Simancham, & innumeros alios quà Iuris Canonici interpretes, quà Theologos.* Ergo tot ac tantos audes petere? expende vires tuas: mul·

multis certare temerariũ eſt: μὴ δ' Ηρακλῆς πρὸς δύο. Sed obſecro, quos petis? an & hi è Societate ſunt? ſuſpicari poteram; quia *inſtar omnium* BELLARMINVM habes, niſi quòd BARONIVS præeat. Imponis tamen. De Poteſtate Pontificis quicumque ſcribunt, non idem ſcribunt: tu tamẽ promiſcuè quoſcumque cenſes. Societas etiam à pleriſque iſtis diverſum ſentit, & in molliorem potiùs ſententiam inclinat. Pulchrè igitur, *Inſtar omnium* BELLARMINVM *eſſe*. ſcilicet, in BELLARMINO omnes poſſe debellari, Ieſuitas, non Ieſuitas. Perſtringamus.

Scripſit ille adverſus BARCLAIVM *De Omnipotentiâ Pontificis*: placet formula: ergo (tuo ſenſu, meis verbis dicam) *Galliæ Regem victimam fecit*. Quid ita? *Pariſienſis Curiæ Patres eum librum cenſurâ ſuâ condemnârunt*. Scin' quomodo? ne condemnarent. Sed obſecro Conſiſtorii hîc Decretum cur diſſimulas? an, ut neſcirent omnes, quod publicè Lutetiæ actum eſt, & à Chriſtianiſſimo LVDOVICO XIII.

 Ma-

Magnatum conſenſu, anno ∞. Iↄc. x. pridie Kal. Decembres conſtitutum? Hoc omnino, *Ne Senatuſconſultum editum adverſus* BELLARMINI *librum executioni mandaretur.* Deinde, *Reprehenſos fuiſſe Præſides, quòd inconſultâ Reginâ Regioque Conſiſtorio eâ de re deliberaſſent.* Ergo credemus condemnatum eſſe librum, quia nulla adhuc pœna legitur; credemus, callidum CASAVBONVM fuiſſe, ut aliquid diceret. Pellem vulpinam ſume, & etiam veſte ingenium loquere. tuum enim niſi jam aſtum ſciant omnes, ignorent BELLARMINVM crudelem eſſe. Sed eſſe, pergis oſtendere.

Adverſus Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem ſcribit: Iusjurandum Fidelitatis à Regis ſubditis præſtari non vult, quià id illi videatur aliquo pacto Summi Pontificis omnipotentiæ repugnare; in quo peccâſſe, ut quidem illi placet, fidem Catholicam ſit abnegaſſe, appellatione Chriſtiani ſeſe indignum reddidiſſe. Quod ad ſcriptionem attinet, cauſſas habuit; & ſimul oſtendit, qua tu modeſtia uti

uti debeas, cùm extra ſepta infauſtum ducis calamum, & Pontificem oppugnas. Quod ad Iusjurandum, calumniari noli; etiam adverſarios omnes noli *vel rei ignaros, vel meros Sycophantas* appellare. Cenſuerunt viri graviſſimi doctiſſimique, quibus hoc negotium datum fuerat, ut Britannicum iſtud Sacramentum diligenti examine expenderent; cenſuerunt inquam, Auctoritati & Poteſtati Pontificiæ, divino jure conceſſæ, prorſus repugnare. Id deinde libris multorum confirmatum eſt, multarum Academiarum cenſura expreſſum, ipſius denique Pontificis Maximi Brevibus declaratum, Non poſſe ejuſmodi *Iusjurandum Fidelitatis* ſine Fidei detrimento à Catholico homine præſtari. Hæc expende, & aliquando ad verborum ſaltem modeſtiam veni.

Atqui doctrina hæc, ais, (De Poteſtate Pontificis) *quàm ſit Principibus metuenda, evidentiſſimè docent, tot intra paucos annos aut patratæ Principum maximorum cædes, aut tentatæ; tot proditiones*

nova, inaudita, quibus nihil ſimile priora ulla ſecula viderunt. Et nobis Principum ſalus Sacroſancta: cædes proditionéſque deteſtamur. Sed quid iſtud? nihilne ſimile priora ulla ſecula? & tamen hæc doctrina, vel te invito priorum quoque ſeculorum fuit. An hoc neſcis? quid igitur ſcies? Bellarmini librum adverſus Barclaium vide; ſcire poteris, quod jam neſcis. De Doctrina verò ſileo: de cædibus Principum quæ frons affirmet? aut rudis es & puer, aut plures cruenta morte ſublatos legiſti Reges, quàm ſpectaſti. Scilicet, priuſquam tu eras, Saturnia regna erant? Gravi hoc noſtrum injuria ſeculum oneras: crudeliſſimum facis. Non malignis tantùm, ſed & imperitis id vitium oculis ineſt; accuſant quicquid præſens eſt. Quid opus longiùs ire? ipſam Galliam tuam, ſed alio ævo luſtra: libros conſule; & fatere obvium fuiſſe, quod aut ignoras turpiter, aut diſſimulas nequiter. Nec opus eſt verbis. Gregorius Turonenſis hunc tuum ſive errorem, ſive mali-

malignitatem confundit.

Fruſtra igitur ad vomitum redeas, & crudeliſſimum nefandi Regicidii ſcelus in Pontificem detorqueas, aut Societati adſcribas. Te ad te duco, conſcientiam ego tuam interrogo: INVITVS hoc etiam promis, quod ipſe tibi, ſcio, perſuadere non potuiſti? Sicas damna, quas veſana Knoxi lingua, Buchanani penna, Godmanni doctrina (ne plures recenſeam) acuit. Deteſtare linguam, pennam, doctrinam, quæ peſtilenti furore validæ, turpiſſima ſcelera & nefanda parricidia hominum mentibus inculcant. A quibus Principes ſibi timere debeant, ipſe Sereniſſimus Rex IACOBVS Præfatione Monitoria nuper edocuit: *A Puritanis non ſolùm à nativitate continuò vexatus fui; verùm etiam in ipſo matris utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus eſſem.*

Ergo quòd de alta firmáque perſuaſione mentis, quam Stoïci πρόληψιν appellant, addis, tam ad rem facit, quàm à D. Ambroſio libidinoſos re-

prehendi, ut credamus, Catholicos parricidas eſſe : quàm olim multos fortiter aut ſcelerate feciſſe, ut hodie ſtrenuum CASAUBONUM dicamus eſſe, quia in Societatem calamum ſtringit ; aut Caſtellum aliquem à præceptoribus ad ſcelus inſtructum, quia regis vultum infeſto ferro vulneravit. Nebulæ in pariete. Cur igitur Heroſtratum producis? ſcilicet & hic Catholicus fuit, quia Dianæ fanum incendit. Cur Arriam nominas? ſcilicet in Societatis ea ſcholis conſtantiam didicit, quia dicere potuit, *Pæte non dolet.* Quid alios recenſes? vin' dicam? ut fatearis tantùm, peccaſſe mortales, antequam Societas eſſet.

Iam & *alia illa femina* (ſic appellas) fortaſſis eâdem BARONII & BELLARMINI doctrina conſceleratam mentem habuit, quia cùm ad mortem viam quæreret, adverſo parieti caput ingenti impetu impegit. Sed quid aïs? Alia femina fuit? Fuit eadem illa Arria, & hoc credere Plinio potuiſti, lib. III. epiſtola XVI. Ait enim

ille,

ille, geminum ejuſdem animi robur comparans,clarius fuiſſe in Pæti uxore illud, *Pæte non dolet*: at majus, Duram quærere ad letum viam, ſi facilis negaretur; caput in parietem illidere, & oſtendere, ſe poſſe, imò velle mori. Sic eadem hæc femina & Maxima, & Clariſſima, ſed diverſo facinore fuit: Maxima, cùm oſtendit, ſe ſuam eſſe; uno verbo, Arriam eſſe, & quod vel morte gravius, poſſe pati: Clariſſima autem, cùm, ut ad conſtantiam maritum animaret, ſuum ipſa pectus feriit; cùm cruentum tradens pugionem, ut fortiùs adhuc loqueretur quàm fecerat, vocem hanc vulneri addidit, *Pæte non dolet*. Pleniùs in Martiali:

Si qua fides, vulnus quod feci non dolet,
inquit:
Sed quod tu facias, hoc mihi Pæte dolet.

Error hic igitur Hiſtoriæ, ſed profanæ, & exiguus eſt; qui in novo jam Theologo gravis eſſe non poteſt. Effugium quoque oſtendo: aliam aliunde nobis feminam erue, quæ, *quò ſibi*

prehendi, ut credamus, Catholicos parricidas eſſe: quàm olim multos fortiter aut ſcelerate feciſſe, ut hodie ſtrenuum CASAVBONVM dicamus eſſe, quia in Societatem calamum ſtringit; aut Caſtellum aliquem à præceptoribus ad ſcelus inſtructum, quia regis vultum infeſto ferro vulneravit. Nebulæ in pariete. Cur igitur Heroſtratum producis? ſcilicet & hic Catholicus fuit, quia Dianæ fanum incendit. Cur Arriam nominas? ſcilicet in Societatis ea ſcholis conſtantiam didicit, quia dicere potuit, *Pæte non dolet.* Quid alios recenſes? vin' dicam? ut fatearis tantùm, peccaſſe mortales, antequam Societas eſſet.

Iam & *alia illa femina* (ſic appellas) fortaſſis eâdem BARONII & BELLARMINI doctrina conſceleratam mentem habuit, quia cùm ad mortem viam quæreret, adverſo parieti caput ingenti impetu impegit. Sed quid aïs? Alia femina fuit? Fuit eadem illa Arria, & hoc credere Plinio potuiſti, lib. III. epiſtola XVI. Ait enim ille,

ille, geminum ejuſdem animi robur comparans, clarius fuiſſe in Pæti uxore illud, *Pæte non dolet*: at majus, Duram quærere ad letum viam, ſi facilis negaretur; caput in parietem illidere, & oſtendere, ſe poſſe, imò velle mori. Sic eadem hæc femina & Maxima, & Clariſſima, ſed diverſo facinore fuit: Maxima, cùm oſtendit, ſe ſuam eſſe; uno verbo, Arriam eſſe, & quod vel morte gravius, poſſe pati: Clariſſima autem, cùm, ut ad conſtantiam maritum animaret, ſuum ipſa pectus feriit; cùm cruentum tradens pugionem, ut fortiùs adhuc loqueretur quàm fecerat, vocem hanc vulneri addidit, *Pæte non dolet*. Pleniùs in Martiali:

Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facias, hoc mihi Pæte dolet.

Error hic igitur Hiſtoriæ, ſed profanæ, & exiguus eſt: qui in novo jam Theologo gravis eſſe non poteſt. Effugium quoque oſtendo: aliam aliundenobis feminam erue, quæ, *quò ſibi*

gravem vitam adimat, caput in parietes impingat, quia alia ad letum nulla patet via; & verba tua patiemur.

Hoc tamen impræſentiarum tibi perſuadeas velim, etiam à non Theologo ſciri, parricidium citra ſanguinem eſſe poſſe, cruenta mente, pura manu: quod tu exprimis, *Hunc certum eſſe parricidam, cujus animus doctrinam parricidiorum magiſtram ſemel imbibit.* & in anteceſſum explicas, *Tunc, tunc ſcelus contrahi, quando incipit mens doctrinâ* MARIANÆ, *aut ſimilium illius corrumpi.* Quò tendas video, & quos ſimiles inſinues; ſed ſufflaminandus es. Interim, ſcelus quodcumque, quoties cogitatum, maturum eſt; quoties deſignatum, perfectum eſt. *Sic latro eſt*, ſcribente Seneca, lib. v. de Beneficiis, *etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum jam armatus eſt, & habet ſpoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Ampliùs dico, *Ad pœnam ſufficere, meditari punienda: ut ad laudem ſatis eſt, conari prædicanda.*

Qui

Qui igitur meditantur punienda? Exprime, exprime: parum eſt impudentem eſſe, ſi injuſtus fueris; & innomina injuriam aperi, quam animo deſignaſti. Cogites, an nomines quod poteſt lædere, turpis es. Et quia jam MARIANAM, illiúſq; ſimiles accuſaſti, quia *Alaſtorum venenata & Satanica ſcripta* pro modeſtia tua expreſſiſti, ad rem veni. Scire velim, quos parricidali doctrina cruentos ad pœnam depoſcas. MARIANAM referunt? nihil adhuc dicis, & multùm tamen peccas. Alaſtores ſunt, qui *parricidia Principum ſuadent atque etjam laudant*? promoves gradum. Paullulum adhuc ſi frontem robores, nullum calamus impedimentum inveniet. Audacter igitur. Theologi Societatis IESV ſunt: quia doctrina ſua *Principum occidendorum auctores ſunt*, & HENRICVM III. imò HENRICVM IV. Reges Chriſtianiſſimos occiderunt. Iam Vir es, nominare ſcelus audes. Nominas enim, cùm ſic oſtendis. Quid præterea?

Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Re-

gi

te ructum debuit, ſed blando quodam odore, & adſcititio fuco ſuffuſum. Placere ſtudes, ut noceas: & in auſpicio criminationum humanitatem profiteris, ut venenum tegas. An clariùs dicam? laudas viri ingenium, ut calumnieris. *Non ſuaſit*, inquis, *parricidia Principum, aut etiam laudavit, per ſe quidem & ἁπλῶς.* Quid ita? *Neque enim in mentem* RIBADENEIRÆ, *venire unquam potuit facinoris tam exſecrandi.* Certè non potuit: in hoc verus es. non tamen tuo verbo, ἁπλῶς, & ut benignus ſis, quia non perſiſtis.

Redis ergo ad ingenium, & remota perſona, promis quantũ latuit. *Negari non poteſt, datam eſſe occaſionem ſuſpicioni haud injuſtæ; quaſi eorum ſaltem Principũ cædem non improbaret, qui gratia Pontificis Maximi quoquo modo exciderint.* Strictim reſpondeo: negari poteſt. Quas rationes adfers? *Quia non obſcuram,* inquis, *ſignificationem dedit,* HENRICI III. *diriſſimam cædem ſe probaſſe.* Perge παραλογίζεσθαι: *Quia etiam parricidæ tartarei ſic meminit, ut propiùs multò abſit à lau-*

abſit à laudante, quàm à deteſtante: quod in Sectatore IESV *non immeritò aliquis demiretur.* Et perge: *Quia Principi, quem perditiſſimus Monachus, proprius ſubditus per immane ſcelus occiderat, ipſe profeſſione Theologus maledicit: Principi, inquam, mortuo, quod vix ab immanitate barbara queat excuſari.* Dicis, quod jam à Calumniatore dictum erat: an & ego quod ab Apologiſta confutatum? Ita, audebo. Nam ut ſimilem me eidicas, in quem inſurgis: nunquam evinces tamen, Parricidia hoc ſermone aut foveri, aut doceri, aut inſinuari. tu certè, qui Attabas Numenium ſequeris, videan à conditione Calumniatoris Anticotoniani Anonymi ingenium ſepares. Quid igitur? nodum ſtringam; Obeliſcolychynium inferam, veru & lucerna utar. Nam detegenda hæc malitia eſt, & ſimul confodienda. RIBADENEIRA parricidæ nememinit quidem; & audes laudantis crimen objicere? Depromo verba, quibus univerſa ſententia concluſa eſt; ut æquus prudénſque Lector ſuſpecta habeat

beat, quæ cum convicio videbit ſcripta ſerioque intelligat, nihil intereſſe, CASAVBONVS, an quis è trivio Barbarus ſcribat, ſi pari malitia cauſſa inſtructa eſt, & animi laborant. RIBADENEIRA in iſta verba: Pernicioſum humanæ prudentiæ conſilium, „ & nefaria Politicorum calliditas, „ anno poſt Virginis partum ∞. I Ↄ. „ LXXXVIII. Bleſenſibus Comitiis „ HENRICVM Guiſiæ Ducem, & „ LVDOVICVM Cardinalem ejus fratrem, fortiſſimos & Clariſſimos „ Principes crudeliter ſuſtulit. Sed „ quoniam hoc conſilium, quod à „ Politicorum & Machiavelli ſchola „ prodierat, cum divinis legibus pugnabat, factum eſt, ut anno necdum „ decurſo; æquiſſimus ſceleris vindex Deus à cædis auctore meritiſſimas pœnas exigeret. Cedò, ubi hîc monachus, cujus memoria colitur? ubi parricida, qui laudatur? Expunge calumniam: nullum certè hîc facinus eſt, *quod in Sectatore* IESV *meritò aliquis demiretur.* At Regi maledicit: quid ampliùs? jam mortuo: denique

nique? homo Theologus. Figo radicem compoſiti hujus ſermonis: Non maledicit. Crimen Politicorum calliditati & Machiavelli ſcholæ aſſignatur, cui aures Rex præbuit: qui malum conſilium amplexus eſt; mentem, imò oculos cruentavit. ergo vindicem Dei manum ſenſit, & quia cædis auctor, pœnas dedit. Eſtne hoc maledicere? eſtne hoc immanitate Barbara debacchari? Lege Apologiſtam, & diſce, ſine ſcelere Regicidii numinis vindictam nominari.

Sed altera difficultas hîc ſupereſt. Ribadeneiram, ais, *excuſat Auctor, & furore illorum temporum abreptum.* Deinde, abreptum eſſe, ſupercilio pluſquam theologico objurgas; videlicet, *peccare unumquemque graviter, qui furorem aliorum ſequitur; graviùs Theologum illum non è multis; graviſſimè è Societate aliquē.* Niſi hoc eſt à ſemita deflectere, poterimus deinceps rationes omnes diſſerendi confundere. Magnum facinus! tanquam arborem ſternas, ſi ramulum convulſeris. Nugæ: hoc eſt, quod dicitur, extra oleas ire. Vt conce-

cedat Auctor, ratione temporum aliquid de Rege in vulgus ſparſum, & à RIBADENEIRA creditum ſive expreſſum, quod opportunum non eſſet; negat tamen propterea ſequi, eum cædem Regis comprobaſſe. Hæc linea prem enda erat. Tu omiſſa hypera pedē ſectaris, & neſcio quam laciniam apprehendis. Fallaci calamo oppugnas quod conceſſum eſt, & extra cauſſam eſt poteſt. De Rege atque regicidio dicendum erat; tu BELLARMINVM arietas, & ad furorem temporum abis; atque interim vocabulo abuteris. *Furorem* vocas *temporum*, quem Apologiſta injuriam. Aliud eſt, *furore abripi*, & *furorem ſequi*: aliud, *injuria decipi*. Quid igitur? *Publici furoris, id eſt, totius conjurationis approbator, fautor, & fax præcipua*, BELLARMINVS *fuit*. Scilicet, *quia Lutetiæ per illos annos egit*? Vocabulorum ego hic furore non abripar: in re niſi fallis, Religionis ratio, & rerum ſtatus perſuadere BELLARMINO potuit, ut partibus Confœderatorum faveret: non ut Rex occideretur, quemad-

modum tuus hic elenchus eſt: ſed ut Hæreticorum inſanæ molitiones frangerentur. Siquid ultra fuit,& furoris appellatione debuit efferri, BELLARMINVS certè non probavit.

Iam de Pontificibus duobus, ut *nihil dicas*, ſeditioſè lòqueris: *Ab his funeſtiſſimum illud Patriæ furentis incendium conflatum.* Auden'?

Σίγα, μήτις ἄλλ@ ἀχαιῶν τοῦτον ἀκούσῃ Μῦθον.

Eia tace, neque Græcorum exaudiat iſtum Sermonem.

Profectò ita eſt: nihil unquam dixit, qui mentitus eſt: ſed ego ut omnia dicam, infra reſponſum audaciſſimam calumniam habebo. Atque hoc Heroïcum eſt: torſiſti jaculũ,& fugis: imò

AD *Amphitheatrum Honoris* venis, tanquam gladiator pugnaturus. Cautè verò & circumſpectè: quem petis, Hercules eſt: tanquam conchylium diſcerpêris. Lædi ille non poteſt, niſi ut tu pereas. Sed ſubeunda hæc alea: in arenam progreſſus es, & Adverſarium concitaſti. Pugna igitur, ego poſt STRICTVRAS etiam ſpectator

tor ero: pugna, & tuo infortunio aliorum petulantiam cohibe. Magnus ſis, & vel Hector ipſe; Achillem inveniſti.

Interim tantopere noli Apologiſtæ inſultare. Scire potuit, CLARVM BONARSCIVM per Anagrammatiſmum eſſe CAROLVM SCRIBANIVM: dicere hoc etiam, In Societate neminem CLARI BONARSCI nomine appellari.

Sed quæ hæc tua cenſura eſt? *Rudem & ſtipitem eſſe, ſiquis ab eruditione Amphitheatrum laudet.* Vide ne unus videaris vel eruditi, vel Latini nomen tibi aſſumere. Triumphas igitur. ſcin' quomodo? Victoriam jactas, & adhuc *litem* agnoſcis. Iudices qui erunt? FRONTO DVCÆVS, & ANDREAS SCHOTTVS. Scilicet hic uterque ſcriptionem SCRIBANII, *illam*, ut ais, *Amphitheatralem, velut Histrionicam verborum ampullatorum congeriem, ex Apuleii Aſino, & aliis præcipuè Africanis ſcriptoribus, nullo judicio collectam condemnabunt?* Hic uterque ſcriptorem ipſum, tanquam *me-*

lioris omnis doctrinæ pus atque venenum deſpuent? Injuſti & iniqui tuo exemplo ſint, & ſtateram tranſgrediantur. SCRIBANIUM *eſſe virum multæ lectionis*, hîc jam credere, & efferre potuiſti: *humanum quoque*, nequaquam ſubticere. A multa lectione & humanitate ipſa pus & venenum profluere melioris omnis doctrinæ, Barbaris Potitiis, atque adeò hoſtibus Litterarum perſuadeas. Noſce, noſce penitus hoſtem tuum: quicquid laudare poteris invenies, quicquid metuere. Laudes inexhauſtum ingenium, igneum æthereumque animum, virum totum cuicumque ſcriptioni & ſimul functioni parem, judicio prudentiáque admirandum: metuas virtutem, probitatem, pietatem, & quicquid dignam fama doctrinam facit. In Amphitheatro quid horrorem accuſas? Vt fortis eſſet, mollis & formoſus eſſe non debuit: & quia in certamen venit, vincere maluit, quàm placere. Quod tu non negas, ſtilo Africanus fuit, & in hoc genere præſtitit, quod faciliùs adhuc reprehendas, quàm aſſe-

aſſequaris. Ipſum à libri limine pro-
clamantem audi: Vnum moneo: „
nō exſpectate dictionem mollem „
fluidam, de triviis compotabili- „
bus mutuatam; non mellis, non „
interſparſo rariore pipere lepôris „
plenam: ardua res toroſos ac qua- „
ſi maſculos lacertos exigit; qui „
non ad laſcivientis oculi veneres, „
picturata jacula, ſed ſolida mit- „
tant robora. Procul ergo deleni- „
fica, & illa Suada facundia, quæ „
vulneri cicatricem mentitur: in- „
ducenda eſt ferro & igne. procul „
illa ſcitiſſimis clauſulis erotunda- „
ta, totáque ductilis, quæ per au- „
rium traduces inſtar digiti per „
cryſtallinas & onychinas cruſtas „
non impacto ungue perlabitur; „
ut quam nulla rimoris obicibus „
fractura remoretur. Veteris mo- „
netæ ſpectatores volo. Talis hic
ſcriptor, cùm pugnat: ſed totus in u-
no libro ſpectari non poteſt: pro re &
cauſſa arma variat, pro argumento
ſtilum. Vt ſcias omnia poſſe, etiam
citra horrorem vincere didicit. Ver-

ba mittamus; rem examina.

Quid peccat SCRIBANIVS, ubi ab Apologiſta Defenditur? *Regum Chriſtianiſſimorum Majeſtatem ſacroſanctam & jura antiqua imminuit.* Et quibus verbis defenditur? *Sicuti Dionyſii, Machanidæ, Ariſtotimi, tota natura à Galliæ Regibus diſtant: ita nihil eorum quæ à* BONARSCIO *ſcripta ſunt, ad præſentis argumenti Quæſtionem facit.* Omnino, nihil facit: & ſic Defenſio, te invito, præclara eſſe poteſt, in quam ſtomacharis; non lædi à SCRIBANIO Galliæ Reges, ſi de Tyrannis diſputet. Sine injuria Majeſtatis Regiæ poteſtatem eſſe Pontificis, HENRICVS Magnus oſtendit, ut alia omittam exempla; SCRIBANIVS docuit, & hîc docuit, ubi tibi reprehenſus: *Non agnoſcitis illam poteſtatem, per quam Pontifex* HENRICVM IV. *fidelium cœtui, & per hoc Galliæ Regno reddidit? Sed non potuit Pontifex Galliæ Regem anathemati ſubdere: factum tamen: & Rex poteſtatem agnovit, cùm ab eâdem evinculari & enodari non uno voto poſceret, à quâ vinctum ſe, omniq; Gordio nodo valentiore implexum ſenſerat.*

Vt

Vt ſcias imminutum non eſſe, MAGNI nomen invenit. Regni faſces Eccleſiæ clavibus ſubmittimus: nemo idcirco tamen, quod tu ais, *Regem Regum in terris, Dominum Dominantium* Pontificem appellat. Pater eſt, Paſtor eſt: &, ut ſummum tamen credas, Princeps eſt. Corruit pariter hoc acumen tuum: *Poteſtati Pontificis Reges ſubduntur: ergo precariò regnant.* Auctoritatem dignitatémque Diadematis Regii Eccleſiaſtica Poteſtas nequaquam violat. Gerat ſe Princeps, quem ſui juris eſſe cupis, ut filium Eccleſiæ decet; & Pontificem non Dominum, ſed Patrem experietur. *At in poteſtate eſt Papæ, in Reges ſævire, eos deponere, & ſolio deturbare.* Bona verba! quàm ſævire malum eſt, tam peccat ille, qui manſuetum violat. Quantum Pontifex agit, ad ſalutem & Clementiam confert: de cujus Poteſtate nemo conqueſtus unquam, niſi qui iniquus eſſet. Deinde Reges, quamdiu Reges ſunt, ſecuri ſunt: deponi Pontificis auctoritate poſſunt, cùm Tyranni facti, cùm Eccleſiam oppug-

nant, Sacra peſſumdant, leges evertunt, & ſpreto ſalutis conſilio, per ſcelera, impietatem, pertinaciam, graſſantur. Tyranni igitur, non Reges nominandi erant, ut aliquid diceres; etſi ne ſic quidem verus, qui ſævitiam adjungis. Nemo cùm juſtè agit, ſævus eſt: Tyrannum, & qualem ferre Æquitas, Religio, Virtus nequeunt, non regere, generis humani intereſt. Quid Pontifex? Divini Decreti interpres eſt: ut corrigat, non ut perdat hunc talem, Regno interdicit. Cùm facit omnia, tantum tamen in Tyrannum ſibi non ſumit, quantum in Regem, ſi munere abutatur, Buchananus populo tribuit, Dialogo De jure Regni apud Scotos. Pauca iſta verba liba, & lenem ac ſalutarem Pontificis Poteſtatem agnoſce: B. Rex ſi facit, quæ ſunt „ ſolvendæ Societati humanæ, cu- „ jus continendæ cauſſa fuit crea- „ tus, quid eum vocamus? M. Ty- „ rannum opinor. B. Tyrannus au- „ tem non modò non juſtum habet „ imperium in populum, ſed etiam „ popu-

populi hoſtis eſt. M. Hoſtis pro- »
fectò. B. Cum hoſte ob graves »
&intolerabiles injurias eſt juſtum »
bellum. M. Iuſtum ſanè. B. Quid »
in eo, quod cum totiùs humani »
generis hoſte, hoc eſt, Tyranno »
geritur? M. Iuſtiſſimum. B. Bel- »
lo autem cum hoſte juſta de cauſ- »
ſa ſemel ſuſcepto, jus eſt non mo- »
dò univerſo populo, ſed ſingulis »
etiam hoſtem interimere. M. Fa- »
teor. B. Quid Tyrannum ho- »
ſtem publicum, quocum omni- »
bus bonis perpetuum eſt bellum, »
nonne ſinguli è tota generis hu- »
mani multitudine jure omnes bel- »
lorum pœnas ab eo expetere poſ- »
ſunt? M. Video nationes ferè »
omnes in ea ſententia. Nam & »
Thebe laudari ſolet, quòd mari- »
tum; & Timoleon, quòd fratrem »
&c. adeò nullum ne humanitatis »
quidem vinculum cum Tyrannis »
eſſe exiſtimabant. »

Ais verò; *Quid eſt Majeſtatem glorioſiſſimorum Regum lædere, & nova inter eos jura ſtatuere, ſi hoc non eſt?* Verbum

muta, & Vates eris: Quid eſt *Stabilire*, ſi hoc non eſt? Prorſus Pontificiæ Poteſtatis fructus eſt, ne Reges mali ſint, ne impii, ne abominandi. Etiam clariùs? ne Reges deſinant Reges eſſe; id eſt, ne in extremam tyrannidem prolabantur.

At de Regibus, non de Tyrannis SCRIBANIVM vis loqui, & impudentiæ Apologiſtam accuſas, qui id negat. Fraudem detegamus, Objecerat SCRIBANIO Anticotonus verba iſta: *Dionyſii, Machanidus, Ariſtotimus, ſeculorum portenta Galliam premant: nemo Pontifex Dionem, Timoleontem, Philopemenem, Helematum ſecurus animaverit? Plura etiam monſtra Rempublicam in vinculis teneant: nemo Thraſybulus manum moveat? &*, ne omnia dicam, *nullus tamen in hanc belluam homo miles erit? nullus Pontifex nobiliſſimum Regnum ſecuri eximet, vitæ donabit?* Hæc inquam verba Anticotonus iniquiſſimæ cenſuræ ſubjicit, & de vero ac legitimo Rege, non invaſore tantùm aut Tyranno vult intelligi. Negat Apologiſta. Quid tu? Poſtquam ingenium torſiſti,

ſiſti, poſtquam lemma cruciaſti, hoc efficis tandem, ut credamus hic de Regno Galliæ agi. Credimus, imò affirmamus ipſi. Quid ergo? ipſi Reges notantur? Ergo Galliæ Reges Dionyſii ſunt, Machanidæ, Ariſtotimi? Tuas voces tibi reddam: *Hoc verò mirum & portenti ſimile mihi videtur*. Exemplum jam in crimen venit. Premant Tyranni Galliam; ergo premunt: fingantur Tyranni; ergo ſunt: monſtra rempublicam in vinculis teneant; ergo tenent: proponantur monſtra; ergo ſunt.

Huic deinde Paralogiſmo affectum impendis, & ex imo pectore in Apologiſtam deſpuis: *Sine pudore eſſe*; *Aequivocationis emplaſtro fraudes, mendacia, perjuria tegere, frontem æream habere, cor involutum & multiplex*; *peſtilentis doctrinæ defenſorem eſſe*. Si pergis, in te voces tuæ redeunt. Qui rationibus vincere non poſſunt, verbis feroces ſunt; ut aliquid dixiſſe videantur, ad convicia ſe effundunt.

Tale & hoc eſt: GVIGNARDVM à SCRIBANIO *in Cælitum referri numerum*.

rum. Deinde: *Suaviludium*, imò *ab ingenuitate alienum Apologiſtam eſſe, cùm hoc negat.* Negare hic potuit: referre ille non potuit. nec enim ſummi Pontificis auctoritatem uſurpare. Eadem & aliorum reprehenſio fuit, ſed à KELLERO nuper retuſa: iniquior autem, quia non unus aliquis, non BONARCSIVS, ſed Ieſuitæ nominantur; ut communi culpa tantum videatur facinus commiſſum. Audiamus: *Ieſuitæ, duobus abhinc annis,* GVIGNARDVM *in Sanctorum numerum retulerunt, laureâq. tempora ſerto redemerunt.* Quid KELLERVS? *Ieſuitæ neminem in hoc Cælitum album referunt: pertinet id ad caput Eccleſiæ, à qua vos profugi, callem ad Superos amiſiſtis, Superis difficillimi.* Præterea, ubi GVIGNARDVM BONARSIVS nominat? ſed deſignat. Tua hæc conjectura eſt, & audes indubiis tam confidenter loqui? Apologiſtæ excuſatio locum habet, *Non deſignari* GVIGNARDVM, *quia poſtremus nominatur, qui in Gallia capite mulctatus eſt, cùm neque primumum liceat invenire: iſque unus ſit ex omnibus.* Falſum eſſe di-

dicis; & ut alios oſtendas ſententiam paſſos eſſe, ALEXANDRVM HAIVM indicas perpetui exilii damnatum. Ergo apud te exilium mors eſt, & apud ſuos non vivere, id eſt capite mulctari. *Cum Iuriſconſulti ſic loqueris?* Aliud niſi adfers, fruſtra vexaſti calamum. Sed bene *de Apologiſtæ fide & ſinceritate erga Chriſtianiſſimos Reges* FRONTO *ſentire* poterit, qui *ut Inſtitutum vitæ mutet* (quod callidè ſuggeris,) ut Societatem oppugnet, ut credat, à Symmyſtis ſuis *novam, peſtilentem, & doctrinæ Chriſti doctrinam contrariam tradi*, tua adhuc Siren non efficiet.

DEINCEPS Illuſtriſſimum Cardinalem BELLARMINVM laceſſis, nuſquam adhuc victor. Quibus armis? plumbeo gladio: & quem Virum? Cujus tu vel umbram timeas. ἡ πρὸς λέοντα δορκάς. Nam hîc certè iterum in Melampygum incides. Tuo periculo manum conſere.

Summa criminationis eſt: *Doctrina* BELLARMINI *Principibus exitiabilis & funeſta eſt.* Cantilenam eandem canis. Syllabam adjice, & iiſdem verbis neges

neges eſſe: non est. Quos igitur fluctus moves? quos antea concitaſti. *Pariſienſis Curiæ Patres nigrum theta nuper adeò huic doctrinæ præfixerunt.* Sed fruſtra es, & in vanum petulanti ſtilo ſudas. Dixi infauſtam litteram Decreto Regio ſublatam eſſe; imò priſtinam libro auctoritatem reſtitutam.

De Bellarmini ingenio quid tanto faſtu judicas? Tu illum docebis, quid ſcribere, & quomodo debeat? quaſi hactenus inutilis, aut ſeditioſus? Tune? καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις. Præſtitit in Eccleſia *pio fervore ſuccenſus* vir ille verè magnus, quantum nullo furore aut tu, aut tuæ notæ homines unquam deſtruent. Legentur à Regibus & colentur ſcripta ejus; quando hæc tua Epiſtola ignorabitur fuiſſe.

Et quid dicis? quo colore Bellarminvm accuſas? *Ingenium & doctrinam ad augendam Eccleſiæ ſciſſuram contulit.* Deinde: *Principibus terribilem Papæ Omnipotentiam, & Spiritum ſuperbiæ Eccleſiæ exitiabilem, tot lucubrationibus acerrimè propugnavit.* Nihil faci-

faciliùs, quàm, ſi impius eſſe velis, calumniam inſtruere. Scilicet, Magnus tibi BELLARMINVS eſſet, ſi in Pontificem inſurgeret, ſi conſcientiam ſuam violaret, ſi invitus ſcriberet. Sed heus tu: éſtne hoc Apologiam confutare? Enimvero, ut aliquid ageres, agere hîc nihil debuiſti; vel ne otioſus eſſes, in tuo choro occupari. Nunc ingenii tui ſepta tranſilire voluiſti, & de curru delapſus es. Contuliſſes tu litteras doctrinámque tuam, quod à Cardinali exigis, ad ſedandam potiùs, quàm concitandam multorum proterviam, qui per turbas novitatem quærunt, non aliam ob cauſſam de Regum Regnorúmque jure ſolliciti, quàm ut Pontificem proſcindant: fortaſſis etiam Pontifici infeſti, ut Societatem calumnientur. Tuum erat, avorum ſaltem exemplo, modeſtiùs de Summo Eccleſiæ Capite loqui; revereri viros, qui ut tranquillitatem publicam promoverent, non Reges, ſed Hæreſes oppugnârunt. Si auctoritatem Romani Pontificis, Deique

que in terris Vicarii, non agnoſceres; an proculcare debuiſti? &, ſi fortaſſis non intelligeres; an convitiis onerare? Citra calumniam quædam reprehendi queunt. Sed intelligere poteras, æquo ſi animo BELLARMINI libros inſpexiſſes.

Eos hîc jam alia verborum ſtructura, toties repetita ſententia, *Contra Regum jura, & in Principum certam perniciem* ais *ſcriptos*: ſed tanquam DVCÆO notos, ſuperfluum putas cõmemorare. Omnino, libri BELLARMINI DVCÆO noti: hoc ignotiſſimum tamen, contra Regum jura, & in Principum perniciem ſcriptos eſſe. Quouſque tandem eadem? Tu in perniciem, ego in ſalutem dico, & vinco. Examina ſcripta. Chriſtiani & Theologi munus Vir à Deo factus implevit. Sic verò quia bene de Eccleſia meritus eſt, tibi parricida jam videtur: quia perverſa de Religione dogmata jugulavit, vilem impiumque facis. Quid ita? Poteſtatem defendit Pontificis. Ergo parricidas in Reges concitat? Toto hoc dicis animo, nec oſtendis.

Mul-

Multa dicis, ſed eadem. Hæc eſt; quod dici ſolet, ἑτέρου περιτροπή. Vbi rationes, ubi ſententiæ pondera atq; firmamenta? Quod accuſas, ſcelus eſt; niſi oſtendas, tuum facis. Poſſis eodem acumine: Pontifex Romæ eſt; ergo Eccleſiæ caput non eſt: imò Pontifex eſt; ergo in Reges cruentus eſt. Sed aliter ſcribere non poſſunt, qui Eccleſiæ infeſti ſunt. Quia nullo ingenio extorquere à pertinaciæ fomite ignem potes, verborum fumo moleſtus es, & rerum lucem involvis. Non mentis tuæ ſubtilitatem accuſo, ſed argumentum: neque parum hîc præſtitit, qui ut objiceret crimen, finxerit: qui ne taceret, audax fuit.

Satis ſcilicet erat, dicere, BELLARMINI *doctrinam cum diſciplina atque exemplo Domini* IESV *è diametro manifeſtiſſimè pugnare.* Quis enim crederet, tam impudenter veritati injuriam à CASAVBONO fieri? Sed aliqui homines tam ſimplices quoque inveniuntur & cornei, ut quem doctum noverant, & ſummum dicerent, exiſtimarent malum eſſe non poſſe. Bo-

ne Deus, quàm inſigniter falſi ſunt? Ac poterunt deinceps pro non docto habere, quem malum deprehenderunt; pro non ſummo, qui provocavit omnes, ut neminem vinceret.

Te interrogo CASAVBONE, ſi bonus candidúſque es, amice; ſi non bonus, hoſtis atque inimice; te, inquam, interrogo. feliciorémne Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum exiſtimas, ſi ne in Religionis quidem negotio Pontificis Poteſtatē Reges vereantur? Poſſis eâdē opera Religionem tollere, errores indulgere, tot eccleſias, quot Regna nominare, miſcere omnia & confundere. Via hæc eſt ad licentiam, ad turbas, ad chaos. Rex ipſe aut bonus eſt, & qualem Religio jubet; aut malus, & qualem Religio vetat: ſi bonus, fruſtra Pontificem timeat; ſi malus, libera via impietas non graſſabitur. Summum non eſſe Regem, ubi peccare poteſt, ubi perire poteſt, hoc verò eſt ſecurum eſſe. Populis imperet, ſceptrum efferat, unus emineat, nulli obnoxius: ſed cùm divina violat, Religionem lędit, & pietatis proculcat munia,

munia; impedimentum eſto, & vim ſuam conceſſa à Deo Pontifici Poteſtas habeat. Quid plura? Parricidam non eſſe, qui hæc doceat, tandem aliquando tibi perſuadebis. Nam ut riſum moveas, hunc in modum ratiocinationem licet componas. Tollo Pontificiam in temporalibus Poteſtatem; & delinquere Rex non poterit: admitte; & Rex occidetur. Imò verò, ſi ve[illegible] audire vis, tolle; & delinquet: admitte; & vivet.

Regum timendorum in proprios Greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis,

ait Lyricus: quo dogmate, ſi è tuo ſenſu argutemur, & Reges parricidæ fiant, quia imperium in greges habent: & Deus ipſe parricida; quia Regum ille Rex eſt. Pone, quod Pontifici non aſſignatur, Poteſtatem occidendi habet; an inferas, Ergo occidit? minùs etiam: Poteſtatem occidendi habet; ergo parricida eſt. Exemplo agam, & tamen diſpari. In ſubditos ſuos Magnæ Britanniæ Rex poteſtatē habet: in ſubditis Lucius aliquis, ſivo Manius: is homo eſt, & delinquere

poteſt; ergo pœnam inveniet? ergo plectendi reus criminis, in crucem ibit, & luctantem in corpore ſpiritum ſepeliet? Vides quàm hæc ſtultè texantur? & dicenda tamen erant, ut argumentationis tuæ vim intelligeres; modeſtiùs de Illuſtriſſimo Cardinali BELLARMINO, déque Societate loquereris.

Sed *Hoſtes, & Proditores, & Parricidæ Regum Ieſuitæ ſunt*: & in tantæ ſententiæ præſidium Regis quoque verba producis. Ego Magni verè IACOBI Genium veneror: ſed ne omnino taceam, depromere audebo quod Rex quoque dixit: quod è Gallia deferre in Britanniam breviſſimus rumor potuit. Rex, inquam dixit, HENRICVS Magnus, & plus quàm humana voce uſus eſt, quæ quamdiu Reges erunt, quamdiu populi erunt, audietur. Agebatur de reducendis in Galliam Ieſuitis: quia ardua res erat, & conſilio Regis, voto bonorum ſuffragia quorumdam reniterentur; ipſe loqui voluit, & omnem à cauſſa invidiam removе-

movere. *Nemo*, inquit, *adhuc inventus eſt; quem in Regum necem Societas erudierit; nemo, quem animârit. Oneratur famâ, ſed figmenta calumniáſque innocentia ſuperat. Triginta & plures anni ſunt, cùm in Galliis juventutem Litteris, omnes moribus bonis inſtituunt. Vbi exemplum ſceleris, quod accuſatur? ne veſtigium quidem eſt. De Barrerio fruſtra eſtis. aliquid ille in me machinatus eſt, ſed Ieſuitis debeo, quòd non perfecerit. Nemo Patrum confeſſionem hujus facinoris excepit: fuit verò, qui optima fide me periculi monuerit: alius, qui æterni ſupplicii metũ tam enorme parricidium molienti incuſſerit. Amplius Caſtellus deinde auſus, tentavit ſcelus, non concepit tantùm; & in parte perfecit. vulneratus fui. Sed an Varadii, an ullius è Societate conſilio? tormenta negant. accuſare innocentiam percuſſor non potuit. Si ſecus eſt, cur noxiis peperciſtis? cur vinctos dimiſiſtis? veſtro judicio, quia extra pœnam, etjam extra crimen ſunt; inſontes, quia vivunt. Demus etjam, è tanto aliquem numero maligni quid auſum eſſe, an totum Apoſtolorum Collegium ob parricidam unum Iſcariotem damnabitis?* Non potuit

ſanctiùs aut prudentiùs Rex Magnus loqui: non potuit faciliùs hoſtium ac parricidarum nomen ab innocentiſſimis Patribus removere. Reducti ſunt, firmati ſunt, novíſque beneficiis aucti. Noſti iſta; ſed ſi diſſimulas, *Lixivium* uſurpa, quod *malè ſano capiti* GRETSERVS præparavit. Nam quid dicere hîc ego poſſum, quod ille non dixit? imò quid non dixit ille, quod ſiniſtram multorum de Societate opinionem abundè poſſit confutare? Sed video quid ſit: nullus tibi GRETSERVS erit, quia BELLARMINVM audes rejicere. imò, ut calculum vertam, nullus tu deinceps eris, quia ſummos adverſus viros calcitras.

ETIAM adverſus TOLETVM. Nimis verum eſt: petet omnes, qui Bonam Mentem deſeruit. Sic ebrii, quos in furorem Bacchus ſtimulat, ſi gladium nacti, pugnant; pari & ira & ſtultitia in quoſcumque ruunt, non fortes, ſed ridiculi. Omnino, & ingeniorum quædam ebrietas eſt.

Tuis igitur nunc verbis, *Cardinalem*

tem Cardinalis excipit, BELLARMINVM TOLETVS. Quem BELLARMINVM? (redis enim, & in purpuram novos floſculos ſpargis) *qui nova portenta ſententiarum prompſit*: qui τέρας, & *portentum novi generis contra* BARCLAIVM *ſcripſit*: qui *Recognitionum libellum, id eſt fœtum novarum & mirabilium ſententiarum edidit*: qui *alia multa ad Romani Pontificis in terris degentis* ἀποθέωσιν *novo audaciæ exemplo excogitata*; *quæ aliquis fortaſſis credat Iudæus Apella*; *at nemo credet gnarus veteris fidei, veteris diſciplinæ & hiſtoriæ*. Confidenter tu iſta: ſed quia dicis tantùm, verba ſunt, & evaneſcunt.

Quis jam verò TOLETVS tibi? *Homo*, inquis, *erat*, & *falſas opiniones cùm ſuſcipere ipſe, tum aliis tradere poterat*. Ergo quid bene, quid malè, quid verè, quid falsè ſcripſerit, unus nobis judicabis? Gratulor nobis hunc Midam. Ita eſt: homo TOLETVS erat; ſed qui docere poterat, vos certè erroris alumnos eſſe, quotquot in Theodori Bezæ Schola adoleviſtis. Bene tamen eſt: aliquid non malè ſcripſit;

quia *& doctiſſimus Beza fuit, & doctorum candidiſſimus æſtimator.* Tamen, homo TOLETVS: Beza fortè & CASAVBONVS Dii. Quid perperam docuit homo? De vi majoris Excommunicationis, De uſu Æquivocationis, & Retentione Mentali. Laudo: quod non placet, damnas; quod adhuc non diſputas, tollis. Oſtende perperam hæc à TOLETO, & *in gratiam duntaxat Pontificis ornandi* tradita eſſe, & Deum te appellabimus.

Nam quòd ais, hæc non è ſententia Auctoris ſcripta videri, ſed adjecta, *quæ auctor fortaſſis, ſi viveret, obelo transfoderet*; falleris. Vt ſcias heic quoq; verum TOLETVM fuiſſe, quem in ceteris maximum confiteris, ſcripſit quantum heic audes impugnare: nec inceſſere conviciis hanc cauſſam potes, niſi adverſarium TOLETVM habeas.

De Æquivocatione quid vivus tradiderit, ſciunt viri graviſſimi; & ut à te diſſentiant, nunquam ſanè *perfidiæ magiſtram ejuſmodi doctrinam, & humanæ Societati perdendæ inventam* dicent:

cent: nunquam *abominandis dogmatis & nomen ſuum & ſcripta* TOLETVM *maculaſſe*.

De vi majoris Excommunicationis ſi verba ipſius promam, ipſo vivo citata & edita, facilè obtinebo, genuina eſſe, quæ per fraudem *γνησίοις adjecta* ſuſpicaris. Genuina, inquam, niſi vixiſſe Auctorem neges, antequam Cardinalis fieret. Eo igitur tempore ad Perſecutores Anglos liber pro Catholicis adverſus Iuſtitiam Britannicam editus eſt, qui doctrinam hãc TOLETI, imò verba expreſſit; non ſine laude tanti ſcriptoris, ubi D. THOMÆ de Principe Apoſtata ſententia explicatur. Cùm primùm eſt quis „ denunciatus excommunicatus, o- „ mnes ſubditi abſolvuntur ab ejus o- „ bedientia. Licet enim ſit notorium „ crimen Principis, non abſolvuntur „ vaſalli à juramento, ut bene dicit „ Cajetanus, ante denunciationem „ ab Eccleſia: qua facta, non ſolùm „ ſunt abſoluti ab obedientia, ſed te- „ nentur non obedire; niſi fortè pro- „ pter periculum vitæ, vel damnum „

bonorum temporalium. & ſic de HENRICO VIII. in Anglia factum eſt, cui etſi ſubditi, poſtquam denunciatus eſſet excommunicatus, tenebantur non obedire, tamen quia is crudelis erat, & illos vel vita vel bonis privaſſet, excuſati fuerunt ſubditi illi adhuc obediendo.

Quid ais igitur? Hæccine *explodenda, & cum deteſtatione Chriſtianis omnibus deſpuenda* cenſes? *& eò quidem vehementiùs, quo maiore probitatis opinione fuerit, qui illa docet?* Imò *miramur*, inquis (lubet enim repetere) *virum aliàs probum adeò abominandis dogmatis & nomen ſuum & ſcripta maculaſſe.* Breviter: miramur nos te, CASAVBONE, ſic ſcribere; imò non miramur: quantum mali peccant, ſolent objicere.

SINE MARIANA imperfectam criminationis ſcenam cenſuiſti: prodire debuit, imò accuſari debuit, quamvis ab Apologiſta non defenſus... Tuis te verbis alloquor: ***Auctor Apologiæ omnia defendit, omnes tuetur, omnes laudat, uno*** **MARIANA** ***ægre excepto.***

excepto. Hoc pulchrum eſt: cauſam cùm non invenis, facis tamen; & quia ab hoc Patre ſcriptum, quod damnari potuit, nova audacia univerſam ad tribunal Societatem rapis, & parricidii accuſas. Ergo iam ſicas omnes gerunt, & ferro inſtructi ſunt, quia Tyranni cruore calamum unus ille imbuit. Tragicus dixerat:

Victima haud ulla amplior
Poteſt, magíſque opima mactari Iovi,
Quàm Rex iniquus:

Caveant jam ſibi, quotquot laurum momorderunt; Poëta reus eſt. Sed cur tam ſeveri ſimus, ut quod ſine iniuria cogitari non poteſt, ſceleſtiùs etiam pronunciemus: peccavit unus, plectantur omnes? Clementiæ vox eſt: peccarunt omnes, plectatur unus. Saltem inſontes reliquis eſſe liceat, ſi exorbitantem MARIANÆ doctrinam ſive opinionem meliori ſententia rejecerunt. *Non ſeriò*, inquis, ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς; Ergo tu iam καρδιογνώστης? gratulor hoc naturæ divinæ tibi privilegium. Deinde, *Non omnes*.

nes: id enim videris dicere. imò omnes, à calvo ad calvum, ſi cavillis abſtines. Et ſatis tibi eſſe debebat, R. CLAVDII AQVAVIVÆ Societatis Præpoſiti Generalis iuſſu Dogma iſtud de Tyrannis diſpunctum eſſe. Nodum igitur in ſcirpo quæris, & ut omnino dicam, umbram captas.

Sunt qui Marianam laudāt; ergo de Principe quicquid ſcripſit, amplectuntur ac propugnant? Hunc ſenſum verba tua habent, & ampliùs: MARIANAM *autem partim apertè laudant, partim ipſam illius Diſputationem defendunt*. Et quinam? RIBADENEIRA, SCRIBANIVS, GRETSERVS, BECANVS, *& plures*. Hem laudant? licere arbitror, virum magnum, ab ingenio, & doctrina, & ſcribendi felicitate meritò laudandum. Quid etjam? Diſputationem ejus defendunt? ſed non eo ſenſu, quem adverſarii ſive affingunt, ſive exagitant. Defendunt, id eſt, à calumnia vindicant, ubi videri poſſit onerari. Non enim id prorſus ſcribere MARIANAM, quod nonnulli arbitrantur; nec iſtam omni-

no ineſſe

no ineſſe verbis ſententiam, quæ damnata eſt. Breviter: Opinionem illam, quam docuiſſe MARIANAM volunt, qui eum condemnarunt, non tantùm non defendit Societas, ſed ſolenniter repudiat: atque hoc in Apologiſta, imò in reliquis eſt legere. Ergo cùm laudatur MARIANA, nulla Quæſtioni fit injuria: Vir laudatur: cùm defenditur Diſputatio, hoc agi puta, ne ultra Auctoris errorem criminatio ſurgat, neu in pejus torquèantur verba, ſi non bono ſenſu, ſaltem non malo animo expreſſa. Nam Princeps in tyrannidem prolapſus, hominis privati auſu ſine maximo ſcelere interfici non poteſt. Solenni ſententia damnari debet, & reus fieri qui malus eſt, priuſquam abdicetur. Quid MARIANA? longiùs ivit, ampliùs cenſuit. Cùm „
Principis tyrannide oppreſſa „
Republica, ſublata civibus inter „
ſe conveniendi facultate, vo- „
luntas non deſit delendæ tyran- „
nidis, ſcelera Principis manifeſta „
modò & intoleranda vindi- „
candi,

candi, exitiales conatus compri- „
mendi: ut ſi ſacra patria peſſumdet, „
publicóſque hoſtes in provinciam „
attrahat. qui votis publicis favens „
eum perimere tentârit, haudqua- „
quam iniquè eum feciſſe exiſtima- „
bo. Explico, id eſt, facio, quod accuſas; imò quod non facio, Diſputationem defendo, quam non defendo. Si judiciorum poteſtas eadem tyrannide proculcata, omnem Iuſtitiæ opem neget, & præſens calamitas Patriæ ac ruina manifeſtiſſima auxiliatricem imploret manum, quiſque Reipublicæ perſonam induet: movebitur prudentum conſiliis, miſerorum querelis, manum in Tyrannum exſeret. Omnium ſalus unius facinus abſolvet: nec facit unus, quod optant omnes; miſeri omnes, niſi unus aliquis audax ſit, & negotium Patriæ agat. Ferit ille, ceteri tollunt: unius ferrum omnium velut manibus figitur, quia votis.

Hæc ſi minùs clara etiam, è MARIANÆ ſententia dicta, non è mea, KELLERVM adi & audi, Quæſtione

ſtione III. De Tyrannicidio:
Hoc rerum cardine MARIANA „
arbitratus eſt, quemlibet poſſe „
cladem à Patria avertere, & ad „
generum Cereris mittere Tyran- „
num, eſto ſententia nulla lata ſit, „
eò quòd is impediat, qui etiam „
cum ipſa interiſſet: imò hunc ip- „
ſum Tyrannum cædi permiſſum „
Auctor pro aggreſſore invaſoré- „
que habuit, qualis auctoritate „
Legum trucidari poteſt. Et fortè „
ſecutus eſt non calle ſatis noto „
Iuriſperitos, qui Senatuscon- „
ſultum decretúmque non exi- „
gunt contra publicum Regni „
proditorem. ſatis eſt, ſi ferro de- „
cernatur, ſententia ſera eſt. Ty- „
rannus autem à MARIANA de- „
ſcriptus, notam etiam proditoris „
habet. quid enim eſt aliud, publi- „
cos hoſtes in provinciam attra- „
here, quàm exteris Patriam pro- „
dere? Sic igitur Diſputationem MA-
RIANÆ KELLERVS defendit, ſed
cùm præfatus eſſet: Lento gradu „
progrediar, explicato tamen; li- „
bere;

Digitized by Google

bereque dicam quæ MARIANA „ dixit, non defendam. An hæc ſatis clarè? clauſulam etiam accipe: Hauſerit MARIANA opinionem unde „ unde; mihi aliiſve Ieſuitis neq; ver- „ bis aſſerta eſt, neque propugnata „ ſcriptis, quicquid tu contrà cla- „ maturus ſis. Ecce adverſarium ſuum innocentiſſima fiducia alloquitur: & te nunc adverſarium habet. qui affingis omnibus quod nemo defendit: ergo nec RIBADENEIRA, nec SCRIBANIVS, nec GRETSERVS, nec BECANVS.

Sed cur hoc vehementer magis magiſq; indies ſuſpicer, inquis, *liber facit Anglicus quidam, hic deprehenſus, è regionibus tranſmarinis in hanc Inſulam miſſus.* Quis iſte ſit liber, quis auctor, neſcio. Si verò, ut fateris, *doctrinam de occidendis Principibus Societati non probari teſtatus eſt*, quid maligniùs pergis ſuſpicari? at *Anonymus ille ſcriptor*, inquis, *poſtquam multa narravit* (*ſed ficta omnia & falſa*) *de præmiis à* LVDOVICO XIII. *Rege Chriſtianiſſimo, & Auguſtiſſimâ Regina in Ieſuitas collatis, affirmat*, MA-

RIANAM

RIANAM *totâ illa diſputatione non de Regibus loqui,ſed de Tyrannis: quod diabolicum eſſe mendacium affirmamus nos.* Leniter quæſo. nam profectò periculum eſt, ne committere videaris, quantum objicis. Primùm de Præmiis, falſa eſſe poſſunt, ficta eſſe non poſſunt, ſi falli Anonymus potuit. Sed hoc fulcro cauſſa non conſiſtit. Deinde, ſi concedamus etiam de Regibus MARIANAM loqui, nihil adhuc efficis; niſi ſentire omnes debeant, quod Anonymus ſcripſit: aut, ut lepidiùs aliquid dicam, niſi Anonymus ille ſcriptor, & Ribadeneira ſit, & Scribanius, & Gretſerus, & Becanus, & quicumque in Societatem adſcripti ſunt. at ego ignorabam, hos omnes Anglos eſſe, & Anglicè libellos ſcriptitare.

Vin' & ego pro Mariana loquar, nec mentiar? vin' defendam Diſputationem, nec delinquam? De Tyrannis, non Regibus agitur. Ad programma te remitto, lib. I. cap. VI. *An Tyrannum opprimere fas ſit?* Sic MARIANA inſcripſerat: tu mutas, &

ais: *An liceat Regem legitimum, puta Henricum* III. *Regem Galliarum Chriſtianiſſimum, poſtquam à paucis ſeditioſis, ſed doctis, cœperit Tyrannus appellari, occidere?* Hoc ut videas quàm remotum à vero ſit, oſtendam dictum ab Auctore non eſſe, imò ne potuiſſe quidem dici. A Rege occiſo occaſio Diſputationis ſumitur; Henricus nominatur, tragœdia deſcribitur; ſed non pro tuo ſcopo. Sententia hæc eſt: Quantum Tyranni timere debeant, in Rege diſcant: occiſus eſt: Sed de hoc facinore, in Regni, pænè Europæ factione, non una opinio erat: laudabant alii, vituperabant alii. Hi, ut majus ſententiæ ſuæ pondus adderent, ne Tyrannum quidem contendebant privati hominis injuriæ obnoxium eſſe. Aliud igitur in Diſputationem non venit; nec aliud præſcribi argumentum debuit. Duplici ratione jus Tyrãni occidendi privato homini Mariana permittit: primùm, *ſententiâ pronunciatâ*, quando aut Regni calculis dignitate exutus, Tyrannus & hoſtis declaratus eſt: deinde ante ſenten-

tiam

tiam pronunciatam, quando, ut Kellerus rectè, *judiciorum aditus interclusi ſunt, judices non terrarum modò; ſed armorum quoque interjectu diremptì.* quod breviter Mariana: *ſublatâ civibus inter ſe conveniendi facultate.* Atque Henricus III. neque capitalem Procerum audivit ſententiam, tanquam jure videretur ferro poſſe peti; neque conveniendi facultatem civibus ſuſtulit, qui ad arma iam venerant, tanquam ferro cauſam dicturi. Reliquum eſt, ut & Apologiſtæ, & Anonymo ignoſcas; quodque mendacium accuſâras, non eſſe iam fateare.

Sed quid attinet tam acerbis dictis Marianã compungere? Iam tum cùm ſcriberet, hominem ſe profeſſus eſt; & errare hîc potiſſimùm poſſe, ubi preſſit veſtigia, non invenit. *Hæc noſtra*, inquit, *ſententia eſt; à ſincero animo certè profecta: in quâ cùm falli poſſim ut humanus; ſiquis meliora attulerit, gratias habeam.*

Iam verò Apologiſtæ ingenium & candorem quàm iniquè accuſes, cùm poſteriorem Marianæ editionem cu-

ratam ſumptibus ais Wecheliano-rum; te R. Clariſſimuſque Andreas Schottus docebit. Hunc audi; & ſi amicum ſuſtines, aude deinceps os laxare. Quia igitur fruſtra heic fuiſti, aliam quercum excute.

Sequitur Emanuel SA: in quo viro indignaris, tantùm non reperiri quod oppugnes. Negat erraſſe hunc ſcriptorem Apologiſta: hoc ferre iterum non potes? Vide ne innocentiæ infeſtus ſis, & oblatrare videaris, quoties nihil eſt quod mordeas. Oſtende errorem, & triumpha. Tu verò tanquam generoſo furore actus, aliunde velut lapidem emiſſum ſequeris & apprehendis. Magnanimum pietatis invadis dictum, & turpiter exagitas. Cogita eſſe, qui malitiam, etſi ingenioſam, notare poſſint, ac reiicere. Calumniator Anonymus ex inſcriptione Pyramidis Ieſuitas appellare Hæreticos auſus erat. Eluit Apologiſta, & hoc egit, ut tales eſſe ſuos oſtenderet, quales maximè dolet eos pertinacia multorum eſſe, verè Catholicos, in fide atque religione

avita

avita conſtantes. Hac igitur occaſione verba illa, ut tu vertis nata: *Iungantur in unum dies cum nocte, tenebræ cum luce, calidum cum frigido, ſanitas cum morbo, vita cum morte: & erit tum ſpes aliqua, poſſe in caput Ieſuitæ Hæreſim cadere.* Conſtanti ſententia negat eſſe in Societate, negat fuiſſe, dum in doctrina Societatis perſtiterit, qui περὶ πίστεως erravit; qui ut turpiſſimus eſſet, neſcio quem referret. Quid agis igitur? Senſum innocentiſſimum corrumpis, & ſannis conviciiſque obruis. Vt defenſioni verba neges, ad iactantiam detrudis, quaſi ἀναμαρτησίαν περὶ πίστεως Societas præſumat, *privilegium* ut ais, *ne à Chriſto quidem ſingulis Chriſtianis abſolutè unquã promiſſum.* Sed lubet plena tua verba proponere, è non puro pectore efflata: LOIOLA *nimirum auctor veſter ſuis omnibus, ut jam diſco, præſtat beneficium, quod* IESVS CHRISTVS ὁ θεάνθρωπος *& ipſa bonitas ſingulis Chriſtianis abſolutè nunquam promiſit.* O ſermonis candor! ô pietatis ſpecimen! Si animum obſtinatum habes, tamen

aures præbe. Non removet à condi- tione hominis lapſum Apologiſta; ſed à conſcientia Catholici maculam: facit, quod non poteſt, niſi à ſubſannatore & hoſte Eccleſiæ Pontificisq; reprehendi.

Erraſſe complures Pontifices, quia dixerunt alii, tu repetis. Breviter Kellerus: *Complures hoc nomine infamari, ſed ab infamibus. Si quidam ſcriptorum eos reprehendêre, plures defendêre: cur illis creditur, non hiſce? Viri Chriſtiani eſt de chriſtiano bona credere, ubi bona narrantur; & meliora, ubi narrantur mala. Sed mali ſemper deteriora legunt, & reperiunt alios ubi ipſi ſunt. Verùm errârint aliqui (do rixæ finiendæ causâ; non enim pro verò habeo) errârint plures; quid victoria obtinetur? de Româ mihi quæſtio eſt, de Româ reſponderi volo: quando illa Chriſtum exuit? quando illa Deum deſeruit? quando illa fidem mutavit? Hic finis fandi eſt; hîc Sacra ſilentii, heic Angerona colitur; omnes muti ſunt, omnes piſces, nulla vox, nulla anima.*

Illud de Imperio Litterarum, è diverticulo allatum, profectò pulchrum eſt,

eſt. Scilicet timere & Reges incipient, ne Reges eſſe deſinant, quia Theologi Societatis eruditi ſunt; aut periclitari paſſim Academiæ, quia rudes eſſe ii nolunt, quos & præcipuè Hæreſis formidat, & Caſaubonus audet oppugnare. Ergo non parum peccavit tibi, qui efferre auſus, *Imperium Litterarum eſſe penes Ieſuitas.* Et quis ille? an Ieſuita? non. Quis igitur? Philippus Deſportes, vir doctrina & Poëſi præcipuè clarus. Quantùm video, ne laudari quidem poſſunt, quos vituperare nemo audebit, niſi aut non noverit, aut mentiatur. Quid? audire laudem, nefas erit? admittere verò, non ut jactes, ſed ut Sycophantæ alicujus mendaciis reſiſtas, horribile ſcelus? Dixerat ille, *Rudes eſſe Ieſuitas, & Litteras deſtruere*: opponit Apologiſta, quod vir Clariſſimus protulerat elogium. Tantúmne crimen eſt? Vellem hîc aut prudentior fuiſſes, aut modeſtior. Nam *ambitioſam jactationem, & ridiculum non minus, quàm ſuperbum* φρύαγμα μεγαλαχήματος Apologiſtæ exprobrare, id verò hîc aut

ridiculum, aut ſuperbum eſt. Quomodo ridiculum? Amplius damnas & exſibilas, quàm accuſare potuiſti. Quomodo ſuperbum? quicquid accuſas, videris ipſe uſurpare. Sed de Imperio Litterarum judicent alii & diſceptent; tu certè ille adhuc non es, qui Societati eripſes. Nam ut concedamus, utilem Litteris laborem tuum fuiſſe, & obſervitaſſe te, quod ad nitorem utriuſque Linguæ facit; nondum tu nobis tamen Hercules aut Dictator aliquis, ut præ reliquis emineas; & contemnere poſſis, quos nondum ſubiecisti. Ad rem igitur.

In librum EMANVELIS iniquus es, nonnullos ex Aphoriſmis ſublatos eſſe conquereris, quos ut jure reprehendas, *ſceleratos* nominas; & hoc ſatis, quia nominas. Sed quid eſt? ſiccine crimen augemus, cùm tollimus? Bona verba quæſo: crimen non erat tu interpretatione tua facis. Quid autem docuerat SA? *Clerici rebellio in Regem non eſt crimen læſæ Majeſtatis, quia non eſt Principi ſubditus.*

Hæc

Hæc verba quomodo accipienda, Apologiſta docet. Adumbrabo: eſſe, & haberi crimen, quod à Clerico ſcelerate agitur; ſed hîc læſæ Majeſtatis appellari non poſſe. imò verò minùs peccare Laïcum, qui in Regem ſuum rebellis eſt, etſi jura divina & humana eum Regi ſubjiciant. Sic verò Clericus ubi eximitur, etjam Laïco ſceleſtior eſt: ubi Principem non agnoſcit, Deum lædit. Ius expende, quod Eccleſiæ Reges detulerint, & vel invitus faſces libertati Eccleſiaſticæ ſubmittes. Crimen læſæ Majeſtatis humanum eſt, magnum in omnibus, maximum in eo, qui Eccleſiæ vivit, & Deo conſecratus eſt: etſi leviorem pœnam perſonæ dignitas faciat. Hoc ſi minùs placet, admitte nunc quoque, quod paullo aliter à KELLERO neſcio cui Anonymo reſponſum eſt, qui ſuam hanc calumniam fecerat, ut leviùs tu peccares: Mendacium in Emanuelem Sa injurioſum eſt. nam „ hujus doctrinam cum Mariana „ confert & æquat. Clerici re- „

bellio (inquit Sa, à te citatus) in Regem, non eſt crimen læſæ Majeſtatis, quia non eſt ſubditus Regi. Quid verò tu hinc extundes? An SA hoc loco de Tyrannorum cædibus agit? Cur tu ea, quę de cæpis dicuntur, ad allia transfers? Malitioſa iſta inſcitia eſt. Erudire paulliſper, ſi ignoras. Opinationem SA hunc in modum intelligere debebas. Rebellis in Regem, vel eſt ei civiliter ſubiectus, vel eſt Clericus, ab eius iuriſdictione exemptus: prior crimen læſæ Maieſtatis admittit, quia in Dominum ſuum arma capit; pro illo debebat: poſterior à crimine læſæ Maieſtatis excuſatur, eò quòd Epiſcopo aut Romano Pontifici ſubſit: à culpa tamen minimè liber eſt, uti nec à pœna, licet inæquali; quia ſcelus ſubditi maius eſt. Exemplo rem capies. Si parentem tuum iugules, non homicidium modò, ſed & parricidium committis; ſi verò alius quiſpiam eundem tru-

cidet

cidet, pariter homicidium com- »
mittit, minimè tamen parricidi- »
um; neque eadem damnatur pœ- »
na, qua filius, quem adeò magis »
addeceret, vitam patri de ſua tri- »
buere, quàm illam eripere, unde »
habet ſuam. »

Mitto Kellerum: Apologiſtæ tu quid opponis? verba & bilem. Vt Societatem vexes, iam *in Carmelita aliquo, in alio* quæris quod reprehendas. An fortaſſis exiſtimas omnes, *qui Romæ & in oculis Pontificis ſcribunt*, Ieſuitas eſſe? Exſpecto quàm mox dicas quoque, omnes qui in Britannia calamum moverit, ſceptra gerere; qui docti & eruditi audiunt, Reges eſſe. Ita eſt, vivit in urbe adhuc Domina Illuſtriſſimus, quem iterum in arenam trahis, BELLARMINVS: ſcribit quoque: ſed & alii hoc exemplo. ergo *jura Principum, & Regum Maieſtatem* γυμνῇ κεφαλῇ, *quod aiunt, novis quotidie paradoxis, ceu machinis quibuſdam, & tormentis bellicis oppugnant, & funditus nituntur evertere?* Tuæ voces ſunt, ſed voces: & *Quorſum hæc*

tam

ram putrida tendunt? Profectò Gyrgathum ſpiras. De Tyrannicidio pergejudicium Ducæi exquirere, & nova poteris convicia occupare. Quid malum, ut ille te doceat, *nequiter ac pernitioſè à Ieſuitis dici omnia ſcribique?* Scias igitur, nequiter iſta ac pernitioſè ſic exquiri.

Agmen hoc claudit Andreas Eudæmon---Ioannes Cydonius, & toto bello circumſeptus incedit. Quis virum eripiat ac ſervet? quis Homerica involvat nube, & ſubducat? Timere nefas. Stabit pugnabitque hic Heros, & bona cauſa fortis, calumniæ ſpicula elidet. Quia verus, audebit quoque facundus eſſe; nec in Sereniſſimum Potétiſſimúmq; Magnæ Britanniæ Regem peccabit, ſi ut pulverariam Catisbeii conjurationem magis deteſtetur, à crimine & culpa Garnetum removeat. Hoc enim agitur, non ut ſubducere infamiæ velimus, aut pœnæ eripere, quos turpiſſima conſcientia reos fecit: ſed ut ille defendi poſſit, quià nefario conſilio alienus, Regi non injurius, morte innocen-

nocentiam obſignavit. Sontem, fateor, nemo unquam ſine ſcelere excuſavit: ſed innoxium protegere, virtutis ac pietatis opus eſt. Tanta adhuc ſimpliciſſimum veritatis vultum iniuria non abſcondit, ut fallere omnes iniquus de Garneto rumor potuerit: aut diſplicere omnibus, quæ pro innocentia condemnata Cydonius conſcripſit. Lauda Regem; eloquium tuum conabimur vincere: feliciſſima ſecuritate maximas virtutes muni; votum augebimus: dolos, fraudes, machinas improborum diſjice; acclamabimus: oſtende auctorem, aut fautorem Coniurationis Carnetum fuiſſe; & ſupplicio ſubſcribemus. Nunc quoniam nihil, aut certè aliud adfers, patieris pro Eudæmon-Ioanne Apologiſtam, & pro hoc ſimul nos loqui, meliori adhuc vindice Societatis, quàm tu oppugnator acceſſiſti. Etenim quæ objicis, malis flabris coacta ſunt, & fallacem tantùm ſerenitati nubem inducunt. Pugnare audes, ut pulverem colligas; focum ſtruis, ut fumum

obiicias;

obiicias: moves omnia, ut rerum ſaltem umbris terreas. Sed quid eſt? Fac extrema, Sol tamen lucebit; deprime veritatem, tamen emerget; inclama hoſtes, Regem tamen etiam tuum colent: poſtremò peccet Garnetus, turpe ſcelus erit.

Vt cauſa hæc agitur & diſputatur, Cydonio malo credere, quàm Caſaubono. Negat ille ſontem Garnetum fuiſſe, negat tantum facinus in virum optimum probiſſimúmque potuiſſe cadere. negat; ſed cauſæ fiducia inconcuſſus. Tu ais: quid præterea? & ais, & ais. Actis credis, ſed nõ ſolidis; conjecturis accedis, ſed conjecturis. An hoc ſatis fortaſſis: Ieſuita erat? aliud certè adferre non poteris. Video quid velis; quod toties iam lego; hîc toto conatu aſſeris: Quia Ieſuita, parricida erat; quia Fidei negotium egit, probus eſſe non potuit; quia inſolenti ſpectaculo in Spica reſplenduit, tuo quoque convicio dignus fuit; deniq:, reus Garnetus, quia cùm in Regẽ non peccaſſet, occiſus fuit. At tu eodẽ etjam crimine

ne omnes obruis, quia unum accuſas. Vt prorſus tui diſſimilis ſim, breviter agam. Notabo pauca, quæ eminere viſa ſunt: quia Stricturas mitto, decumanos duntaxat errores feriam; reliquos, & quantum ſcribis, ipſe Cydonius diſſipabit ac proteret.

Ad res igitur *Magnæ Britanniæ venis.* Scilicet, ut tu nobis verus candidúſque narrator ſis, *Apologiſtæ, Cydonii, reliquorúmque iniquitatem & amentiam*, ut appellas, jugulaturus. Aures expurgo: Sibyllæ nobis folium recitabis: qui iam Britannos audis, falli non potes & ut faciliùs aliorum impoſturis fidem Rex Æquiſſimus adhibeat, tu colorem induces. Et quod fundamentum fabulæ ponis? *De rebus Moſchorum Moſchis credendum eſt, Turcis de rebus Turcorum, Iapanibus de rebus Iapanum.* Quid deinde? *De rebus Anglorum veris Anglis.* *Veris* tantùm Anglis? Fides igitur & tua laborabit, niſi *Veros* (non enim ſatis hoc vocabulum intelligo) appelles, à Pontifice alienos, Societati infeſtos, quacumque doctrina pertinaciæ mancipatos

tali loquitur. Pariter, ſiquis Equeſtris ordinis virum cum conjuge Londini in carcerem compingat, quòd is Sacerdotem è Societate, qui à quatuordecim annis Eboraci non fuit, ante triennium tamen inibi hoſpitio excepit; iure an iniuria agi dices? planè, niſi & tu *Verus Anglus* videri velis; iniuria. Hoc tamen factum eſt, & in ea inſula, & in ea urbe, ubi mentiri nemo poteſt: ubi qui *Veri* dicuntur, impunè non ſemel populares ſuos traduxerunt. Atque tum, ut ſuo accuſatio talò conſiſteret, teſtes quoque adhibiti, & iuramento affirmatum, quod erat *ἀδύνατον*. Viſum Eboraci virum, cùm Lovanii eſſet. Nos igitur lolio hîc victitamus? aut umbra falſi, quem oculis his vidimus, non vidimus? quem auribus his audivimus, non audivimus? nugæ. Certum eſt, vel fuiſſe hunc virum Eboraci, cùm non fuit; vel accuſatorem *Verum Anglum* unà cum teſtibus eſſe mentitum. Vides igitur quàm rerum Britannicarum fides in Britannis jam non vacillet; &

quàm hîc verè dici poſſit, quod adſcribis: *In ore duorum aut trium ſtabit omne verbum.* Hæc omnino eſt illa, ut appellas, *copia teſtium, dignitas perſonarum, privata ſcripta, publica acta,* quibus niſi credamus; *iniqui & amentes* ſumus. Hæc illa *veritas eſt, veritas* (audéſne dicere?) *certa, explorata, nota omnibus, de quâ vel dubitare inſania ſit, cui ſe opponere furor.* Etiam ampliùs! Hanc veritatem, quia audent ad examen deducere *homines, qui peculiari inſtituto & religione ſanctiore* IESVM *imitantur; artificio narrandi, conſtantia in mentiendo, & conſenſu mentientium conantur obſcurare, ac de memoriâ hominum tandem funditus delere.* Vin' dicam quid ſit? Qui IESVM imitantur, ut neminem decipiunt, ita nec decipi volunt. Religione veri ſunt, & mendacii ſcenam ubique ſipario nudant. Abſurdum igitur hoc iſtud tuum cenſe: *Veri Angli dicunt; ergo verum eſt: dicunt alii, ergo falſum.* Num Iudæis, Turcis, Paganis magis credendum adverſus Chriſtianos, quos perſequuntur, quàm ipſis Chriſtianis?

ne-

nemo id affirmet. Quid velim, facilè intelligis. Chinenſes & Iapanes etiam nunc ſanctiſſimos Chriſtianæ Religionis præcones graviſſimorum criminum accuſant: Pernitioſæ doctrinæ auctores eſſe, humanis carnibus veſci, & id genus alia: num fidem igitur adhibendam cenſes? tuis verbis cogeris: veri Chinenſes, veri Iapanes ſunt. Sed non diutius nodum hunc premo. Si tantum tibi jam otii eſt, inſpice quæſo *Plutonis per Ieſuitarum collegia peregrinationes*; libellum *Vero Anglo* dignum, nuper poſt Epiſtolam etiam tuam Londini editum, & non ſine ſumma impudentia Sereniſſimo Walliæ Principi Henrico inſcriptum.

Quæ igitur de Clementia Reginæ Eliſabethæ addis, utinam è fidei tabulis depromantur! Sed quî credam vera eſſe, quæ tot jam libris confutata ſunt, & in confeſſo paſſim habentur? Tuo eſt auſa ore Calumnia loqui, cùm falli potueris: & hanc erroris veniam impetras, quòd, cùm hoſpes & peregrinus ſis, minori culpa ignora-

re multa videaris: Illud prorſus, quâ cauſa in Catholicos ſævitum fuerit, regnante Eliſabetha. Si *Religionis* dicam, *meram eſſe calumniam*, *meram Sycophantiam* exclames. Si dicam tamen, fruſtra exclames: dicam enim quod negare non poſſum, niſi mendax ſim.

Ejuſdem commatis reliqua tua ſunt, & verborum fallentium ſolo apparatu inſtructa. Nam Hartum *&* Boſgravium *ceſſiſſe adverſariis in Quæſtione de Poteſtate Pontificis*, tam verum eſt, quàm Edmundum Campianum abſolutum eſſe, cùm in Reginam non peccaſſet. Ceſſiſſe autem quomodo perſuades? Quia in exilium miſſi ſunt, Edmundo jam damnato? hæc enim ratiocinationis tuæ vis eſt. At plurimi exulârunt etiam, qui de neganda Pontificis Poteſtate ne quidem cogitârunt. Hîc deſiderabam acumen tuum.

Prætèrea quas invitus nominas *ſupplicior um diras & horribiles ſpecies*, faciliùs credam, quod voves, *non videndas in hoc regno*, quàm, quòd affirmas

firmas, non viſas. Non videndas, quamdiu ſceptrum Sereniſſimus Clementiſſimúſque Rex Iacobus geret. Viſas autem, cùm femina regnaret, *nec in cerebris fingentium pingentiumq; impiè & ſceleſtè natas*, fideliſſimus rerum Anglicarum ille ſcriptor adverſus Equitem Franciſcum Haſtingium oſtendit. Comitatum Lincolnienſem adi, Louthum luſtra; fortaſſis tantæ crudelitatis adhuc veſtigia invenies. Iam quid Nicolaus Sanderus, libro I. De Schiſmate Anglicano; quid alii dicant, ſcribant, pingant, ac omnino ſciant, non te fugit. Fruſtra verò. nam qui dicunt, *mendacia* tibi *mendaciis cumulant*; qui ſcribunt, *ſcelera ſceleribus*; qui pingunt, *portenta portentis*. Opportunè verò lanienam iſtius temporis Severitatis vocabulo lenis, & latas in perniciem Catholicorum leges, Antiquitatis exemplo, atque Senatusconſulto Silaniano, iniqua neceſſitate conaris excuſare. Neque enim ab orbe adeò noſtro diviſa Britannia, ut quod ibi geratur, extra notitiam reli-

quæ Europæ remotum ſit; aut tot jam anni ab Henrico VIII. elapſi, ut cruenta rerum memoria evanuerit. Agnoſcis, quod accuſari poſſit; ſed involvis: Draconis non inficiaris leges; ſed *temporum neceſſitatibus, adverſus Romanos Pontifices expreſſas eſſe, poteſtate ſuâ licenter nimis abutentes.* Confutata dicis: ego peccem, ſi abutar tempore, ſi quæ dicis etiamnunc confutem. Ceterùm, *Non in odium,* ais, *Religionis Catholicæ leges latas fuiſſe, quæ ab aliquot annis obtinent.* Quid ita? *Quia Religio Catholica in Eccleſiâ Anglicanâ, paucis emendatis & ad priſtinam ſimplicitatem revocatis, quoad ejus fieri potuit, cùm maximè viget.* Lepidum ἐπιχείρημα! Sed dicas eâdem ſollertiâ Romam Londini eſſe: te Catholici nomine atque dignitate auctum, poſtquam in Britanniam trajeciſti. Antea quis eras? neſcio, ſileo: ubi eras? ubi neſciri ac ſileri ipſe poteras, ſi Theologus eſſe incepiſſes. Tanti igitur erat hoc ætatis Catholicū fieri, ſed ne eſſes; & Theologum agere, ut ſanctiore fama inclareſceres. Poteris

tu

tu quoque ad pleniorem aliquam e-mendationem te accingere, *& quoad ejus fieri poterit*, abſolutiſſimam nobis Eccleſiam dare. Bone Lector, hic ſeculi noſtri fatalis morbus eſt: novitate ingenioſi, corrigere Religionem plerique auſi ſunt; ſed ut corrumperent. Circa divina ludere, imò laſcivire, efficta pietatis ſcena ſuſtinuit. Quaſi dicas; Deſere Eccleſiam, ut invenias; ſperne caput, ut conſtituas. Theologi hîc loquantur, Catholici ſapiant. Ego ſanè neſcio, quomodo veram quis Religionem emendare poſſit, ſi ab eâdem ſe disjungat; quomodo corpus conſtituere, ſi caput tollat: quomodo gregi conſulere, ſi Paſtorem repudiet.

Et tamen *hoc jam aliquot ante* Henricum VIII. *ſecula cœptum agi*, ut ad primam ſimplicitatem Eccleſia revocaretur? Avia narravit. Quid? *graviſſimè errare tibi, qui in Henrici facto hærent, neque ad priora tempora animum revocant?* Scilicet antequam Helena eſſet, Ilium periit: antequam Henricus amaret, Bolena aliqua in Britan-

nia pellex fuit. Et pergis tamen ad veteres Anglorum hiſtorias Lectorem remittere. Rex fortaſſis alius cum Regina divortium fecit? Video, quod ſomniare tantùm potui: repudiare auctoritatem Pontificis in Britannia hactenus Rex quicumque auſus, qui res ſuas uxorem habere juſſit; & oppugnari Eccleſia debuit, quoties adulterio non ſubcripſit.

Nam fuit ante Helenam mulier *teterrima belli*
Cauſſa.

Nihil verò pulchrius: *Etjamſi*, inquis, *Henricus* VIII. *non fuiſſet; viam tamen fata inveniſſent, & quod factum eſt, futurum fuit.* Quaſi dicas: Non poterat flos ille univerſalis doctrinæ in magnæ Britanniæ Regno perennare; & aliqua temporum hieme intercidere veteris Eccleſiæ dogmata debuerunt. Poſt Trojam captam Calchas fuiſti. Audiamus porrò: *Quod in Angliâ videmus accidiſſe, etjam in aliis regnis, ne dubita, eveniet, cùm erit menſura plena, & Deus volet.* Sed Malum eveniat; ergo non volet Deus, ſed

per-

permittet ; imò non permittet, ſic vota bonorum locum habeant. Vt verò tuum hoc præſagium eſt, plures nunc quoque Bolenæ erunt: & ubique tandem, ut impii ſint Reges, legitimum facient pellicatum. Ergo, ô Deus! ſceleſtus erit Pontifex, quia ſcelera non tolerat? contrà *ſanctiſſimus tibi Præſul, & verè Dei plenus, pietate & doctrinâ maximus, Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, qui moriens & beatam animam Deo reddens, Papam omnium malorum eſſe cauſſam confirmavit, Hæreticum & Antichriſtum appellans*? Exclamem nunc verè, *periſſe frontem de rebus.*

Progrederis nunc, & ad Sereniſſimi Regis IACOBI laûdes ſermonem transfers, à me certè non culpandum. Vbi verus es, Strictura meæ non urunt. Ac ſanè in illo Principe benignior nobis natura oſtendit, quod hæc & alia ætas admiretur. quid etiam ? ſalvum & florentem eſſe cupimus, & nequid piis deſit votis, qualem priſca Religio Æternitati conſecret. Nunc ſi Catholicum

non dicimus, quid peccamus? imò verò peccamus, ſi dicimus. Tantum nomen in nova Eccleſia eſſe non poteſt. Tu interim ex tranſverſo in Cardinalem BELLARMINUM hîc incurris, & ut prompta calumnia ſit, ingenio uteris: ut malè Regem laudes, perperam excuſas. *Sereniſſimus*, inquis, *Rex* IACOBUS *hanc doctrinam de temporali Pontificis poteſtate reſpuit, deteſtatur, abominatur.* Quam ob cauſſam? *Quia priſca Eccleſia inauditam, quia famoſam, funeſtam, exitiabilem, quia pernitioſam ſuo, aliorumq́ue Principum imperiis.* Tu ais: quid inde? Quia reſpuit; *Cardinali Bellarmino Catholicus non eſt, ne Chriſtianus quidem.* Non ſine injuria aut ignorantia hæc à te dicuntur. Negat Bellarminus Regem Catholicum eſſe, ſive, quod pariter uſurpat nomen, Chriſtianum; quia clara rationum face oſtenderat, in plurimis graviſſimisque Religionis dogmatis eum ab Eccleſia diſſidere. tu (qua fide, aut qua fronte?) poteſtate Pontificis totam ſententiam oneras; quaſi Bellarmino Catholicus
non

non ſit, ne chriſtianus quidem REX IACOBVS, ſi nulla erroris opinione depravatus, ſolam Pontificis in temporalibus poteſtatem recuſet. Breviter: aliud Bellarminus dixit, aliud tu reprehendis; prorſus quod ille non dixit. Quid reliquum eſt, niſi ut in reliquis te credamus tam verum eſſe, quàm candidus hîc fuiſti? imò quid reliquum, niſi ut de reliquis dubitare virtutibus Magni Regis omnes incipiant, quem ut Catholicum faceres, admirabili verborum argutiola Poteſtati Pontificis exemiſti. Deſine: quantum peccare adverſarii poſſunt, tu committis: ut laudes Regem, alienam famam calumniæ ſecuri vulneras. Sic nunc quoque, quia res Britannicas EVDÆMON-IOANNES narrat, verus tibi non eſt: quia nulla adhuc verborum arte coarguitur, *mẽdaciſſimus nebulo, portentoſiſſimus falſarum rerum hamaxarius eſt.* Bene ſpero: evomuiſti. Sed conviciare, quantum porrò calamus audet: *Siniſteritatem, vecordiam, & malitiæ furorem*, & quæ reliqua congeris, objice; verita-

tatis

tatis faculæ relucebunt. An hoc ſatis: *Cres eſt?* Sed profectò *nec fingunt omnia Cretes.* Quid etiam? *Rhetorculus eſt?* Sed præſtantiſſimus quoque Philoſophus & Theologus, veritatiſque cauſſam facundè agit. *Eruditus non eſt?* ſed hanc Epiſtolam tuam vincit.

Video verò errantis adhuc multiloquentiæ tuæ ſummam. In Regem, Regiamq; familiam conjurare, ſatis immane non erat facinus, niſi Societatis Patres accuſarentur: tantúmque jam odium Ordinis illius Virtus, Pietas, Integritas, denique Innocentia meruit, ut quod extremum crudelitatis conſilium horribili ſcelere initum fuit, auctores Ieſuitas neceſſariò habuerit. Hi, inquis, *Siſyphi, vel Autolyci ſubtiliſſimam rationem excogitarunt, qua idipſum ferè in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit.* Et quo teſtimonio hoc ipſum conſtat? Sacro, Watsoni neſcio cujus, & Clerci. Hi igitur, quia adverſus Regis ac Regni quietem, anno ∞.ΙↃC. III. clande-

ſtina

ſtina machinatione conſpirarunt, ſcire potuerunt, quæ ſcelera Ieſuitæ texerent; quia deprehenſi, indicare. *Dixerunt* nimirum *illi, ſæpéque conſtanter affirmarunt, ſe cùm ſua conſilia Ieſuitis in Anglia tum degentibus communicaſſent, petiiſſentq́ ab iis, ut tã præclari ſcilicet incœpti participes eſſe vellent; reſponſum tuliſſe, Non poſſe Ieſuitas illis ſeſe adjungere: ut qui ſuam ipſi quoque parilem telam orſi, memorabilem in ævum technam pararent, tempore opportuno exitum habituram.* O lepidum commentum! & potuítne aliquid craſſiùs ineptiúſque proponi? Finge jam, quod falſiſſimum eſt, conjurationis alicuius conſilium Ieſuitas iniiſſe: manifeſtaſſe, præſertim cùm hos conſortes recuſarent,

----credat Iudæus Apella,
Non ego.

Quia magnum hoc totius criminationis fundamentum eſt, non piguit accuratiùs in WATSONVM CLERCVMQVE inquirere. Res ſic fuit. Vterque Ieſuitis infeſti fuêre: ſæpius viſi cum Epiſcopo Londinenſi agere, in hanc rem intenti, ut quos odiſſent, è Bri-

è Britannia ejicerent. Poſtea (ô quæ conſilia!) inſidiæ Regi à nonnullis ſtructæ, inter quos, ut eventus edocuit, anteſignani WATSONVS & CLERCVS. Quid Ieſuitæ? ut cladem averterent, quia Religione non prohiberentur, indiciū procurarunt. Clarum igitur, quid WATSONO & CLERCO credi debuit; imò quid iam tibi, qui ſine examine fidem impendis, & ægrorum ſomnia, velut oracula repræſentas. Pulchrè, pulchrè: tanquam re bene geſta in theatrum, ut ita dicam, noxios producis, atrocitatem ſceleris, quia nihil in carcere, nihil in iudicio actum fuit, damnatis obiecturus. Sed greſſum profer: inſontes oſtendes, quia non convinces; & ad publicum innocentiæ argumentum accedet, quòd hanc cauſſam CASAVBONVS diſputabit. Nullum crimen erit, ubi tu nullus; & verba verba duntaxat erunt, ubi nihil tormenta potuêre.

Quatuor omnino ſunt, quibus Conjurationis immanitas objicitur: Garnetus, Oldecornus, Grenwellius,

tis, Gerrardus. Sed omnium hîc cauſſam Garnetus ſuſtinet. Is igitur petitur, in hoc uno ceteri oppugnantur; quem ut faciliùs credamus ſceleſtum fuiſſe, impium conaris oſtendere. Et quorſum tam longa & laborioſa calami circumductio? Verba in compendium ſtringe, & ſemel effer: Catholicus fuit, Sacerdos fuit; poſtremò, nequid deſit, Ieſuita fuit. Nam profectò, ſi vana & fucata, quæ ſententiam cumulant, veritatis flabello diſcutiantur, aliud non dixeris. Sed Garnetus, quia Catholicus fuit, impietatem exhorruit; quia Sacerdos, ſcelera deteſtatus eſt; quia Ieſuita, innocens eſſe potuit, & tamen accuſari. Inſpice mortem, & concede tandem viro, quod nemo eripiet: imò permitte, ut pro Garneto loqui ſaltem poſſint, qui conjurationem iſtam pulverariam magno affectu exſecrantur. Ergo quod ad Acta, an *inconcuſſæ fidei monumentum* appellari debeant, Cydonius oſtendit. Virum quidem deprimis: vin' dicam? quia rationes non potes.

Litteræ

Litteræ ſequuntur, & *apertiſsimam criminis* ſcilicet *confeſsionem* habent. Litteræ? & à Garneto. à Garneto? imò ab adverſariis ipſis. Sic ſcribunt, qui innocentem accuſare ſuſtinent: ſic, qui mentem adulterare alienam auſi ſunt, & manum potuere. Ne miremur: ingenioſum quoque ſcelus eſt. Sed ne ſcribere tantùm poſſet Garnetus, cùm ne manus quidem haberet, loqui etiam potuit; & linguam invenit, cùm non eſſet ampliùs. Quæ vivus nunquam dixit, extinctus, & in hac Epiſtola iam protulit. Ergo apud Britannos & ſcribunt, & loquuntur mortui, quos Caſaubonus patricidas nuncupat. Quod ad vocem attinet, evaneſcit, quia falſa eſt: aliquid ponderis litteræ habeant, quia durant. Plures ſunt; ſed in contumeliam integerrimæ mentis à calumniæ myſtis confictæ, & ſic ſpernendæ. Etenim quam fidem mereantur, ab unis his diſce, *Ad dilectiſſimos Patres & Fratres.*

Quatuor hîc rationes infeliciter conſtruuntur, quibus ad confiten-

ctum conjurationis crimen ſe coa-
ctum Garnetus ſcribat. Prima: *Ac-
cuſabant me reliqui omnes conjurati.*. At
hoc falſum, ſi fides ulla Actis haben-
da, ab adverſariis editis: nam quid ibi
nobiles conjurati? negant conſtan-
ter, vel Garnetum, vel alium quem-
vis Sacerdotem mentis ſuæ conſilii-
que conſcium fuiſſe. Secunda: *Catiſ-
beius uſus ſemper apud eos fuerat auctorita-
te mea, quâ adduxit penè omnes, ut bene
ſentirent de negotio.* Sed an unus ali-
quis ex omnibus hoc affirmavit: ne-
mo. Tertia: Duo quidã *Corycæi ipaudie-
rant me cum Oldecorno colloquentem, atq;
tota de re apud eum diſſerentem.* Quid
audiverint, ex inſidiis prodiderunt:
certè non quod hic fingitur, partici-
pem aut conſcium funeſti conſilii
Garnetum fuiſſe: hoc duntaxat: V-
num eſſe, à quo accuſari poſſet, ſe de
conjuratione, quam continuò dete-
ſtatus fuit, in Confeſſione cognoviſ-
ſe. Ergo revelare debuit? neſcivit,
quod ſic ſcivit. Sacroſanctum hic
ſilentium eſſe, ſemel à Theologis
diſce; imò utile Regibus, ſi expenda-

tur. Tu callide, cur diſſimulas? Quarta: *Litteræ etiam à me aurantiarum ſucco ſcriptæ ad* D. ANNAM *neſcio quomodo in illorum manus pervenerant, quibus ſententiam meam non obſcurè confeſſus ſum.* Fraudem ſubeſſe à viris fide dignis edoctus ſum. Scripſerat ad nobilem illam virginem Garnetus: ſed de conjuratione nihil. eæ litteræ interceptæ ab adverſariis, occaſionem fallaciæ dederunt: novæ effictæ ſunt, in quibus criminis confeſſio erat. hæ porrò delatæ, tanquam à Garneto eſſent, nunc tanquam poſtumæ ad obruendam innocentiam valent: in iudicium Reo adhuc vivo non productæ. Quid mirum autem calumniæ technis iam mortuum peti? viventem, & in ipſo ſupplicii pegmate impudentiſſima injuria exercuit. Aderat, neſcio an pro more, Vrbi-à Memoria, qui ut conjuraſſe Garnetum tandem omnibus perſuaderet, publicè aſſeverare auſus eſt, Ipſius autographo ſcelus ſe manifeſtum habere. Ille verò innocentiæ ſecuritate animatus, cùm Deûm hominéſque ob-

teſtatus

teſtatus eſſet (& quanta non frequentia confluxerat!) Age, inquit, quia & morienti ſtatuiſti eſſe injurius, prome ſiquid habes. Ego quod ultimo poſſum, veritati impendam ſanguinem, & optima conſcientia iniquiſſimam famam ſuperabo. Magna exſpectatio populi erat. Accuſator igitur, ut criminationis fraudem dolo tegeret, perſcrutari ſinum cœpit, cúmque fruſtrà operam ſumeret, pro ſcheda vocem prompſit; & quia improbè facere non potuit, dicere tamen ſuſtinuit: Eas jam litteras ad manum ſibi non eſſe. imò, addit Garnetus, Ne eſſe quidem, aut fuiſſe unquam: & in hanc ſententiam, cùm Catholicis turbulenta in regem conſilia diſſuaſiſſet, laqueo necatus, ac deinde diſſectus, ſanguinem fudit; dignum verò, qui miraculo inclareſceret, & in ſpica, iam non caſſa, Martyrem effigiaret. Quid tu hîc Casaubone? *Rem abſurdam, ridiculam, & falſam* nominas, *à zelo præpoſtero & veritati inimico*. imò *ſtramentitium miraculum, ab impoſtoribus lepidè excogitatum*,

etſi parum venuſtè à malo pictore concinnatum. deniquejuvenem ipſum, qui adſperſam cruore Spicam abſtulit, neque adhuc imaginem animadverterat, *rerum imperitum*, *ſuperſtitioſum*, *fanaticum*, *& delirum*. Nihil agis: laborat cauſſa, cùm ad convicia itur. Quam tulit Spicam Ioannes Wilkinſonus (hoc juveni nomen fuit,) viderunt alii, viderunt viri, & ii graves, probi, cordati, ſerii. viderunt, & vultum non humana arte factum, confeſſi ſunt. His omnibus niſi oculos eruas, à meis tu jam STRICTVRIS cæcutias neceſſum eſt: qui ſuffuſum maligna caligine animum geris. Audeo & ab adverſariis ipſis miraculi fidem exigere, à luminibus conſilii, à primoribus Regni (cujus enim manum imago non ſubiit?) una vox omnium erat, Amplius hîc eſſe, quàm ingenium etiam peritiſſimi pictoris exprimeret. Ergo ut fucus veritatem obfuſcaret atque eluderet, novæ efficta ſpicæ; ſed mox agnitæ ac deriſæ, in confirmationem miraculi valuerunt.

Alia

Alia adfers: cur perſequar, aut perſtringam? ſponte ſua cadent, quæ ſtruxiſti; imò ceciderunt, antequam cœpiſſes ſtruere. Poteras ſanè pleraque non dicere, ut moderatior æquiorque eſſes: de Æquivocatione verò & Confeſſione (quæ aliquam libri tui partem conficiunt) tacere, ne alienam ſententiam viris Theologis non Theologus affingeres: aut in rebus Fidei non Catholicus peccares. Alia ſanè Litterarum, alia Religionis Criſis eſt. Eruditionis laudem nemo tibi eripit: ſed tuo te pede metire.

Tecum habita, & nôris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Vbique ſapere, & ſummum eſſe velle, quia in Græca atque Latina Philologia plus ceteris aliquid notâſti, hoc verò deſipere eſt. Non qui nare didicit, aëri ſe committit. Dædalus ſis licet, mediocritatem ſi excedis, in ruinam ingenioſus es. Etiam atque etiam conditionem tuam cogita, & quàm Theologo non conveniat.

gitur, ſupra Diademata Chriſti Vicarius ſit; cùm Reges peccant, in Deum legéſque Divinas bellum movent, & potentia abutuntur, frenum inveniant, à Pontifice corrigantur. Chriſtiani ſumus: ſed tales quoque ſi Principes facis; vide qua prudentia, aut qua pietate ſalutarem Eccleſiæ Poteſtatem excludas. Quid malum! ſi in ſcelus, in hæreſin, in idololatriam, in atheiſmum peſſum omnia ruant; ſilebit ille, qui unus hîc loqui poteſt? quieſcet ille, qui unus pro Eccleſia vigilat? connivebit ille, qui unus ad ſalutem ſeverus eſt? Orbem cogita, mare eſt; Eccleſiam cogita, navis eſt: plus niſi reliquis poſſit, qui clavum regit, malè navigabis: & tamen qui vehuntur, tales nihilominus erunt, quales Natura aut Fortuna fecit. In ſervum Dominus poteſtatem habebit, in filium Pater, ſic quidem navarcho non obnoxius. Summus erit Princeps, etiamſi videatur non eſſe. non enim tam ipſum, quàm mores ejus extremos Pontifici ſubjicimus: ut, ſi pietate Chriſtia-

nus eſſe velit atque Catholicus, jam ſceptro ſuus, ſciat, quis CHRISTI in terris vices gerat.

PLVRA hîc ut dicam, non eſt opus: & pauciora tu dixiſti. Nonne, ſed verbis copioſus es. Hæc ſi ſpectem, Atticus ego ab Aſiatico victus ſum; ſi illam, vici. Sic vinci debui, ut vincerem: ſic vincere, ne dixiſſe omnia viderere. Ad ſummam, tuum ſi componis librum, modeſtus fui: bonæ cauſæ dum cudi ferrum, STRICTVRAS miſi. Has ſi contemnere potes; aliorum licet incipias faces, ignes, fulmina timere.

----ἀλλά σ' ἔγωγε
Παύσασθαι κέλομαι, μηδὲ ξανθῷ Μενελάῳ
Ἀντίβιον πόλεμον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι
Ἀφραδέως, μήπως τάχ' ὑπ' αὐτοῦ δουρὶ δαμείης.

----Aſt ego nunc te
A bello ceſſare volo, flavum neque Atridem
In dubii rurſus ridenda laceſſere Martis
Prælia, ne Graia ſternaris cuſpide foſſus.

TY.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

Quomodo ſcripta, atque etiam edita ſit Epiſtola CASAVBONI, quâ de Apologia diſſeruit, quæ & hîc confutatur, indicat ipſe his ad eundem FRON. DVCÆVM litteris. Subjicere exemplar placuit, quia quædam ex eo verba deſumpta ſunt, & initio STRICTVRARVM ab auctore poſita.

IS. CASAVBONVS FRONT. DVCÆO S. I. Theologo, V CL. S. D.

QVAM promiſeram, Epiſtolam mitto ecce tibi, Vir Clariſſime: mitto autem editam, non, ut conſtitueram, manu meâ deſcriptam. Hoc non voluntate meâ, ſed juſſu Sereniſſimi Regis, in cujus poteſtate ſum, eſſe factum, ſi mihi affirmanti credere non vis, candorem meum utique non noſti. At ſcit Deus ὁ καρδιογνώστης, hanc fuiſſe & initio & ſemper mentem mihi. nec te fugit, eos qui apud Reges vivunt, non ex ſuo pen-

dere arbitrio, ſed ex alieno: καὶ γὰρ ἐλεύθεροι μόλοισι, δῦλοι γίνονται. Cùm igitur ea ſcriptio mihi eſſet abſoluta, & Regiæ Majeſtati oſtenſa, ſtatim juſſus ſum id agere, ut quàm primùm typis vulgaretur. Deinde ubi ceſſare ſum viſus, iterum atque iterum repetita juſſio eſt, datumq; negotium illuſtriſſimo Præſuli D. Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut perficeret, quod Rex cupiebat. Ita liber eſt editus, in quo nil te reperturum confido, quod queri poſſis cum aliquâ tuâ injuriâ eſſe conjunctum. De re acriùs fortaſſe aliquid eſſe dictum videbitur: ſed cogita rei atrocitatem, & quid ſibi velint exitiabilis doctrinæ auctores. Mihi illa ſcribenti, ob oculos ſemper eſt verſatus HENRICVS *Magnus, cujus cædes fructus eſt ejus diſciplinæ. Apologetici veſtri Auctorem prorſus ignoro. Quiſquis ſit, ſibi imputet, ſi quid inclementiùs putabit dictum. Nam quare defendit tam perniciofum dogma? Nulla mihi cum veſtrâ Societate privata ſimultas intercedit, colo doctos in illâ viros:* BONARSCIOS *non amo, neque ab illis amari laboro. Si nemo præter te mihi reſponſurus eſt, exſtabit exemplum controverſiæ*

inter

Inter nos modeſtè agitatæ. Si fuerit BONARSCIVS, *qui tantâ petulantiâ in me eſt invectus, paratum eſt telum, quod magnâ vi retorqueam. Sed meliora Deus immortalis! Tuam amicitiam cupio mihi manere ſartam tectam: manebit autem, ſi ſcriptum meum comparaveris cum Anticotonibus, Theatris Antichriſti, Myſteriis iniquitatis, & id genus aliis hominum, qui ut olim Auguſtus, deſtruunt aliena meliùs, quàm propria tuentur. Vale. Londini* VIII. *Kal. Novemb.* CIↃ.IↃC. XI.

ANDREAS EVDÆMON IOANNES ERYCIO PVTEANO V. CL. S. P. D.

OBſtrinxerunt me tibi elegantiſſimæ tuæ in Caſaubonum Stricturæ: ita breviter acutéque perſtringis hominem, ita Eccleſiæ, ac Societatis cauſam appoſitè tueris. Nam, quòd immerentem me ita ornas, amo equidem amorem tuum; ſed pa-

ſe tua dixerim, abundas laudibus, quas tam liberaliter profundis. Luminis id tui eſt, Vir Clariſſime, ut rebus etiam obſcuriſſimis lucem impertias. Delectant me jam Caſauboniana probra tam decora laudibus tuis. neque ut res quidem hîc agitur, accuſatore caruiſſe maluerim, quàm patrono. Illi, etſi contumeliosè acceptus ab eo ſum, quia injuriam mihi factam nullam duco, nunquam ſuccenſui, lucri præſertim ſui cauſa,, non livore animi maledico. Nunc verò etiam tantum maledictis ejus vindicem nactus, plurimum debeo. Scripſi in eum auſteriùs, ut docerem ſenem, quod adoleſcentem didiciſſe par fuerat; Inter viros doctos rebus, non conviciis certari. quæ neq deeſſe volenti cuiquam poſſunt; & ut ab humanitate maximè abhorrent, ita virum humanioribus litteris eruditum minimè decent. Et verò rerum ſuarum ſibi conſcius cavere debuit, ne multò turpiora verè ab aliis audiret, quàm quæ falſo ipſe jactaſſet. Ad me redeo-

do

de quo ut in hac tenuitate mea nihil polliceri audeo, ita nihil eſſe profiteor, quod non debeam. Vale Clariſſime atque Eruditiſſime Vir. Romæ, XII. Kal. Maii, M.DC.XIII.

P. IVLIVS NIGRONVS
Raphaëli Montorfano ſuo
S. P. D.

QVæris ex me, Præſtantiſſime atque amantiſſime MONTORFANE, quid ſentiam de STRICTVRIS Clariſſimi Doctiſſimique viri ERYCII PVTEANI, quas nuperrime adverſus Epiſtolam quandam Iſaaci Caſauboni ſcripſit atque edidit: tuque mihi legendas poſt Illuſtriſſimum Cardinalem BORROMÆVM auctoris juſſu tradidiſti. Miror equidem quòd non à P. Lælio Biſciola id percuncteris, me ſeniore, doctiore, prudentiore; cujus ſubſecivarum horarum primum atque ingens volumen teſtis eſt locupletiſſimus, quan-

quantam in pectore ſapientiam, de Græco Latinoque fonte hauſtam & contineat, & effundat. At rogas amicus amicum, ac de amico rogas. Nigronus Montorſano negare poteſt nihil: ſed qua fronte Nigronus de amico Puteano primario dicendi magiſtro, Belgii Suada, Lipſii æmulo iudicium ferat? Hæreo: ſuſpicionem horreo violatæ amicitiæ; ſenex erubeſco. Quid conſilii capiam? Non dabo ſententiam: narrabo quid acciderit, cùm libellum in manus ſumpſi, & quidem avidiſſimè, quòd Puteani eſſet, quòd eius nomine, quod ab amiciſſimo Sacco, quòd per te offerretur. Protinus in eum oculos conieci: ſed ecce, legere conanti tanta lux oboritur mihi, vt præſtingeret aciem, ac penè præſtingueret lumen oculorum. Venit mihi in mentem illius Lucretiani:

Sol etiam cæcat, contra ſi tendere pergas.

Strictvræ quidem nominantur, quas exercitata manus Erycii, gravis ingenii malleo extudit, cum

Epi-

Epiſtolam ferream Caſauboni caſtigabat; ſed ô bone Deus, quæ libelli pars non iacit flammas & fulgura pro ſcintillis? Conſulendum oculis cenſui, qua ratione in Eclipſi Solis contemplanda ſolemus. Velum interpoſui, ne ſcintillæ tam validæ ferirent, ut hebetarent oculos. Velum inquam benevolentiæ PVTEANI, quam veſtro beneficio ô Sacce & Montorfane adeptus ſum, ſtatim oppoſui: velum illud, quo velantur Amoris oculi, tantiſper ab amore mutuatus ſum, ut mihi munirem oculos in tanto ſplendore non Strictura-rum, ſed ſtellarum ac fulgurum. Tutus à nimio fulgore libellum non legi, ſed devoravi, totaque hauſi mente. Pelluxerunt virtutes omnes, ſi tamen omnes acies infirma velataque videre potuit. Obiecit ſeſe ante alias Prudentia magiſtra rerum gerendarum in dictione ſcriptionéque dux chori. Splendeſcebat in iuſtæ cauſſæ delectu, in patrocinio veritatis. Defendit, non accuſat. Hunc clypeum opponebat magnus ille magiſter elo-

quen-

ab iis, quibus Vicaria CHRISTI poteſtas in terris diſplicet, atque hac defenſione ſocietatem non in Belgio tantùm pro fide laborantem, ſed toto orbe diffuſam oppigneravit. Porro in Rege magnæ Britanniæ laudando, prudentiam quoque prompſit. Quid cùm ſeparat cauſſam à perſona? Errores inſectatur CASAVBONI, non hominem, ut ille laudatus Euphrates à Plinio. Quid de acumine diſputandi dicam? Italorum morem in Italia didicit, atque induit. Punctim ferit ſæpius, quàm cæſim. Capulo tenus, ut ille, abdit enſem in viſcera. Non ſolùm acuta vibrat tela, ſed etiam ornatu fulgentia. Vim quoque admirabar. Quoties repetit ictum (repetit enim ſæpe) toties adverſariū de gradu deturbat: non terret tantùm cùm fulgurat, ſed munimēta hoſtis diſiicit & exurit. Opto, ut, ſi ille reſpōderit, PVTEANVS ne deſiſtat, ſed inſtet, urgeat premat, tacēre cogat. ſit hæc tanquā prima velitatio: juſtum prœlium ſequatur, niſi ille fugerit. Magna laus cum magno viro certaſſe ſine vulnere,

maxima viciſſe. Vale ex æd. S. Fidelis xiv. Kal. Octobris M.D.C.XII.

P. LÆLIVS BISCIOLA Raphaëli Montorſano S. P. D.

QVOD humanitati tuæ, quod PVTEANI amicitiæ, quod rei ipſius debeo veritati, en perſolvo. Sciſcitaris ex me de PVTEANI STRICTVRIS iudicium. Stricturæ planè ſunt, ſtringunt; ita vincula ſunt, quæ ſceleratus non effugiat Proteus, aut quiſquis Proteo ſimilis. Vrunt etiam. Quidni? Ignis ſunt. & verò etiam confodiunt. tela ſunt, enſes ſunt. Ferrum ſtringere Latinè dicimus bellatorem. PVTEANI STRICTVRÆ ignitum ferrum ſunt, quo punctim, & cæſim hoſtem appetit, uritq; Herculis inſtar in Hydra conficienda: hoſtem, inquam, non ſuum, ſed Catholicæ Eccleſiæ; immo ſuum, quia hujus. Bellator mihi viſus eſt PVTEANVS non modò fortis, & acer, ſed etiam prudens, & cautus, qui non

tam hominem feriat, atque urat, quàm hominis doctrinam, quæ eius non eſt propria, ſed è cæno hauſta Novatorum. Caſauboni fuerat cauſam bonam ſuſcipere defendendam, ne in caſis dirutis, atque everſis, quod eius cognomen Gallicè ſonat, hæreticorum habitare putaretur, neve caſu quidquid veniret in buccam diceretur effutire. Eius, tanquam veritatis, patrocinium non è puteo Democriti, ſed Domini IESV viſus eſt mihi PVTEANVS arripuiſſe: quem virum quadrigis albis omne diſciplinarum curriculum video feliciſſimè conficere. Pergat modò: valet ingenio, doctrina, iudicio, eruditione, ſtilo. Præſtitiſſet CASAVBONO tanta rerum cognitione, tali in cæteris prudentia viro domi ſuæ, & in illa ſapientiæ omnis humanæ, ac divinæ, ſede ac domicilio Lutetiæ Pariſiorum ſale ſuum delingere, quàm in Britannia aliena quadra, etiamſi onuſta bellariis, vivere; quod de ſuis Athenis reſpondiſſe Cratero Macedoni eum ad ad ſe invitanti Diogenes fertur. nunc

enim cum iis hominibus verſatur, qui rem Catholicam, & veterem Chriſtianitatem pro ſuo quiſque arbitratu ἄγουσι, φέρουσι, ſed ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ. hæc ego poſt Iulium meũ, tantum virũ, tantulus homuncio effudi, boni æquiq; conſule, & vale, meq; ama: & cũ Io. BAPTISTAM SACCVM clariſſimũ, & eruditiſſimum virum, cuius humanitati debeo plurimum, convenies, hoc meũ judiciũ acriori ipſius, limatioriq; iudicio ſubiicias, fac: & PVTEANO cùm ſcribes, plurimam ex me ſalutem dicas. Mediolani XII. kal. Oct. MDCXII.

P. CAROLVS SCRIBANIVS ERYCIO PVTEANO V. CL. S. D.

Librum accepi, nec antè poſui quàm legi. vis ſine fuco? ibis Iuvenalis aut Perſius. Plura non addam, niſi velis è veteri formulâ: bene, eleganter, doctè, fortiter. nec debuit aliud à magni LIPSII auditore, & nobili cathedrario ſucceſſore ſperari. Verum

Verùm quid me vocas in circum? te gladiatore quis non cadet? Romano pugnas gladio & robore Manlius; quid victoriarum tuarum ſocium poſcis Torquatum? benevolentiæ eſt tuæ, qui triumphi partem tam facilis cedis, quàm plerique rapiunt: at tu plurimum etiam decerpis de tuo, ut amicum ornes, quaſi aliquid deceſſerit de triumphi magnitudine, ſi ſolus ſedeas, ſolus audias Victor. Hoc eſt amare. nec diffitebor interim, parum abfuiſſe, quin igne ſuccenſus tuo, uti eram, calceatus, togatus, ruerem in inimica agmina: compreſſi tamen præfervidum æſtum; & illas tuas illices tubas & tympana ſepoſui in meliorem diem. Diſtineor enim nunc aliis, quæ ne deſeram in medio curſu, miſceámque ferrum olivæ, accinctus operi Typographus, calentiáque ac fumantia à pio partu præla, iure quodam ſuo extorſerunt. Litteras etiam accepi: vide, ne mentiatur Amor. non pono leges Amori. ſcio huic ſoli mentiri conceſſum: adeóque, ni mentiatur, aut non eſſe, aut

frigere iam Amorem. ergo fero. Nam quis ego, qui evertam Amoris leges, omnis ævi? Tu interim vive felici calamo; magni Lipsii fortunatiſſimus heres; ingentis calami ingens robur. Tantùm vince, & amare perge. Cœpiſti: ne vereare hos Cacos, melior iam Hercules, cauſſa & viribus: & hunc non iam Cauſa-bonum, ſed Cauſa-malum

---incendia vana vomentem

corripias victor:

Eliſosque oculos, & ſiccum ſanguine guttur

proſterne foribus, & oſtende populis

Pectora ſemiferi, atque extinctos faucibus ignes:

ita magnum te, ſtudiáque tua ſervet Numen. 19. Auguſti. 1612.

Io. Bap.

IO. BAPTISTA SACCUS
ERYCIO PUTEANO,
SERENISSIMI PRINCIPIS
ALBERTI Archiducis Au-
ſtriæ Conſiliario nuper
creato S. D.

AUctum te munere Conſiliarii Principalis, Doctiſſime PUTEANE, nec miror, & mirificè tamen gaudeo. Gaudeo ſcilicet, quòd videam judicia de te mea jam pridem facta, comprobari teſtimonio præclariſsimorum virorum & Principum, nonnullis interim malevolis & imperitis ſe diſrumpentibus, qui gloriam tuam æquo animo ferre non poſſunt, maleque de meipſo opinantur, quòd tibi tantum tribuam, quantum paucis permittam. quo magis jucundum eſt mihi commemorare diem illum, quo te primùm ex Belgio advenientem intonſa adhuc juventa, ut Poëtæ loquuntur, excepi; commendatum quidem egregiè publicis ac privatis litteris Magni LIPSI, Doctoris tui; ſed mehercule tuo ipſius ore & pudo-

re, tuóque ingenio & moribus ſummopere probatum. Iam inde te dignum magiſtro Diſcipulum iudicavi, magnúmque omnino virum aliquando evaſurum animo præſagivi. Talem denique, ut parum deſideraturi eſſemus LIPSIVM, ſi tu illi ſuperſtes fuiſſes. Deduxi te ad primores civitatis noſtræ. Primores inquam dignitate & litteris. Nemo non de te idem iudicium fecit. Acceſsiſti ad Cardinalem noſtrum BORROMÆVM, fuiſtique in intimis ac familiaribus. Bone Deus, quanti ingenium eruditionémque tuam fecit Præſul hic illuſtriſsimus, quem ipſum totus pænè terrarum orbis litterarum etiam nomine ſuſpicit & veneratur! Comeſtabilis verò noſter VELASQVIVS, vir non magis ſtemmate, opibus, & titulis, quàm ingenio, doctrina, & ſapientia ſublimis & excelſus, qui tum fortè pro Rege hanc provinciã moderabatur, quantum ipſe tibi detulerit, illud erit argumento, quod inferiùs loco dicam opportuniore, ne ſeries interim perturbetur oratio-

orationis in quam ingreſſus ſum, ut curſum explicem tuum in ſtudio famæ & immortalitatis. Hîc igitur annos aliquot cùm ſubſtitiſſes, Collegio Præfectus Velaſquiano, Patavium cogitaſti, ut in illa Academia tanquam in uberrimo Diſciplinarum omnium emporio ingentem tibi cumulum ſcientiarum comparares, quas veluti merces peregrinas & exoticas in Patriam aliquando reportares. Eò profectus, præda ſtatim fuiſti magni illius VINCENTII PINELLI, viri quacumque prædicatione maioris, qui te agnitũ ex ſermone, & amicorum commendatione, perinde ac peritus quiſpiam & ſolers lapidarius melioris notæ gemmam, inopinatò inventam faceret, avidiſſimè arripuit, atq; inter alios quos domi alebat Doctiſſimos viros eximiũ cariſſimúmq; habuit. Mortuo dein Pinello civitas noſtra deſtituta primario Artis Oratoriȩ Profeſſore, Doctrinæ Eloquentiæque tuæ memor, Senatu cenſente, huc te honorifico ſtipendio revocavit. Mox cùm per feri-

as Vindemiales Romā viſere excurriſſes, facilem tibi aditum ad Principes illos purpuratos, & urbis proceres virtute tua aperuiſti, tantámque apud eos gratiam conſecutus es, ut illi tibi ne cogitanti quidem, certè non ambienti, quanquam dignum omni honeſto ambitu honorem, jus Romanæ civitatis ultro detulerunt. eo titulo auctior ad nos, & ad munus publicum te contuliſti. Cúmque Comeſtabilis in Hiſpaniam reverſus fuiſſet, nihil habuit antiquius, quàm ut inde ſignū tibi aliquod mitteret iudicii de te & amoris in te ſui. Quamobrem ſtudio, gratia, & auctoritate ſua munus Hiſtoriographi ab Optimo Catholicóque Rege noſtro cum honeſtiſſimo congiario tibi impetravit. Deceſsit interim Lipsivs, qui de ſummo loco in iſta Academia genus omne litterarum profitebatur; cúmque non deeſſent viri Docti & diſerti, tum præſentes tum abſentes, qui illius munus ſumma contentione peterent, tu dignißimus omnium iudicatus es ab Ordinibus iſtis ſapientiſsimis, cui illud-

pre

præcipuè decerneretur. Diſceſſurus igitur à nobis, tale priùs ſpecimen ingenii tui in Legali quoque diſciplina dediſti Collegio Iuriſperitorum noſtrorum, quod Areopagus habetur Italiæ, ut ab illo inſignibus Iuriſconſulti, ſummo totius ordinis conſenſu, cunctaque civitate plaudente decoratus fueris. Gubernabat eo tempore provinciam hanc Comes FONTANVS, qui licet rei potiùs militaris, quàm litterariæ peritus eſſet, ea tamen fuit prudentia & ſapientia, eoq; rerum uſu & experientia præditus, ut in æſtimandis ingeniis eorum qui Litteras profiterentur, minimè falleretur. Proinde LIPSIVM, dum in Belgio militaret, ſummo in honore habuit, eique caput fuit ad obtinendum munus Regii Hiſtoriographi. Hic te cùm plurimi ſemper feciſſet, præclarum eius rei teſtimonium dedit abeunti, quem inſigni torque aureo iuſti ponderis donavit: ſubmiſitque in Belgium donativum aureorũ ducentûm. Superioribus item annis, cùm per obitum ROBERTI TI-

XII ſedes prima vacaret in Gymnaſio Bononienſi Rhetoricæ Profeſſoris, favente Cardinali IVSTINIANO Pontificis Legato, Litterarumque Mæcenate eximio, provincia illa cum annuo Scutatorũ Sexcentûm ſtipendio tibi decreta fuit, addito inſuper ſubſidio aliorum ducentûm viatici nomine. Verùm tu conditionem hanc, licet præclaram & luculentam, atq; alias ſecũ opportunitates trahentem, pietati in patriam obſervantiæq; in Ampliſſimos Ordines tuæ fortunæ poſthabendam duxiſti. Quare Sereniſſimus Princeps tam inſignem animi & obſequii tui demonſtrationem agnoſcens, annuum tibi ſtipendium conduplicavit; donis & honoribus te non exiguis, nec ſemel, ut ex te intelleximus, affecit: eumq; imitati ſunt multi proceres Belgii, quorum tu mihi ſæpius ſplendorem & magnificentiam litteris deprædicaſti. Neque tamen inter hæc iſthîe quoque defuerunt, quibus oculi dolerent ex proſperitate gloriáque tua, quique virtutem potiùs tuam carperent

quàm

quàm imitari ſtuderent, ægrè nimium ferentes, tua induſtria LIPSIVM adhuc velut ſupereſſe. Sed nunc tandem detractoribus omnibus tanquam cornicibus oculos confixit nova ALBERTI Principis benigniſſimi prudentiſſimiq; e declaratio, dum in te florentem adhuc ætate, munus iſtud contulit Conſiliarii ſui, quod in LIPSIVM ætate iam extrema contulerat. Cur igitur non gaudeam ipſe, atque omnibus lætitiis incedã, cùm, ut ad initium redeam epiſtolę, videam judicia mea tantorum virorum & Principum teſtimonio comprobari. Ego verò immortaliter gaudeo, & honorem iſtum tibi Liberisq; tuis Deum fortunare volo. Liberis, inquam, quos heredes futuros ſpero Virtutis & gloriæ tuæ. Sic faciunt, ſic cupiunt, ſic vovent amici omnes, quos hoc nuncio impertivi, teque amantiſſimè reſalutant. Vale. Mediolani Pervigilio S. Antonii, ∞.I ɔ c XIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google